

ALPHONSI
GARSIAE MATAMORI
HISPALENSIS ET RHETORIS
PRIMARII COMPLVTENSIS

OPERA OMNIA
NVNC PRIMVM IN VNVM
CORPVS COACTA.

ACCEDIT COMMENTARIVS
DE VITA ET SCRIPTIS AVCTORIS.



MATRITI
ANNO M.D.CC.LXIX.
TYPIS ANDREAE RAMIREZ.
SVPERIORVM PERMISSV.

DE VITA ET SCRIPTIS

ALFONSI GARSIAE (a) MATAMORI

COMMENTARIVS.



QVVM OMNES NOBIS SINGVLARLQVADAM AC praecipua laude digni videntur, qui bonarum artium studiis immortalē sibi apud posteros nominis gloriam compararunt; tum ii praesertim qui ad eluendam barbariei notam Hispano nomini ab exteris inustam omnes cogitationes suas atque industriam contulere. Quos inter insignem obtinet locum ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS. nam non modo Hispanorum ingenia ab inflicta hac sibi iniuria vindicavit scripta elegantissima iuxta atque eruditissima Apologia, in qua non exiguum bene de nostratibus merendi studium praese tulit, sed & id adsequutus est, ut inter viros Hispaniae doctos, doctus & ipse, iure recenseretur. Quare non immerito exigi a nobis videbatur, ut qui tot tantosque Hispaniae viros immortalis praeconio laudis ad memoriam posteritatis commendavit, nova luce donaremus. Idque eo libentius fecimus, quod compertum profecto haberemus, nullum hoc potissimum tempore cupidis litterarum adolescentibus utiliore excogitari auctorem potuisse. Nam si rerum, de quibus tractat, argumenta perpendas, nihil ad animum optimis artibus informandum aptius fieri potuisse intelliges: si vero stili elegantiam, sententiarumque pondus & gravitatem spectes, haud erit, quod in hoc genere requiras

(a) *Matamoros* non uno constanter modo patrem unum agnomen exaravit: nam

am-
alibi *Garsiam* scribit, alibi *Garciam*,
haud raro *Gartiam*.

COMMENTARIUS.

amplius. Nos vero quum ad CICERONIS imitatores, quos praeterita saecula magno proventu edidit, mentis aciem convertimus, quem cum MATAMORO nostro conferamus, unum aut alterum reperimus, superiorem fortasse habemus neminem. Neque temere hoc a nobis aut impudenter dictum existimabit, quisquis in MATAMORI lectione peregrinus non sit. Nec est, quod indignemur viris praestantissimis, qui CICERONIS imitatorum catalogum concinnarunt, unum MATAMORVM abs se praetermissum, quem nec viderunt fortassis, nec legerunt umquam. adeo enim rara sunt omnia eius opuscula, ut vel in celeberrimis bibliothecis vix aliquod appareat exemplar. Nec nos hanc editionem ad umbilicum perducere potuissemus, nisi per viros quosdam stetisset, qui, quae sunt ad promovendas litteras propensione, exemplaria ad eam necessaria perlubenter perque humaniter suppeditarunt. Quam verum illud! *Manent sua fata libellos;* praesertim in Hispania, ubi nostrorum hominum opera sparsim antea edita in unum corpus colligere numquam curae fuit. Vnde minime mirandum est, si ad exterorum notitiam haud pervenerint.

Verum enim vero nostris temporibus singulari Dei O. M. beneficio tot immortalia opera eruditorum votis efflicti petita reciduntur, ut bene iam de litteris omninari debeamus. Vnius GREGORII MAIANSII Regi quondam a Bibliotheca, viri numquam sine laude nominandi studio & diligentia lucem viderunt superiore anno opera FRANCISCI SANCTII BROCENSIS grammaticorum Coryphaei, addita elegantissima eius vita. Nos vero, quod faustum, felix fortunatumque sit, MATAMORVM publicamus. Hunc subsequenter clarorum Hispanorum Orationes & Conciones, quotquot reperiri poterunt, habitae ad sacram Tridentinam Synodum, quarum prius volu-

COMMENTARIUS.

amen absolutum iam, & publicae luci paratum habemus. Postea, favente Deo, SEBASTIANVM FOXIVM MORZILLVM & IOAN. GENESIVM SEPVLVEDAM dabimus. Sed iam de auctore nostro aliquid dicamus.

Quod multis quidem viris doctis & de republica litteraria optime meritis videmus accidisse, ut vix quidquam de eorum vita ac studiis sciri possit, id in MATAMORO nostro cogimur experiri. Itaque in tam spissis tenebris nihil aliud adferre in animo est, nisi quod aut ex publicis tabulariis eruere potuimus, aut expiscari ex ipsius auctoris scriptis.

Ad (b) natale solum quod attinet, MATAMORVS ipse *Hispalensem* (c) constanter se appellat pluribus in locis: unde & NICOL. ANTONIVS in aurea sua Bibliotheca, & RODERIC. CARVS in opere M. S. *de claris eruditione Hispalensibus*, cuius particulam nobiscum communicavit COMES DEL AGUILA, vir & generis claritudine & optimarum artium amore illustris, pag. xxxii *Hispali natum* pronuntiant. Verum ex iis libris, (d) ubi studiosorum, qui in Academia Valentina publice litteris operam navarunt, scripta sunt & nomina & in litteris merita, probe discimus, eum *Villarasae* (e) natum, parvo ac obscuro loco ditionis principum Eliplensium in dioecesi Hispalensi. Quum vero certo certius habeamus, id patriae nomen ibi solitum adscribi, in qua quisque se ortum accepisse adseverat, aequum videtur, ut aucto-

42 ris

(b) Lustricum auctoris diem frustra erute tentavimus e dypticis ecclesiae Villarasensis, quam ea in ordinem redigi haud coeperint in ipsa metropoli ante synodum a Didaco Furtado Mendocio celebratum anno MCDXC. idque paullo serius introductum in reliquis ecclesiis. In Villarasensi non videtur obtinuisse ad annum MDXIX.

(c) *Hispalensem* se appellavit Matamo-

rus principis urbis nomine usurpato, non quia Hispali fuisset natus, sed quoniam Viilarasa ad Hispalense regnum pertineat. Sic & *Valentinos* nominamus, quotquot lucem viderunt in oppidis sub eo regno contentis.

(d) Lingua vernacula appellantur *Notals*, adservanturque in publico Valentinae urbis tabulario.

(e) *Notal*. VI.

COMMENTARIUS.

ris ipsius ore prolatum fuisse credamus. Favet nostrae huic sententiae, quod plures adhuc familiae hoc cognomine insignitae reperiuntur Villarasae, ubi & vicus hodie exstat vulgo dictus *de Matamoros*.

Nos vero coniicimus, GARSIAM, simul atque in patrio solo, vel, si ita vis, Hispali, omnibus disciplinis, quibus puerilis aetas impertiri solet, eruditus est, Valentiam, tamquam ad litterarum emporium, evolasse, graviorum scientiarum cupidine incensum atque inflammatum, idque anno a Christo nato MDXIX. incunte, & uti ipse testatur in praefatione scholiorum in librum IV. Antonii Nebrissensis, ibi totos octo annos Physicis & Theologicis disciplinis occupatum fuisse, quam qui maxime. Scribebat haec Saetabi anno MDXXXIX. mense Aprili, quo ante annos duos eo nomine venisse prodidit, ut Grammaticam & Oratoriam, easque scientias, quae vulgo *sermationales* appellantur, ex officio profiteretur. Ex hoc auctoris testimonio facile intelligimus, eum post absolutum & Philosophiae & Theologiae curriculum a Saetabitanis, nominis sui fama motis, illuc vocatum fuisse, ut iuventutis institutioni praeficeretur. Quam Spartam ornavit ad annum eius saeculi quadragesimum. (f) quo anno Valentiam remeavit studiorum suorum lauream apiscendi gratia. Nam ex libris superius laudatis constat, (g) oblatum fuisse MATAMORO nostro a ma-

(f) Postquam haec scripseramus, relatum ad nos est, e libro adservato in Saetabitanis tabulario sub numero 49. sic inscripto, *Taula d' Constells*, in qua acta ab anno MD. ad MDXLIX. continentur, certo constare (p. 354.) *Matamoros* fuisse anno MDXXVII. Grammaticae praefectorem ibi designatum. Quando se hoc munere abdicavit, haud possumus inde subodorari, quamvis pag. 357. legatur Didacus Valera ad idem adsumtus anno MDXLIII. Nam toto illo

temporis intervallo orbatam *Matamori* nostri voce Academiam siluisse suspicamur, quum vix alius reperiri posset illis temporibus, qui in eius locum sufficeretur. Nisi dicere quis malit (quod per nos licet sane) *Matamoros* post impetratum artis magistratum Saetabim remeasse, ibique mansisse, donec honestis conditionibus Complutum est evocatus: ubi Rhetoricam edocere coepit prid. Id. Mart. ann. MDXLII.

(g) *Notal. VI.*

COMMENTARIUS.

magistro Ioanne Descalzio duodecimo Kal. Nov. locum illum Aristotelis e lib. v. c. 1. *De anima*, cuius initium, *Eorum quae sunt*; & alterum eiusdem Aristotelis a Iacobo Noguerolesio e libro 1. *Posteriorum* c. 11. quod incipit, *Secundarie autem*, in sequentem diem pro concione interpretandum, quo egregie praestito & baccalaurei & artium magistri obtinuit lauream. Hinc videre est, quantos in litteris fecerit progressus GARSIAS noster, quum is honor felicissimis illis temporibus & longe cultioribus non nisi in doctissimos soleret conferri impensae in studiis operae premio.

Ex (h) eisdem libris liquet, Hieronymum Perezium de Omar, egregium Theologiae professorem in Academia Valentina, commendatarium ac coenobiarcham militaris ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede, ac Ioannem Descalzium MATAMORI studiorum aemulum atque imitorem, sacramento obstrictos testatos fuisse ad XVII. Kal. Sextil. anno MDXLIII. ALPHONSVM GARSIAM MATAMORVM magno animi conatu ac sine intermissione quatuor annos Durandi Sententiarum libros quatuor addidicisse sub disciplina, quem memoravi, Perezii & Ioannis Celaiae. Quum MATAMORVS eo iam tempore Compluti primariam Rhetorices cathedram moderaretur, ut postea patebit, voluit studia sua probare Complutensibus tam insigni testimonio.

Nec MATAMORVS ipse suos praeceptores debita laude fraudavit: nam in epistola ad GARTIAM LOAISAM, Antistitem Toletanum, virum in antiquitatibus Hispaniae ecclesiasticis eruendis oculatissimum, praefixa libello de Formando stilo, postquam laborem suum modeste commendavit, hoc pacto loquitur: „ Illud praeterea apud te non minimum valere debet, quod Theologiam &

(h) *Notal. VI.*

COMMEETARIVS.

† liberales disciplinas in Hispania didicerim, quae quidem provincia, non modo a falsa doctrina, sed ab omni erroris suspitione divino munere quam longissime abest; eosque praeceptores nactus fuerim, in quorum mentibus natura rerum tota propemodum refulsit, litterasque cum pietate veraque religione coniunxerunt.

Quae de MATAMORI studiis Valentiae confectis diximus, accepta referre debemus viro Cl. IOSEPHO IOACHIMO LORGAE humaniorum litterarum quondam professori in illa Academia, quam per sedecim annos voce sua exornavit.

Saetabim redeamus. MATAMORVS graphice describit quanto in squallore ac sordibus iacerent ibi bonarum artium studia: opus fuit hoc Hercule ad averruncandam barbariem, quae altas in illo solo egerat radices. Sperabat tamen fore, ut mitiores Musae illius urbis potirentur. Nam Franciscus Borgius Episcopus Theanensis ex illa Borgiorum propagine, quae Callixtum, Alexandrum, Franciscum item inter divos relatum protulit, fautorem se ultro, qua erat benignitate praeditus, obtulerat: simulque iam tunc centum aureos, & amplius se daturum pollicitus fuerat, si illius civitatis magistratibus & viris primariis idem adhuc esset animus aedificandi Academiam, ubi pulchrae honestaeque disciplinae praelegerentur. Imitari in hoc voluit doctissimus praesul tertium illum Gandiae principem propinqua sibi cognatione coniunctum, Valentinae olim provinciae praetorem, ac magnum litteratorum patronum, cui IOANNES ANDREAS STRANNIVS, IO. LVDOVICVS VIVES, HONORATVS IOANNIVS, reipublicae litterariae III. VIRI magno fuere in pretio, teste eodem VIVE de Officio mariti.

Dum

COMMENTARIVS.

Dum MATAMORVS Valentiae versaretur, doctorum hominum benevolentiam sibi conciliavit: quo in numero fuerunt IOANN. ANGELVS GONZALIVS & FRANCISCVS DECIVS, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. Primus auctoris scholia celebravit lepido atque eleganti epigrammate. En illud:

Quum tua sub parvo legissem scripta libello,

Cepissetque oculos lectio casta meos:

Continuo adfulsit tam docti pagina libri,

Suspensum & tenuit sic repetita animum.

Quumque avido decies volvissem singula tactu,

Grata fuere magis, quae placuere semel.

Tanta hic sermonis fulget cultura Latini,

Tanta hic integritas, denique tanta fides,

Vt non haec hominum libris, MATAMORE, decorum

Sed tamen ex adytis conciliata putes.

Vnde tibi multum debet Romana propago,

Qui Latiae linguae protrahis imperium.

Parta igitur meritos referat syntaxis honores,

Quae tibi tot curas in pariundo dedit.

Fuit IO. ANGELVS GONZALIVS sive GONZALVES poeta non insuavis, vix tamen notus (i) bibliographis nostris ob insignem operum raritatem. FRANCISCVS VERO DECIVS magno fuit Academiae Valentinae ornamento, non modo editis in lucem elegantissimis libris; sed & Oratoriam & Poesim edocendo per quindecim annos. Huic curandam de-

(i) *Gonzalvus, Gonzalves & Gonzales* scriptum reperimus. Ignotus fuit hic auctor oculatissimo viro Nicolao Antonio & Ios. Rodriguezio. Maiusius in *Specimine* suae bibliothecae, & Ximenezus, qui plura ex eo collavit, in illa Valentini regni scriptorum unius tantum operis notitiam reliquerunt sic inscripti: *El Triunfo del Illustrissimo Señor el Señor D. Rodrigo de Mendoza i de Rivas*

Marques primero de Zenere. Nos vidimus in locupletissima bibliotheca Ios. Iosach. Lorgae alicet Gonzalii poemata Valentinae edita ac in unum volumen compacta: a nobis de novo in lucem (favente Deo) preferenda: quae quidem Gonzalvus non mediocre fuisse poetam satis ostendunt. Professus est Ioañes Latinam linguam & poesim in Valentina Academia ab anno MDXXVI. ad MDXLVIII.

COMMENTARIUS.

Dedit ALPHONSUS scholiorum editionem. Verum quum collatis cum archetypo exemplaribus in lucem emissis multis locis dissimilia invenisset, ne id DECIO imperitiae aut supinitati tribueretur, lectorem monuit elegantissima epistola ad calcem editionis Valentinae reiecta, quam dignam censemus, ut integra hic apponatur.

AUCTOR AD LECTOREM.

„ Contuli post editionem, amice lector, scholia
 „ nostra cum archetypo, cui multis locis dissimilia in-
 „ veni: quod utri tribuam, profecto nescio; an absen-
 „ tiae meae, qui, quum excuderentur, Saetabi eram
 „ plusquam Sisyphiis oppressus laboribus, an typogra-
 „ phi potius incuriae & conniventiae. Nam absit, ut
 „ DECIO meo, viro alioqui recocto, & qui non in suis
 „ modo, sed in alienis quoque scriptis soleat acutius
 „ cernere, quam aut aquila aut serpens Epidaurius, hanc
 „ notam inuram. Sed non patiar, quemquam iniqua
 „ suspitione laedi, dum damni causas quaero. Penes
 „ me fateor (liceat concedere veris) totam culpam es-
 „ se, qui precibus quorundam iuvenum victus non mi-
 „ nori aviditate primum recentemque fetum domo eii-
 „ cire protinus laboraverim, quam solent mulierculae,
 „ quae ob domesticam tenuitatem infantes pro divitum
 „ foribus exponunt. Qua insania Hispani omnes labo-
 „ ramus, (k) futuri secus, ut armis, ita lingua quo-
 „ que multis nationibus potentiores, si moras & limae

(k) Immo longe aliter sentit Burchardus Gotl. Stravius cap. V. §. 5. *Introdu. F. in not. rei litter.* „ Hispanis illud sollemniter esse solet, ut pro ingenio libros non praecipiant, sed cum iudicio elaboratos per plures annos tanquam pullos fovant, elaborata expoliant, emendant,

„ immutent, vel adaugeant. Qui fit, ut
 „ pleraque opera postquam edantur, qui-
 „ bus, ante quam ubique expolita, auctores
 „ immoriuntur. Quantum vero in exces-
 „ su peccant Hispani, tantum in defectu
 „ Germani, qui praecipiti praecepta suam
 „ in editionem librorum.

COMMENTARIUS.

„ laborem pateremur, quemadmodum de antiquis Ro-
 „ manis Horatius ait:

„ *Nec virtute foret clarisve potentius armis,*
 „ *Quam lingua Latium, si non offenderit unum*
 „ *Quemque poetarum limae labor & mora.*

„ Quare necesse habuimus, quae vel ob meam vel ty-
 „ pographi culpam errata fuerant, diligentius adserere,
 „ & suo nitori restituere, ne quisquam, quod saepe fit,
 „ ignorantiae nos velit insimulare: tantum excipiam di-
 „ ctiones corruptas & adulterinas, siquidem antigrapha
 „ & cetera, quae ad distinctionem scripturae accomoda-
 „ mus, ut sunt hypostigmen & stigmen, quae comma-
 „ tis & colis signantur, plus negotii nobis sunt exhibi-
 „ tura, quam si Augiae stabulum repurgaremus. Pro-
 „ inde ingratus sim Musis, si hic manum verterim. BE-
 „ NE VALE. “

Haec attulimus, tum ut insignem MATAMORI de DE-
 CIO testimonium adduceremus, ea enim profecto (ut Cice-
 ro ait) *incunda laus est, quae ab iis proficitur, qui ipsi in laude vixerunt*; tum ut palam fieret, multa MATAMORVM peccasse in scriptis suis, sive ob negligentiam retractandi, quae subito calore effuderat, aut amici e manibus extorserant morae impatientes, sive ob ingruentes suos morbos, qui omnem animi alacritatem praeciderant. Quare facile dabitur nobis venia, si in tanta & auctoris & typhotetarum incuria aliquando errantes sequamur.

Suspicati fueramus, MATAMORVM in ipsa etiam urbe Valentina humaniores litteras docuisse; propterea quod in Rhetorices praefatione ad lectorem scriptum reliquit: *Dedi itaque olim Valentinis & Saetabini, apud quos humaniores litteras praelegebam, opus otii mei, & solitudinis munus.* loquitur de scholiis suis. Augebat suspi-
 b
 cio

COMMENTARIUS.

cionem hanc nostram, quod auctor in *codex opere lib. I. c. 18. p. 295.* huius editionis, de usu schematum loquens, quum eorum immodica copia obrui orationis pulchritudinem probasset, subiungit: *Hoc vitio, quum iuvenes essemus, orationem corrupimus, quam de laudibus Regis Davidis Valentiae scripsimus: nam frequentissimis tropis & schemate perpetuo rotam orationem effeminavimus.* AVGVSTINVS SALESIVS illius urbis chronographus, scriptis suis notior, quam ut commendatione nostra indigeat, in epistola quadam M. S. existimat, MATAMORVM, relicta Saetabi, Valentiae sedem fixisse, ubi cum STRANNEO NEBRISSENSIS discipulo, LEDESMA, GELIDA, NAVARRO, FERRUZIO (Deus bone quantis viris!) bellum indiceret sophistis; sed eorum barbarie atque ineptiis offensum, concessisse Complutum. Regnabant enim tunc temporis sophistae genus hominum in perniciem bonarum artium natum. Actumque profecto fuisset de bonis litteris, nisi Ferdinando ab Aragonia Calabriae Principe, & Mencia Mendocia Zeneti Marchiona, Valentinae Academiae propagatrice adnitentibus sophistae in maximam malam crucem fuissent amandati. Ex illo tempore, ut hoc obiter moneamus, incredibili dictu est, quantum florere coeperit Academia Valentina, quum nusquam tam uberem litteratorum segetem dederit Hispania. (l) Verum enim vero quum neque ex illius aetatis scriptoribus, neque ex monumentis hodie dum exstantibus certi quidquam eruere possimus ad hanc opinionem viri docti firmandam, haud aegre feret nos ab ea recedere.

Ac-

(l) Videatur omnino Laurentius Palmireus libro II. Rhetoricae editae Valentiae anno MDLVII. pag. 58. qui rem hanc eleganter litteris consignavit, testatumque reliquit, quantum *Iacobo Ferruzio*

debeatur ob pulsos a Valentina Academia sophistas, admissasque elegantiores disciplinas: cuius locum adduceremus, nisi esset longiusculus.

COMMENTARIUS.

Accedamus iam tandem ad Academiam Complutensem, ex qua velut ex equo Troiano tot olim prodire viri celeberrimi, lumina & ornamenta nostrae reipublicae. Nam & Rector & Collegae D. Illelonsi, quorum erat deligere illius scholae professores, nulli nec labori, nec sumtui parebant, ut viros eruditos undiquaque accitos propositis honestissimis praemiis illuc arcesserent. Itaque anno M. D. XLII. quarto Eidus Martii Rhetorices cathedram in MATAMORVM contulere quadraginta aureis nummis (*florenos* vocant nostrates) in singulos annos adsignatis. Quanti autem fieret a Complutensibus MATAMORVS, indicio esse potest, auctum sibi honorarium a Collegio variis temporibus, adeo ut anno M. DLXVII. sex & quadraginta nummularum millia, si-ve, ut sic loquar, *marapetinorum*, possideret: (m) id quod cum doctissimis ac eruditissimis tantum viris fieri consuevit, ut NEBRISSENSI, MORALI, ZAMORA, GOMEZIO, aliis.

Simul atque ALFONSVS praecipuam Rhetorices cathedram obtinuit, animum appulit ad Philippicas Ciceronis orationes explicandas. Is mos in ea Academia servabatur, ut difficiliore extricandi auctores partes professori primario traderentur. Proximis illis annis orationem ad auditores suos habuit, ut ipse innuit libro I. *Rhetoricorum* cap. 7. pag. 262. nostrae editionis. Nam sermonem habens de modo exordium ducendi a proverbio, *Et nos*, inquit, *hanc exordiendi viam nuper ingressi sumus, dum publicis scholis eloquentiam exerceremus, quod, quantum recordari possumus, hoc modo comparavimus: Vetus proverbium est a maioribus usurpatum & usu consuetudinis pervulgatum omnibus, Romanus sedendo vin-*

b 2 cit.

(m) Quae ad *Matamorum* spectant, ab eius in Academiam Complutensem admissione ad obitum usque eruta sunt ex

libris rationum cathedrarum, & nobiscum communicata a *Sanctio Santor*, secundo eorum custode.

COMMENTARIUS.

cit. Suspiciamus orationem hanc a MATAMORO scriptis mandatam non fuisse, aut adhuc inter blattas tineasque delitescere; nos frustra in ea conquirenda operam lusimus; quemadmodum & altera, quam in celebrandis publica concione Burgis, civitate disciplina & gravitate nobili, habuit, cuius egregium adfert fragmentum pag. 284. memorati operis. Vtinam ad manus nostras pervenissent, ut editionem hanc locupletiolem dare potuissemus!

Quoniam principem Rhetorices cathedram MATAMORO moderandam fuisse traditam diximus, non alienum erit a proposito monere, quatuor simul fuisse illi facultati edocendae professores destinatos in Complutensi Athenaeo, ob ingentem, ut credere par est, studiosorum numerum undique confluentium ex reliquis Hispaniae provinciis ad eam urbem, quae litterarum principatum tenere credebatur; nec id quidem immerito: non multis ante annis patronum ac fundatorem habuerat FRANCISCUM illum XIMENIVM (de quo, ut Sallustius de Carthagine dixit, *satius est tacere, quam pauca loqui*) & NEBRISSENSIEM barbariei explosorem. Florebant adhuc ea tempestate haud pauci viri docti, Ambrosius Morales, Io. Ramirus Toletanus, Io. Perezus, Alvarus Gomezus Graecae linguae professor.

Naetus ALFONSUS amplissimum theatrum meritis suis debitum, pristinam illam scribendi alacritatem instauravit. Itaque septennio postquam Complutum attigit, libros duos de ratione dicendi foras emisit, dignos qui a BENEDICTO ARIA MONTANO Hispanorum sapientissimo celebrarentur eleganti epigrammate a nobis edito pag. 244. huius operis. Praeterire hoc in loco non possumus insignem R. CARI viri alioqui eruditi supinitatem, qui in opere M. S. superius laudato primos sex versus addu-

COMMENTARIUS.

ducens, scriptos ab ARIA adseverat in laudem auctoris rebus humanis iam functi. Quod si proximos duos versus,

Nunc ubi tam cultum MATAMORI cura libellum

Edit, & hunc patrio dedicat ille Deo,

legisset, sine dubio errorem suum agnovisset. Quid quod ipsum epigramma exstat in utraque editione, prima anno MDXLVIII. & altera anno MDLXI. absoluta, quum auctor adhuc in vivis esset?

Admovit manum GARSIAS Rhetorices scriptioni crebris Fredenandi Barioveri doctissimi Academiae Rectoris efflagitationibus & auctoritate impulsus, ut quae de artificio dicendi in florentissimo illo collegio iam per annos septem publice alios docuisset, posteritati & gloriae inserviens, litteris mandaret, quemadmodum videre est ex auctoris Epistola ad Rectorem & Collegas Non. Oct. exarata, in qua acriter invehitur in sophisticas artes barbarumque Philosophiae addiscendae modum. Ad hoc hortatur, id efficiant, ut principi Philosophorum Aristoteli Complutensis Academiae fores posthac minime ocludantur: sperabat tamen fore, ut, Ludovico Catena Cancellario & Rectore hortantibus imbuta inveterataque persuasio magna iam parte fracta animis revelleretur, & expulsa de scholis & mentibus barbarie, totius Academiae possessio reginae traderetur eloquentiae.

Verum quod MATAMORVS tam diu optaverat, ut sophisticas artes e Complutensi Academia pellerentur, temporis progressu est impetratum. Igitur in Apologia sua quum LUDOVICVM CATENAM meritis laudibus extulisset, virum ita in omnium scientia rerum versatum, ut instar populi esset, quemadmodum de Antimacho dixit Plato, subdit: „ Sed illa est omnium tuarum virtutum praecipua & maxima laus, in qua exultat & se-

„ rio

COMMENTARIUS.

„rio triumphat oratio mea, quod, diu ac multum re-
 „pugnantibus barbaris, sophisticam a Complutensi A-
 „cademia fortiter eieceris; ubi annos multos cum gravi
 „detrimento bonarum litterarum & dedecore nostrae
 „nationis ad risum usque & contemptum exterarum gen-
 „tium regnavit impune. “ Hinc celebritatem incredibili-
 lem & gloriam Academiae Complutensis fere immensam
 memoriae posteritatis sempiterno praeconio consignavit:
 cuius viros plane doctos non solum numero, sed divina
 quadam sapientia ceteris totius Hispaniae doctoribus
 si non praeferre propter invidiam ausus est, ne iudicavit
 quidem postponendos.

Sub idem fere tempus omnes Hispaniae scholae re-
 florescere coeperunt, excussoque barbariei iugo, quod
 cervices nostras tam diu presserat, ad restituendas nitenti
 suo bonas artes omnem operam atque industriam
 suam contulere. Quo factum est, ut brevi tot viros natio
 nostra progigneret, quot post renatas litteras vix
 ulla gens tulit. Hinc opportunam nactus occasionem aucto-
 r noster Apologiam pro doctis Hispaniae viris docto
 pariter & eloquenti sermone conscripsit ad imitationem
Bruti Ciceroniani, cuius ἐπιτομή in ea facile repe-
 riet. Edita est Compluti anno MDLIII. Infinitum esset
 oratione persequi velle quantum Hispaniae, quantum
 rursus sibi MATAMORVS gloriae conciliaverit insigni hoc
 ingenii suo monumento. Id unice dicendum in praesentia-
 rum est, uno hoc opere adsequutum esse auctorem no-
 strum, ut inter praecipuos Hispanae litteraturae instau-
 ratores ab exteris numerari meruerit.

Anno MDLXX. libellum *De formando stilo* luci com-
 misit publicae, ea, quae decebat summum stili artificem
 & magistrum, sermonis munditie elaboratum, adiecto
 altero opusculo *De methodo concionandi*, in eundem fasci-

cu-

COMMENTARIUS.

culum coniecto: quae duo MATAMORI opera reliquis e-
 iusdem auctoris longe praefcriamus. Vtinam quam con-
 cionandi methodum auctor praescribit, oratores nostri
 sequendam sibi proponerent! maiori sane cum fructu
 conciones eorum audiremus.

Obiit MATAMORVS anno MDLXXII. decimo se-
 ptimo Kal. Quinctilis hora noctis decima, magnumque
 sui Academiae Complutensi desiderium reliquit. Quot
 annos natus decesserit nos plane later. Adfecta iam aeta-
 te fuisse, quum orationem scriberet in doctoratu Theo-
 logiae Didaci Sobanii, ipse testatur in eius limine.

NICOL. ANTONIVS, DIDAC. ORTIZ de ZVÑIGA in An-
 nal. Eccl. Hispal. CARVS, alii, litteris tradidere, ALPHON-
 SVM nostrum *Canoniatum* aut *Praebendam* obtinuisse in
 ecclesia Hispalensi (n), quod nobis adhuc incertum est,
 quum id neutiquam sat firmis demonstrari possit argu-
 mentis, uti nobis nuntiavit DIDACVS ALEXANDER DE
 GALVEZ ecclesiae Hispalensis Portionarius & Bibliothe-
 cae custos, qui nihil non rerum satagit, ut rem hanc ac-
 curatius inquireret, in cassum tamen. Non dubitamus
 sacris fuisse addictum, ut patet ex subscriptione Hispa-
 nae epistolae, quam postea dabimus.

Fuit MATAMORVS vir acri ingenio, ceu testantur o-
 pera abs se elaborata. Ciceronis stilum felicissime expres-
 sit. Sono & numero orationis leniter demulcet aures, ut
 hac una possit singulari virtute cum MURETO, PERPI-
 NIANO, MANVITIO, SEPVLVEDA, OSSORIO, & quovis alio
 Ciceroniano non iniuria certare. Ea tamen eruditionis
 copia & disserendi ratione est usus, ut non ad volupta-
 tem aurium, quae summa est, in hoc auctore, sed ad
 iu-

(n) Ioannes Loaisa illius ecclesiae *cano-
 nicus*, qui veteres tabularii chartas dili-
 genter excuserat, notalam manu sua *exa-
 ratam* reliquit, in qua adseverat, *Mata-*

morus nostrum inter *Capitulares* cen-
 sum fuisse: at unde id hauserit, ne ves-
 tum quidem ullum. Quare a prioris sen-
 tentia minime discedimus.

COMMENTARIUS.

iudiciorum certamen scripsisse videatur. Sicubi vero in Grammaticis aut Rhetoricis praeceptionibus barbaras voces admiscet scholasticorum usu iam consecratas, non id auctori vitio tribuendum; sed egestati linguae ac rerum novitati. nam, ut ille ait,

Ornari rei ipsa vetat, contenta doceri.

Assidue conflictatus est auctor noster cum podagra, quae studiosorum hominum fida comes esse solet. Ipse pluribus in locis mentionem facit infensissimi huius morbi.

Quanto haberetur in pretio a Complutensibus, manifesto apparet tum ex stipendio non semel aucto, tum ex eo, quod ipse litteris consignatum reliquit in Epistola ad Andream Cuesta Episcopum Legionensem praemissa Orationi habitae in Doctoratu Theologiae Didaci Sobannii. nam quum inter causas edendae orationis illam numerasset, quod a perpaucis hominibus, ex innumerabilibus paeneque infinitis, qui ad Theologicae laureae celebritatem & ad eum audiendum convenerant, propter exilitatem vocis illo die auditus fuerit: „ Laborabam „ enim (inquit) tum podagra : quo sane morbo quum „ illigatis essem pedibus, sella, si non curuli, certe „ coriacea humeris hominum in theatrum suum evectus, „ quod nemini post conditam Academiam Compluten- „ sem, praeterquam mihi uni, contigisse aiunt. Eo vero „ tanta studiosorum iuvenum, & virorum gravissimo- „ rum eruditorumque multitudo confluit, quanta num- „ quam Complutum convolasse dicitur: ac nescio equi- „ dem, an plures olim Demosthenes auditores habuerit, „ quum in conspectu totius fere Graeciae pro Ctesi- „ phonte contra Aeschinem dixit.

Magnifice haec de se auctor praedicat, sed tamen vere, uti & illa, quae initio praedictae Orationis effert:

„ In-

COMMENTARIUS.

„ Ingenium (inquit) quod eloquentiae flosculis in hoc „ amplissimo theatro olim nituit, nunc veteri alacritate „ omnino amissa, hebes ac retusum sine viribus iacet. „ Illa postremo, quae me quondam apud vos saepissi- „ me dicentem commendarunt, vox suavis & canora, „ firma latera, vultus gravis & erectus, fulgura & to- „ nitrua verborum, quibus (quod sine adrogantia & „ invidia dicam) totum hoc theatrum commovere sole- „ bam, aetate & morbo deformata omnia conciderunt.

MATAMORI multi iique clarissimi viri cum laude me- minere. BENEDICTVS ARIAS MONTANVS, magnum Hispaniae decus & ornamentum, tum epigrammate iam lauda- to, tum ad calcem libri 2. Rhetor.

Numquid agas tanto, MATAMORE, orbatus amico.

ALFONSE, *o decus Hispalis, & mihi vita*

Cavior, & nostro mecum constrictae Catena.

ALVARVS GOMEZIVS lib. 4. *de rebus gestis FRANCISCI XIMENII*. atque alii, quorum testimonia post praefationem adducemus.

RODERICVS CARVS gentilis sui (fuit enim MATAMO- RVS aviae eius Catherinae Ximenez consobrinus) memo- riam hoc celebravit Epigrammate eruto e codice M. S. COMITIS DEL AGVILA superius a nobis laudati.

EPIGRAMMA.

Pacem umbrae requiemque tuae, MATAMORE, pre- Hispalis, auxisti qui Ciceronis opes. (camur, Doctos ipse viros tutasti doctus Iberos:

Tu quoque pro impenso munere munus habes.

Officium officio pensat tibi Bactis alumnus:

Manibus hoc gratum sit, MATAMORE, tuis.

c

Haec

COMMENTARIUS.

Haec habuimus, quae de rebus ad auctorem nostrum pertinentibus, diceremus. Nunc iam ad eius opera enarranda, quo sunt a nobis ordine in hac editione collocata, tandem deveniamus.

Agmen ducit Apologia pro doctis Hispaniae viris, cui primus sane locus debebatur. Edita est Compluti ex officina Ioann. Brocarii anno 1553. sub hac epigraphe, *Alphonsi Garsiae Matamori Hispalensis & Primarii Rhetorice Complutensis de adserenda Hispanorum eruditione, sive de viris Hispaniae doctis narratio Apologetica ad illustrissimum Vraniae Comitem.* Inserta est deinde ab ANDREA SCHOTO, viro plane eruditissimo, quique ex ANTONII AVGVSTINI numquam satis pro merito laudandi convictu non parum profecerat, volumini 11. *Hispaniae illustratae* pag. 801. sed paullulum immutata inscriptione, scilicet *de Academicis & doctis viris Hispaniae.* Lucem adspexit cum immortalis hoc opere, digno quod auctius & castigatius recudatur, Francofurti anno MDCIII. apud Claudium Marnium. RODRIGVEZIVS in sua *Bibliotheca Valentina*, vidisse se testatur hanc operam Valentiae recussam anno MDCLXXVI. apud Vicentium Cabreram demtis tamen iis, quae de stili duritie & vocibus quibusdam Latinae linguae adfectis IOANN. LVD. VIVI obiecerat MATAMORVS. Nos vero nusquam alibi mentionem occurrere huius editionis putamus, praeterquam apud Ios. Rodriguezium, quem penes sit fides.

Denique edita est auctoris Apologia una cum Rhetorica in hac urbe regia anno huius saeculi tricesimo sexto, curante Andrea Diez Navarro, dicataque est Gaspari de Molina supremi Castellae dicasterii praefecto, postea ad purpurae honorem evecto, bene longa epistola, sed insulsissima & plane barbara. Et, quod gravius est, Navarrus epistolas & operis praefationes integras omissit.

Scho-

COMMENTARIUS.

Schottus in Academias Apologiam omnem secavit. Nos vero etsi Schoti propositum non contemnimus, continuatam damus auctorem sequuti: id quod in causa etiam fuit, ut illius adnotatiunculas ad marginem Francofurtensis editionis appositas, missas fecerimus. Nam praeterquam quod levissimae sunt, & illuc fere omnes colligunt, ut auctorum loca, quos MATAMORVS in testimonium adducit, digito designent, noluimus alienos adsuere centones.

Quem ordinem in hac Apologia concinnanda servavit auctor, cognitu erit non iniucundum. Principio quidem Hispanorum laudes & egregia facinora bello paceque perpetrata, quae veterum scriptorum testimonio celebrata sunt, strictim persequitur: mox ad nostrorum ingenia ab exterorum morsibus vindicanda se accingit. Sed ut res alioqui obscurissimae clariori luce adfundantur, sic rem immensam lateque patentem temporum notatione distinguit, ut quando primum in Hispania natae litterae fuerint, quando auctae, quando florentes & ad humani ingenii perductae fastigium, quando omnia ingenia, quae lucem nostris studiis attulerunt, orta fuerint, ante omnium ponat oculos. Igitur initium narrationis suae ducit ab adventu Thubalis in Hispaniam. Deinde Baeto regi, & morum civilitatem, & artes ac disciplinas acceptas nos referre debere adfirmat: atque a Maia Atlantis filia, quae ab Hispaniae feminis ob insignem eruditionem divinitus honorata fuerit, *Maiæ* nomen & ritum ad nos derivatum. Sed quis non videt (ut hoc obiter moneamus) quam ridicule nugae hic agat MATAMORVS Berosum ac Xenophontem sequutus. Nemo, qui vel mediocriter eruditus sit, ignorat, Annum Viterbiensem huius nodi fetus e cerebro suo eduxisse. Quare nolumus in his confutandis & oleum & operam perdere.

COMMENTARIUS.

Non tamen mirandum, ALPHONSVM, virum alioqui defaecatissimi iudicii, & eruditionis non vulgaris, iis anilibus fabellis aures accomodasse, quum ipsi praecipui rerum nostrarum scriptores nobis os istis officiiis sublinere voluerint, ut gentis nostrae iacta augustiora facerent, quasi essemus aut fungi aut asini.

Deinde ad auctores descendit MATAMORVS, qui ab AVGVSTO ad ANTONINOS non sine ingenti Hispaniae laude floruerunt, sed temporum ordine vix ad amussim servato, nonnullosque viros insignes illos quidem praetermissit, quos adduceremus, nisi id plane cumulateque praestitisset eruditissimus NICOLAUS ANTONIVS in sua Bibliotheca, quo opere nullum neque melius neque utilius in hoc genere habetur. Non tamen disimulandum est, male a MATAMORO appellari *Victorium Statorium*, qui *Victor* constanter a SENECA indigitatur suassoria II. Nec praeteriri silentio potest, confundi *Lucium Senecam* cum *Marco* eius patre *Quintilianus* depressore: „ Quem errorem „ (verba sunt NIC. ANTONII in *Bibl. Vet.* vol. I. pag. 12. „ §. 43.) alio cumulavit vir disertus, quum existima- „ vit, declamatorem a Seneca contemptum habitum, A- „ franium Quintilianum esse, qui cum aliis in Neronis „ necem coniuravit. Nam praeterquam quod Quintia- „ nus iste, non Quintilianus appellabatur, & Senatorii „ ordinis erat, (quod de Quintilianis non legitur) quo „ tempore M. Seneca in CONTROVERSIIIS de Quintilia- „ no censuit, diem suum iam obierat. Afranius autem „ Quintilianus una cum Seneca filio Lucano & aliis per- „ duellionibus adversus Neronem reis, diu post M. Se- „ necae obitum supplicio fuit impensus. “ Hucusque ANTONIVS.

Ab ANTONINIS narrationis suae filium rursus ducens MATAMORVS, sensim delabitur ad felicissima tempora

FER-

COMMENTARIUS.

FERDINANDI & ELISABETHAE non litterarum modo, sed & Christianae religionis insignium propagatorum; quibus temporibus bonae artes, quae

Post varius casus, post tot discrimina rerum

longo situ ac rubigine, sophistarumque barbarie constupratae delituerant, reflorescere coeperunt, manum porrigente Cl. illo Toletanae ecclesiae Antistite & Patre purpurato FRANCISCO XIMENIO, Complutensis Academiae conditore. In cuius comendationem totiusque Hispanorum litteraturae dixisse sat erit, eo tempore prodiisse numquam satis pro dignitate laudandum opus sacrorum Bibliorum quatuor linguis expressum, Haebraica, Chaldaica, Graeca & Latina, studio & industria doctissimorum nostrae nationis virorum adornatum, sumtus suppeditante XIMENIO. Quo opere nullum vidit illa aetas elaboratius, nullum utilius ac magis necessarium.

Ad cultissima haec tempora delapsus GARSIAS, libere vagatur, ac Academas Hispaniae omnes recensens, doctissimos viros, qui olim apud illas florere, debitis maectat elogiis. Deinde quasi per saturam lancem eos adducit, qui sua & patrum avorumque memoria partim rhythmis illigati Hispanis, partim Italicis numeris, magis artificiosi quam suaves & canori, linguam nostram locupletarunt. Claudis opus lectissimum feminarum chorus, qui de ingenio & doctrinae laude cum Graecis & Latinis generose admodum certare potuisset.

Non prius hinc discedemus, quam ALOISIAE SIGFAE, feminae castissimae, Hebraicae, Graecae Latinaeque linguae peritissimae fama in tuto collocetur. Circumfertur enim eius nomine Satira vere Sotadica, sive dialogi flagitiosissima libidine exsecrandi, ac igne quam oculis hominum digniores. EMMANVEL MARTINVS ecclesiae Alonensis decanus, vir cum paucis nominandus, in

in

COMMENTARIUS.

in erudita praefatione in FERDINANDE RVIZZI VELLE-
GATIS poemata ab se edita doli artificem facit Ioan-
nem Meursium, quod fatus iste passim scriptus exstet,
Meursii elegantiae Latinae linguae. Sed Ioan. David Schre-
berus in Epistola ad Ioan. Albertum Fabricium, cuius
particulam adfert Herm. Sam. Reimarus in eius vita pag.
332. hunc partum adiudicat Ioani van Westrenio I. Cto.
Hagiensi. Verior tamen opinio est, auctorem illius,
qualiscumque putetur, Satirae non esse alium, quam Ni-
colaum Chorerium Senatus Gratianopolitani advocatum,
qui sex tantum dialogos ibi primum in lucem emisit:
alterum deinde adiunxit in editione Genevensi erroribus
operarum & multis & venia vix dignis misere defor-
mata. Atque hanc opinionem satis firmam esse apparet,
tum quod ipse *Chorerius* errores cuiusdam exemplaris
Genevensis, quod plures adspexere, manu sua emendas-
se perhibetur, tum quod duo illa carmina, quae in me-
dio opere leguntur, nec alium, quam cetera illius, aucto-
rem habent, alterum nempe *de laudibus Aloisiae*, alterum
Tuberonis Genethliacorum inscriptum intulit in suorum car-
minum librum unum MDCLXXX. Gratianopoli forma
12. a se editum. quo se ipse auctorem professus est qua-
dammodo *Chorerius*. Videatur Epistola Gallica *Lancelloii*
ad Iametum postridie kal. Iunii exarata anno MDCC
XXXVIII. insertaque tomo XXXII. *Observat. in scripta ve-*
centiorum, Paris. in lucem emisso anno MDCCXLIII. i-
temque *Io. FridERICI Menkenii de vero auctore libri famosi, A-*
loisiae Sigae Satira sotadica inscripti observatio in *Miscell.*
Lips. nov. vol. IX. parte 2. anno MDCCLIII. edita.

Vnum te monere visum est, lector erudite, prius
quam ulterius progrediamur, integrum de *Constantino Fon-*
tio damnatae memoriae auctore elogium hinc penitus era-
sum: quod aequi bonique consulas volumus. Fuit enim

Con-

COMMENTARIUS.

Constantinus homo vafer ac versipellis ex eorum numero,
: *Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt*. Nam scientia
sua inflatus detracta impudentiae larva, pestilentissimas
haereses profiteri est ausus. Egregie, ut solet omnia rem
narrat NIC. ANTONIVS. *Biblioth. Nov. vol. 1. pag. 196.*
,, Tot, inquit, vallatus (*Constantinus*) doctrinae atque ex-
,, istimationis ornamentis simul & munimentis, ne quis
,, altum sapere praesumat; sed potius timeat, sibi que a
,, se ipso caveat, in foedissimas haereses lapsus, dum in
,, custodia esset, brevi dicturus coram omni populo Hi-
,, spalensi, ut moris est, abrenuntiatae verae fidei caus-
,, sam, ipse sibi manus intulit, ne huic scenae se vivum
,, exhiberet: effugere tamen non potuit in cadavere vin-
,, dices flammis. Quod supplicium de eo sumtum fuit
,, Hispali anno MDLIX. de quo videndus *Ludovicus*
,, *Cabrera* in *Hist. Philip. II. regis. Hisp. lib. V. c. 3.* “
Sed cave, ne maculam aliquam auctori nostro temere in-
uras. Edita est enim Apologia anno MDLIII. quo tem-
pore *Constantinus* bene de religione sentire omnibus vi-
debatur, eaque erat apud omnes nominis sui existimatio,
qualem descripsit MATAMORVS. Nec aliter nos iudicare
sinit regii oratoris munus, quod tunc obtinebat. Sed
postea cum religione omnia illa animi ornamenta simul
amisit. Quod si tunc MATAMORVS scripsisset, non du-
bito quin hominem hunc diris devovisset, quemadmo-
dum ex ipso auctore evidenter probare possumus. Nam
in *de Meth. concion. cap. 19.* ubi eorum morem insecta-
tus est, qui non aliorum conciones imitantur; sed furan-
tur potius, & pro suis populo venditant; quamvis id
facilius fortasse permitti posse dicat, D. Augustinum se-
quutus, hominibus, qui & disertis sunt, & recte pro-
nuntiare possunt, subiungit; *Quod equidem nescio, an his*
temporibus tam libere ac frequenter fieri liceret, quam vix
in-

COMMENTARIUS.

Intelligamus, quibus fidendum sit: ita non parum multi evaserunt in haereticos, quos Catholicos credebamus. quibus verbis tacite deprimi crediderim Constantinum, Cazaliam, aliaque monstra.

Nunc quid de Apologia sentiendum sit, paucis videamus. Cl. vir GREGORIUS MAJANSIUS in elegantissimo Specimine suae Bibliothecae pagina 45. de auctore nostro loquens: „ Non pauci (inquit) viri docti multum debent MATAMORO, qui diligenter eorum nomina conservavit, & famam apud posteros propagavit luculenta Apologia, cui desunt notae criticae & historiae litterariae; ut iustius laudatorum merita cognoscantur, & ut prudentes lectores melius intelligant, an ille obtemperaverit consilio, quod ei dedit prudentissimus disertissimusque vir ALVARVS GOMEZIVS, cuius elegantem epistolam ineditam descripsi in Bibliotheca Regia ex eiusdem adversariis. “ Hucusque ille. Nos eandem epistolam a MAJANSIO eo loci expressam iterum hic damus, (quum raro Specimen reperiat) denuo cum archetypo collatam. Sic se habet T. III. p. 58.

MATAMOROS SOPHISTAE.

„ Alias ad te, vir doctissime, accuratius & longius scribam. Neque enim vulgarem aliquam epistolam requirit insignis benevolentia, qua me prosequeris, cuius significationem etiam si mihi multo ante cognitam ita verbis suavibus, elegantibus & illustribus proximis his litteris ostendis, ut denuo novum ardorem in me incitaveris tui perpetuo colendi, amandi, complectendi, exosculandi. Mirabar tam longum silentium, cuius causam si ante intellexissem, animum tuum mihi conciliasset, & totius consilii mei rationem fortasse non
„ poe-

COMMENTARIUS.

„ poenitentiam tibi viro prudentissimo dedissem. Sed hoc quoque in aliam epistolam per otium reservabo. „ nam hodie summo mane rem divinam facturo litterae tuae redditae sunt: sacer autem dies est, nempe Dominicus, & sub meridiem tabellarius discessum condicit.

„ Quod de libris tuis Rhetoricis petis, currentem incitas. id enim iam cum professoribus nostris agebam, utinam conatus succedat pro voto. Mihi rursus Sisyphus lapis volvendus est, & iterum cogor Graecae linguae rudimenta praelegere. Tibi viro doctissimo in animo esse memoriam virorum doctorum, quos Hispania nostra tulit, e situ & tenebris vindicare, mihi fuit multipliciter gratum: nam tibi nomen immortale paries, illos in lucem aeternam adseres. Tantum te pro nostra amicitia admonendum duxi, Lucio Marinaeo Siculo olim huiusmodi argumentum adgresso vehementer nocuisse, quod citra delectum ad nomen hoc paucissimis concessum indignissimos quosque admiserit. Iam vero quum de viris doctis scripta ipsa testificentur, quotusquisque ex nostris, obsecro, est, qui hac ratione innotescere curaverit; sed tu id melius pro tua prudentia considerabis. VALE. “

Pergit MAJANSIUS: „ Equidem si MATAMORVS sapiens GOMEZII consilium sequutus fuisset nullo modo incidisset in tot reprehensiones. Indoluerunt alii, propterea quod in illustrium virorum catalogo omissi fuerunt: alii quia frigide laudati: alii quia reprehensi: alii quia eorum inimici nimis laudati. Denique eiusmodi scribendi genus novum erat; & plerisque ingratis. Verum enim vero publica haec iudicia exercere eminentem postulat sapientiam, animum candidum & liberum, & fortitudinem maximam ad calumnias sub-
„ eun-

COMMENTARIVS.

„ eundas & perferendas. Expertus loquor. “ Hucusque vir doctissimus.

Nos non dubitamus, quin MATAMORVS, qua erat prudentia, sapiens GOMEZII consilium prae oculis habuerit, ac sibi proposuerit observandum, ceu epistolam Apologiae praefixam legenti statim apparebit. Nam scolopulos, ad quos frequenter impingere solent, qui eiusmodi tractant argumenta, si non omnes, at magnam saltem partem vitavit: effugere tamen non potuit malevolorum calumnias. Norunt omnes, adeo & difficile esse & periculosum de aliorum ingeniis, studiis & doctrina iudicium ferre, ut nullum id genus opus tam numeris omnibus absolutum reperiat, in quo non insit aliquid, quod iure queat reprehendi. Quare mirandum non est, MATAMORI Apologiam omnibus non adrississe. Auctor ipse non dubitabat, quin plurimorum reprehensionem incurreret. „ Nam docti (inquit) continuo certabunt de loco, & graviter ac moleste ferent, sibi alios praeferrere in ordine re-nuntiationis. Imperiti autem, quum se plane ignorent, „ tumidumque sit & adrogans hominum genus, quas „ non turbas & tragoedias movebunt, quum se in hoc al- „ bo non invenerint? quae dira nobis non imprecabun- „ tur? quae monstra & portenta non statim deprehen- „ dent in historia nostra? „ Ita auctor de opere suo o- minabatur. Ceterum maluit, optimo sane consilio, lucubrationem suam foras emittere, quam prae timore ab in- coepto desistere, ac tot Hispanorum ingenia silentio in- volveri. Itaque veteres omnes celebres viros, quos aut memoria repetita consequi, aut ex antiquitate ipsa crue- re potuit, brevissima est narratione persequutus, sine cuiusquam odio aut amore. Eorum autem, qui tunc vi- vebant, perpauca, sed insignes illos quidem, & quos citra fœdum invidiae crimen nominari licuit, magno ad- bi-

COMMENTARIVS.

hibito delectu adduxit. Quo factum est, ut nemo pru- dens non summis laudibus extolleret MATAMORI opuscu- lum gratesque ageret immortales ob adsertam Hispano- rum eruditionem. Si qui vero fuere, qui aut se praeter- missos, aut alios plus iusto, ut ipsis videbatur, laudatos aegre ferrent, clam adlatrasse contenti, querellas suas in vulgus spargere minime ausi sunt. Vellemus tamen eas scriptis mandassent, ut de earum merito iudicium ferre possemus. At quoniam nulla ad nos pervenit accusatio, frustra laboraremus in adornanda excussatione.

Superest nunc alius scrupulus eximendus. MAIAN- SIVS in specimine non semel laudato, pag. 43. in MA- TAMORVM calamum stringit, propterea quod de raro il- lo Valentiae miraculo IO. LVD. VIVE loquens, quem plu- ribus in locis impense laudat noster, scriptum reliquit in Apologia. „ Placuisset multo magis viris eloquentissimis, „ si ut multa diserte doctissimeque conscripsit, ita ser- „ monis innata insitaque duritia, & vocabulis quibus- „ dam Graeco Latinis, quae ad ampliandam linguam „ Latinam excogitavit, orationis gratiam non obscuras- „ set. “ Duo sunt, quae MATAMORO teste minus proban- tur eloquentiae amatoribus in VIVIS operibus, stili duri- ties & vocabula quaedam Graeco Latina. Ad prius acus- sationis caput, quod attinet, negari non potest, quin VI- VIS stilus, si cum CICERONIS, LIVII aut CAESARIS divi- no dicendi genere, ad quod nemo hactenus pervenit, comparetur, nonnihil ab eo distare, quod nec MA- IANSIVS inficiatur. Sed tamen adfirmare certo possumus, neminem reperiri facile posse, qui post renatas bonas lit- teras masculam illam eloquentiam, quae sit philosopho digna, feliciter expresserit. Quis enim tam nitide, tam comite, tantaque verborum maiestate Philosophiae ac Theologiae implicatissimas quaestiones non dicam exor-

COMMENTARIVS.

nare, sed ne pertractare quidem potuit? ERASMVVS ipse, qui in *Ciceroniano* suo *VIVEM* initio duriusculum reperit, epist. 101. lib. XIX. eum in nulla Philosophiae parte non supra vulgum eruditum dicit; tum in bonis litteris, atque etiam in dicendi scribendique facultate eo progressum adseverat, ut saeculo illo vix alium noverit, quem auderet cum illo comittere. sed de hoc alias copiosius. Restabat dicendum nonnihil de vocabulis quibusdam Graeco Latinis, quae *VIVES* excogitavit ad amplianda Latinae linguae pomœria. Verum hoc in loco reprehensione dignus non est *MATAMORVS*, quum non tam *VIVEM* sugillare, quam laudare videatur. In quo longe modestius se gessit quam *FRANC. BROCCENSIS*. Hic enim ad illa Horatii verba in arte Poetica, *Si Graeco fonte cadant*, acerbam exercuit censuram in *VIVEM*, quem iure merito defendit *MATANSIVS* in vita *SANCTII* pag. LXVI. §. LXIV. & seqq. solidis rationibus, ad rem nostram facientibus. Nos illuc lectorem relegamus, ut ad reliqua pergamus.

Scholia secundum sibi vindicant locum. Bis edita sunt, Valentiae primum. Sic se habet operis inscriptio: *Alfonsi Gartiae Matamori Hispalensis in Aclii Antonii Nebrissensis Grammatici quartum librum Scholia*. Ad calcem legitur: *Ioannes Navarrus excudebat apud Valentiam anno M.D.XXXIX*. Deinde repetita sunt Compluti, quum ibi iam *MATAMORVS* Rhetoricam profiteretur, sub hoc titulo: *Methodus constructionis, sive scholia in quartum librum Antonii Nebrissensis, mendis omnibus, quibus scatebant, diligenter repurgata, & in maiorem brevitatem contracta. Compluti ex officina Ioannis Brocarii. MDLIII*. Prior editio quot typhothetarum sphalmatis deformata prodierit, supra demonstravimus ex ipsius auctoris epistola, ad calcem Valentinae editionis appensa. Complutensis castigatior est; at non omnes sublatae sunt mendae, quae in illam

COMMENTARIVS.

illam irrepserant. Vtraque rarissima est. Valentiam obtinuimus beneficio ANTONII BARRII Graecis litteris non indocti. Nos & Valentiam & Complutensem inter se contulimus. Quae autem ex priori fuerant resecta, huc transferre non sumus gravati. Itaque uncis includi & stellularis distingui diligenter curavimus. Nec tamen in hoc putamus auctori nostro ullam fieri iniuriam, quod, quae sciens volensque praetermisit, ac veluti damnaverit, nos iterum in scenam producamus. Nam praeter quam quod plura egregia inde discimus, ut quo tempore Saetabim eo nomine venisset *MATAMORVS*, ut humaniores litteras edoceret; quae illius animi contentio, ut procul a mandatis ineptissimis nebulonibus, uni *NEBRISSENSI* scholarum fores paterent, nulla profecto causa apparebat, quare epistolae illae omitterentur, quum & elegantes sint & quovis pretio dignae. Nam quas in nos tragulas iecissent morosi isti hypercritici, qui patientius ferrent, oculum sibi erui, quam aliquid detrahi de veteribus scriptis?

CL. NIC. ANTONIVS utriusque huius editionis meminit in sua Bibliotheca, sed nec eas oculis umquam circumspexit, nec inter se contulit; ut ex eo coniecimus, quod, an *Scholia & Methodus constructionis* unum idemque essent opus, adserere non est ausus; quamvis, qua erat perspicacia & in iis discernendis acumine, subolfece-rit.

Conatus est hoc opere *MATAMORVS* optimam ascendendae Latinae linguae methodum a *NEBRISSENSI* traditam in Academiam Saetabitanam inducere. Terebantur omnium manibus illis temporibus Miravetus, Masparota, Pastrana, Alexander, Siso, Domenechus, Hartaletus, aliique eiusdem ordinis homines corrumpendis adolescentum ingeniis nati. Sed *ALFONSVS* celeberrimum Grammaticorum incitatus exemplo, quorum syllabum cal-

COMMENTARIVS.

calci attexuit primae editionis, (o) ANTONIVM NEBRISSENSEM Grammaticorum coryphaeum, eruditis scholiis illustravit, & Saetabitanis praeceptorem dedit. Ea siquidem NEBRISSENSIS laus est, neminem fuisse suo tempore, qui cum eo in re Grammatica de palma certare posset. Negari tamen non debet, quin post Nebrissensem maximos fecerit progressus res Grammatica, praesertim sub PETRO SIMONE APRILAEO ac FRANCISCO SANCTIO BRO-CENSI, Grammaticorum quum novorum, tum veterum facile principi.

Vt ad MATAMORVM revertamur, maiorem in adducendis veterum testimoniis & delectum & accuratorem desideramus. multa in eo inuenies ex sequioris aevi scriptoribus desumpta: plura prave exarata. Sed hoc non MATAMORO desidia aut ignorantiae tribuendum, sed corruptissimis editionibus, quas in consilium adhibuit. Quum vero nobis non constet, quas ille sequutus fuerit, camerinam movere religioni duximus, hoc tantum significasse contenti: praesertim quum tam varias diversasque lectiones tum ex libris in lucem quotidie prodeuntibus, tum ex manu exaratis deprehendamus, ut credere fas sit, nihil esse tam ridiculum, quod non confirmetur alicuius codicis fide. Et quamquam haec ita se habent, auctores in opere citatos evolvimus, ut adfectis locis medicinam feceremus.

Sequitur Rhetorica hac epigraphe in lucem emissae: *De ratione dicendi libri duo auctore Alfonso Garsia Matamoro Hispalensi & artis Rhetoricae primario professore in Academia Complutensi, Compluti.* Ad calcem subiicitur: *Excudebat Compluti Ioannes Brocarius idque visum approbatumque consi-*

(o) Ecce illum: Priscianus, Diomedes, Servius, Donatus, Aulus Gellius, Erasmus, Budaeus, Vives, Barth. Riccius, Ia-

cobus Spirensis, Hadrianus Card. Laurentius Valla, Perottus Sipontinus, Pellisson, Scobarus.

COMMENTARIVS.

silio & mandato admodum reverendi domini licentiatum Francisci Martinez in Toletana metropoli Vicarii moderatoris anno Christianae salutis quingentesimo quadragesimo octavo supra Millesimum mense Octobri.

De ratione dicendi libri duo iterum editi sunt, & a mendis veteris impressionis repurgati. Compluti. Excudebat Andreas de Angulo anno MDLXI. Sub finem haec leguntur: Vidit hos Commentarios de ratione dicendi Senatus Regius, exploratos probavit, & Typographis excudendi potestatem fecit ad Idus Octobris anno ab orbe redempto MDLX.

Consuluit MATAMORVS studiosorum commodis compendiarum ad eloquentiam viam velut digito indicando. Itaque Horatii illud,

Quidquid praecipies esto brevis, ut cito dicta

Percipiant animi faciles teneantque fideles,

EX ARISTOTELE, CICERONE ac praecipue QUINCTILIANO, summis huius artis magistris, & universam doctrinam, & singula paene verba desumens, duos hosce libros concinnavit miro rerum ac verborum delectu. Verum enim vero MATAMORVS, ne sua reddendis praeceptorum exemplis desideraretur industria, singulis caussarum generibus *declamationes* subiicit, breves illas quidem, sed quae ad iumentum nonnihil ad imitandum adferre possent adolescentibus parum in eloquentia exercitatis. Vnde meruit, ut anno MDLVIII. eius Rhetorica Compluti praelegeretur a licentiatum Roderico, qui alteram Rhetorices cathedram moderabatur. In studiorum methodo, quae superioribus annis sub Academiae Salmantinae nomine prodiit, una haec MATAMORI Rhetorica iuventuti proponitur addiscenda.

Perducta iam erat ad umbilicum MATAMORI editio, quum ecce tibi casu incidimus in exemplar Rhetorices editae anno MDLXI. quod possidet CLORGA. Evolvimus

COMMENTARIUS.

sedulo, repertique sunt ad calcem plusquam tercenti & octoginta errores notati. obstupuimus rei novitate perculsi, quoniam ne fando quidem huiusce rei ullus antea ad nos rumor pervenisset. Respiravimus tamen, bonoque animo esse coepimus, postquam collatis MATAMORI correctionibus cum exemplari a nobis in lucem emisso, comperimus, ex tot tantisque sphalmatis, undeviginti tantum remansisse, quae proinde stellula distinguimus in eorum syllabo. Hinc facile iam lector animadvertet, quantum a nobis laboris fuerit impensum in recognoscendis testimoniis ab auctore adductis, repurgandisque veteribus editionibus ab infinitis naevis, quibus scatent. Vtinam reliqua opera simili cura ab auctore emendata haberemus. Insunt enim plura, quae medicam adhuc manum desiderant. Nos autem nolimus in alieno opere videri ingeniosiores. Nunc epistolam auctoris damus castigationibus praefixam:

AD LECTOREM.

„ Legi, candide lector, hos meos de ratione dicendi commentarios Compluti nuper excussos: quos quum
 „ semel atque iterum evolverem, & oculis & mente diligenter lustrarem, eos (proh dolor!) non agnovi. Nam
 „ non solum a mendis veteris impressionis repurgati, ut initio huius operis pollicitus fui, in lucem non prodierunt; veram novis permultis contaminati corruptique
 „ erroribus nobis redditi fuerunt. Huius te casus nostri primum admonere debui, deinde faciendum putavi,
 „ ut quorundam locorum maxime insignium castigationes subiicerem, quos nulla sane ratione omitti sine correctione nostra & censura oportuit. Quare te,
 „ amice lector, hortor & obsecro, ut has castigationes, ut suo quaeque ordine notata sunt, ita transcribendas
 „ &

COMMENTARIUS.

„ & in margine exarandas quam primum suis locis cures.
 „ VALE. “

Ex hac epistola apparet, castigationes ab auctore editas fuisse aliquo tempore post evulgatum opus, multaque exemplaria distracta: quare adsui non potuere, nisi iis, quae supererant: unde mirum non est, si in nostro desiderentur.

Quum IOANNES SANCTACRUCIVS CARCAMVS ecclesiae Burgensis canonicus, versus suos, qui Compluti lauream meruerunt, ibidem anno MDLIII. vulgasset, parvo volumine (vix enim sex implent paginas in forma octuplici) dicatos ANNAE DE OSSORIO praestantissimae feminae, ac praeter sexum eruditae: MATAMORVS elegantem scripsit ad poetam epistolam una cum versibus editam, quae, quoniam forte fortuna in manus nostras incidit, dum haec scribimus, libenter hic subiicietur.

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS

Primarius Rhetor Complutensis ornatissimo viro

DOMINO IOANNI DE CARCAMO

Burgensis ecclesiae aeditimo primario

S. P. D.

„ Nae tu mihi videris, CARCAME doctissime, solus
 „ hoc tempore cruditorum antiquitatem cum Christiana
 „ religione coniungere. Nam quum VIRGILIVM pondere
 „ & maiestate carminis magna ex parte repraesentes, &
 „ HORATIVM ipsum numerosa quadam concinnitate coneris
 „ exprimere; illud quoque pie ac sapienter praestas,
 „ ut vera ac germana pietate versiculos perfundas,
 „ quos non putavit CATVLLVS posse molliri nisi lasciviae
 „ pernicioso condimento. Sed, si te audiret, non equidem
 „ dubito, quin esset e vestigio mutaturus sententiam.

COMMENTARIVS.

„ tiam. Sunt enim casti omnes, & partim, quum te vis
 „ attollere, heroica granditate sublimes, partim sine fa-
 „ stidio dulces, & sine libidine molles. Felix profecto es,
 „ qui tantum soluta oratione possis, & ligata valeas, quod
 „ paucis hominibus probe doctis, si praeteriti temporis
 „ memoriam revoces, contigisse inuenies. Bene vale, &
 „ puta me posthac fore in aere tuo. Pridie Idus Iun. Com-
 „ pluti, & domo nostra lucubratoria.

Anno MDLVIII. lucem adspexit *Oratio Alfonsi Gar-
 tiae Matamori Hispalensis habita in Doctoratu Theologiae or-
 natissimi viri Didaci Sobannos Academiae Complutensis Mo-
 deratoris.* in 8. Compluti ex officina Ioannis Brocarii. Ad cal-
 aem legitur: *Copiam facimus cuicumque typographorum Com-
 plut. excudendi hanc elegantissimam orationem eruditissimi
 viri Alfonsi Gartiae Matamoros, quae dum eloquentia pollet,
 nihil orthodoxae fidei institutionibusque catholicis adversa-
 tur. Dat. Complut. Die decimo secundo. Anno. MDLVIII. Do-
 ctor Balboa Vicarius Complutensis.* Oratio haec omnibus e-
 loquentiae luminibus instructa est, & qualis proficisci
 debuit a summo dicendi magistro. Sed nihil magis in ea
 eminet, quam libertas illa MATAMORO ingenita, qua u-
 sus est in officii sui munerisque admonendo Sobannio.

Rem non ingrati facturi videmur, si heic interse-
 ramus elegantem ALFONSI epistolam Hispanice exaratam
 ad eruditissimum virum HIERONYMVM ZVRITAM, in qua
Annales rerum Aragonensium, opus numeris omnibus ab-
 solutum, impense laudat. Edidit inter alias doctissimo-
 rum virorum epistolas DORMERIVS in opere: *Progressus
 de la historia en el Reyno de Aragon*, pag. sic se habet.

MVI

COMMENTARIVS.

MVI MAGNIFICO SEÑOR.

„ Yo recibi la de V. M. i con ella mui grande contenta-
 „ miento i merced, por saber de la salud de V. M. i por
 „ la relacion que V. M. me dio de algunas cosas que de-
 „ seaba saber, aunque la memoria del Arcediano de
 „ Ronda ofendio mis orejas por su gran envidia. *Qui a-
 „ liorum beneficia ferre non potest*, como dice Dion Chry-
 „ sostomo, *fert aliquando pretium stultitiae suae*: porque
 „ los detractores e envidiosos nunca carecen de fines des-
 „ astrados. Dios le de gracia, para que aprehenda a ha-
 „ blar bien. Si yo fuere a Madrid, yo tendre manera co-
 „ mo hablalle, i sin que sienta de donde le viene, le dare
 „ a entender su error i mala condicion. Tambien quan-
 „ do fuere a hablar al señor Secretario Erasso, el qual es
 „ mui grande señor mio, porque tuve un hijo suyo en
 „ mi casa, quando el señor Miguel Zurita tambien era
 „ mi pupilo, yo tratare del libro de V. M. i de lo que
 „ su Magestad debe a V. M. por los *Anales* que escribio.

„ De salud me va mejor, bendito sea N. Señor Jesu-
 „ Christo. Es verdad que el hibierno passado estuve mui
 „ enfermo de gota, que me dio harta molestia. Estos se-
 „ ñores Alvaro de la Quadra i Geronymo de Icis estan
 „ buenos: i ellos escribieron a V. M. en Latin el camino
 „ passado, no con intencion de que V. M. les respon-
 „ diesse en Latin (que harta merced les hacia en escri-
 „ billes en Romance) sino por mostrar a V. M. que han
 „ estudiado i aprovechado.

„ En lo que V. M. me dice, que de su voto no salie-
 „ ran sus *Anales* en publico, ni se divulgaran, siempre
 „ vi que los grandes ingenios nunca se contentaron de
 „ sus obras. Bastara Virgilio por exemplo que mandaba

62

„ que-

COMMENTARIVS.

„ quemar su Encida. V.M. tenga por cierto, que hizo un
 „ gran servicio, no solamente al Reyno de Aragon, pe-
 „ ro a toda España. I no se yo, que otra persona pudie-
 „ ra salir con la empresa tan bien, como V. M. salio.
 „ Los *Anales* se han recibido con aplauso de la gente doc-
 „ ta i de la vulgar. I mientras mas fueren ganando anti-
 „ guedad, en mayor estima seran tenidos: ni sera parte
 „ esse Zoilo, para descantillar ninguna cosa de la fama i
 „ gloria del autor. Ya sabe V. M. que dende Homero a
 „ nuestros tiempos ningun hombre docto huvo, que no
 „ tuviesse su alguazil, i por esto sufra el azote comun
 „ de todos los hombres sabios, que en ingenio i letras se
 „ aventajaron a la gente comun. La priessa del requero
 „ no me dexa ser mas largo. Suplico a V. M. mande em-
 „ biar essas cartas a mi señora Doña Violante. Nuestro
 „ Señor guarde la mui magnifica persona de V. M. De
 „ Alcala a 3. de Julio de 1564.

Scrvidor i capellan de V. M.

EL MAESTRO MATAMOROS.

Anno MDLXX. magno omnium emolumento in lu-
 cem prodiit opus sic inscriptum: *Alfonsi Gartiae Mata-*
mori Hispalensis & Rhetoris primarii Academiae Compluten-
sis de Tribus dicendi generibus, sive de recta informandi stili
ratione commentarius: cui accessit de Methodo concionandi
liber unus eiusdem auctoris ad illustrem & doctissimum vi-
rum Gartiam Loaisam Gironem Doctorem Theologum & Archi-
diaconum Carracensem. Eloquentia est una de maximis
virtutibus. Compluri ex officina Andreae de Angulo. in 8.

Elegantissimum de stilo formando commentarium ag-
 gressus est auctor quatuor mensium inducias a podagra
 nactus, quae illum iam annos continuos decem mi-
 ser-

COMMENTARIVS.

serrime excruciauerat. Proposuit sibi auctor fusius & e-
 nodatius ea, quae Cicero in libro de perfecto *Oratore* dis-
 putata reliquit, studiosis eloquentiae adolescentibus ex-
 plicare. Itaque brevi illustravit mira verborum elegancia
 tria dicendi genera a Cicerone constituta. Extremo capi-
 te de Ciceronis imitatione quaestionem instituit: „ In
 „ qua quidem discernenda & meam ipse (inquit) inter
 „ tot praestantes & illustres viros interponam sententiam,
 „ quod citra ullam aut adrogantiae, aut ostentationis su-
 „ spicionem mihi videor posse facere, quod annos iam
 „ circiter viginti septem, Compluti, id est, in ceber-
 „ rimo totius Hispaniae teatro, eloquentiam professus
 „ fuerim. “ Pro coronide brevem quamdam viam imi-
 tandi Ciceronis iis praescribit, qui se totos huius elo-
 quentiae principis studio & imitationi addixerunt.

Superest libellus *de Methodo concionandi* una cum su-
 periori editus. MATAMORI studium eo collimat, ut to-
 tam concionandi rationem ad veterem orandi metho-
 dum, qua Graeci Latinique oratores usi sunt, referat.
 quare priori loco ingressus est de optimo dicendi ge-
 nere, de formandaque eloquentia scribere. Denique con-
 cionatores, qui ad summam dicendi laudem adspirant,
 monet, ut se totos Demostheni & Ciceroni, atque
 aliis Graecis Latinisque auctoribus addicant: in qui-
 bus post Divinae Scripturae, Sanctorum Patrum saepe
 repetita volumina, omne suum studium operam & di-
 ligentiam ponant exemplo IVSTINI MARTYRIS, GREGO-
 RII NAZIANZANI, BASILII MAGNI, IO. CHRYSOSTOMI,
 CLEMENTIS ALEXANDRINI, EVSEBII, CYPRIANI, TER-
 TVLLIANI, ARNOBII, LACTANTII, AVGVSTINI, HIERO-
 NYMI, qui cum religione Christiana ethnicorum litteras
 atque eloquentiam coniunxerunt. Videant ergo nunc,
 qui concionandi muneri longe gravissimo se accingunt,

Quid

COMMENTARIUS.

Quid ferre recensent,

Quid valeant humeri.

Duo huius operis postrema capita immane quantum suat utilia. disputat altero de eloquentia divi Paulli ex CHRYSOSTOMO atque AVGVSTINO; in altero, de usu describendi alienas conciones.

Hucusque MATAMORI opera, quae in lucem prodierunt. Ipse auctor trium meminit Orationum in *de ratione dicendi*. Prima *de Laudibus regis Davidis* scripta est Valentiae. (vid. pag. 296. nostrae edit.) Altera Compluti, quum ibi MATAMORVS publicis scholis eloquentiam profiteretur. (p. 262.) Tertiam exaravit pro celebrandis publica concione Burgis. (p. 284.) Sed quum nusquam iuris publici factas sciamus, credere est ineditas remansisse. Maximo ergo nos obstringet beneficio, quisquis eas nobiscum communicaverit; ni forte, quae sors esse solet praestantiorum lucubrationum, deperditae sint.

Atque haec de vita & scriptis ALFONSI GARSIAE MATAMORI dicta sunt.

IVDICIA DOCTORVM VIRORVM

DE ALFONSO GARSIA MATAMORO.

ALVAR. GOMEZ. DE REB. GEST. FRANC. XIM. LIB. IV.

Huic muneri, Francisco Fontinovilla rectore, anno XLII. ab Academia condita, ALFONSVS MATAMORVS Hispalensis, primum est praefectus, vir multiplici eruditione, & Latini sermonis puritate excellens, ut ex libris, quos hactenus edidit, omnes intelligunt. Hic unus, ni cum podagra aliisque morbis adsidue luctaretur, potuit & eloquentiae studia mirum in modum provehere, & Academiae nostrae multo maiori esse ornamento.

Andreas Schot. Biblioth. Hisp.

Rhetor hic Compluti claruit facundia, deque *dicendi ratione praeceptiones* non viva modo voce reliquit, sed quo posteritati vivus etiam interesset, atque a funere superstes maneret, scriptis etiam mandavit lib. II. Edidit & *de formando stilo* atque adeo *de instituendis concionibus* opusculum. Denique *de Hispaniae Academiae litterarumque viris* apologeticum pro adserenda Hispanorum eruditione ad M. Tullii in Bruto, qui de claris est oratoribus imitationem composuit. Nefas itaque duxi silentio hic eum praeteriri, quin praedicatione dignum ac laude, qua cives ille suos disertim ornasset. Senex articulari morbo est conflictatus: :: dicendi tamen gloria cum aequalibus, in his Ambrosio Morali collega, contendisse in theatro est visus. In eius laudem Benedictus Arias Montanus Hispalensis & ipse hic lusit, *cer.*

Aubertus Miraeus in de scrip. eccles.

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS, Hispalensis, artem Rhetoricam Complutensi in Academia docuit; & *de ratione dicendi praeceptiones* non viva modo voce reliquit; sed

IVDICIA.

sed quo posteritati vivus quasi interesset, scriptis etiam mandavit. Edidit & *de formando stilo*, atque adeo *de instituendis concionibus* commentarium. Denique *de Hispaniae Academiis*, litteratisque viris Apologeticum pro adserenda Hispanorum eruditione (ad imitationem Marci Tullii in Bruto, qui est de claris oratoribus) composuit. Senex articulari morbo graviter vexatus fuit: dicendi tamen gloria cum aequalibus, in his *Ambrosio Morali*, collega suo, contendit.

Cl. Nic. Ant. in praefatione praefixa Bibliot. Hisp.

Multus iam sum in prima huius praefationis parte, quum satis fuisset forsitan ac opportunius ad ea, quae de Hispanorum eruditione olim diseruit ANDREAS (*Alfonso*) GARSIAS MATAMORVS, vir eloquentia & iudicio clarus, nihil adiungere, aut saltim Apologeticam eius narrationem elegantissimam exhibere hic nostrarum nugarum loco. Sed plane is indicta reliquit multa, & saeculo integro nos posteriores sumus, quod quidem feracissimum litteratorum hominum aequae ut superius fuit: praestatque nobis quodammodo propriis uti, quam admovere aliena, ne comparatione meliorum, fucatae veluti lanuae ad purpurae conspectum, nostra evanescent atque emoriantur.

Idem in Bibliot. nov. vol. I. pag. 19.

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS, Hispalensis, atque in patria, ut audio almae sedis canonicus; vir multa eruditione, Latinique sermonis puritate percelebris, ni cum podagra & aliis infirmitatibus adsiduo esset conflictatus, in his utique, quorum egregia sunt ornatae dictionis apud nos merita, non ulli facile postponeretur. *Ornatum praenobili, candida, rotunda, & numerosa eloquentia, eruditioneque non contemnenda* Iacobus Gaddius in opere suo *de script. non ecclesiast.* aestimat eum, Antonii Nebrissensis laudens ducem. *Cetera vide apud eumd. Nic. Ant.*
Ro-

IVDICIA.

Rodericus Carus in opere M. S. quod Hispali adseruat comes Aquilae. *De Los claros varones en letras naturales de esta ciudad de Sevilla*, p. 32.

Defendio. (*MATAMOROS*) a toda España contra la calumnia de algunos estrangeros, que ofendidos, o envidiosos de su glorioso i temido nombre, alabando las proezas de sus invencibles armas, culpaban los ingenios, como si fueran de los Scythas, o Garamantas. A tan injusta calumnia se opuso valerosamente ALONSO GARCIA MATAMOROS, imitando a Ciceron en su Bruto por los ilustres Oradores, no solo en la eloquencia, sino tambien en la felicidad del intento. Havia adquirido, aunque muy mozo, tanto nombre en toda España de su ingenio i eloquencia, que la Universidad de Alcalá de Henares le convido con la cathedra de Rethorica, enviandole a llamar con oferta de mayores Premios: Tuvo particular amistad con ARIAS MONTANO, etc.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

IN COMMENTARIIS. In Epigrammate. ROD. CARI VENS. 1.
& 2. lege *præcarur* *Hispanis*. In APODOGRA. p. 15. lini.
7. Qui: 20. 15. *imperatoris*. 28. 13. *fascies*. 41. fin. & i.
seq. *facta*. 52. 7. *postponendos*. 77. 11. *Carraca*. IN SCHO.
LIIS. 127. 5. *quoad*. 129. 2. *pari modum*. ibi 25. & 27.
quum. 151. 4. *deest* * *post me*. 154. ult. *Item*. 183. 5.
Copiosus. Solinus: *Ager*. 193. 5. no-204. vlt. *quotenis*, *quo-*
tenus, & sic alibi 207. 4. *quotenus*. 217. 7. *reliquis*: ibi
9. *po-* IN RHETORICA. 241. 15. *earum*. 260. 7. *est valat*.
263. 20. * *post carminibus* adde *figit*. 280. ult. ad-288.
1. * *propiores*. ibi 11. * *visai*. 301. 18. * *hae*. 306. ult. *
plebi. 312. 12. * *benevolentiam*. 313. 3. * *Ego*. 321. 3.
* *quidam*. ibi 21. * *alias*. ibi 23. * *haec*. 323. 13. * *quin*.
331. ult. * *ingenuo*. 339. 23. *miserordiam*. 340. 17. *
dissimulationem. 344. 5. * *illi*. 351. 10. * *quidam*. 355.
13. *retinet*. 365. col. ult. *Bonitas*. 368. 15. * *multae*.
369. 14. *praeferrî*. 372. 19. *praeteriens*. 378. 15. *inve-*
nerimus. 385. in marg. *EVSEBIVS*. 387. 6. * *quoddam*
391. * *aviditatis*, * *reditus*. 401. 2. * *crudele exitium*.
407. 16. *quoddam*. IN DE FORMANDO STILO 429. 18. *fide*
ac turcla. 432. 4. *continuos*. 437. 7. *referrent*. 450. 17. *e*.
loquentiae. 451. 3. *aut* 471. 7. *quum*. 479. 11. *eloquen-*
tia. 495. 9. *quae* 502. 16. *dultos*. 527. 15. GIRONI. IN
DE METHODO CONCIONANDI. 541. 9. *quum*. 559. 19. *Ma-*
ximus. 563. ult. *dicit*. 617. 24. *Berhsabee*. 646. 4. *colle-*
ctas. 648. 6. *dilatantiae*. 649. 3. *desumptam*. 655. 26. *dicio-*
ni. 669. 22. *quum*. 671. 19. *dignor*.

Reliqua errata sive tyrographi, sive auctoris, sive et-
iam nostra, benignus lector condonabit.

AL-

FRANCISCI GVMETII

*Liberalium artium magistri, & Collegae etiam Theologi
in laudem auctoris.*

EPIGRAMMA.

*Adserit in lucem invidiosa nocte sepultos
Haftenus Hispanos, gloria Henare tua.
Grande opus atque novum & tam docto pectore dignam,
Quale olim ingenis Graecia clara daret.
Quam graviter aevos! qua dexteritate reponit
Quemque loco merito! quam sua cuique refert!
Iam vero explora vires, expende lepores,
Fulmineum Periclem dulce tonare putes.
Si tales foveas Complutum sacra patronos,
Vicisti: in te tunc compluet omnis honor.
Desine Ramiros flere, & deslere Petreios,
Cunctorum hic alter Tullius instar erit.*

HEXASTICON GRAECVM.

*Σήμερον εὖγε κρότει ποσὶ τε ἀμφοτέροισι, σὺ γὰρ γήθη
Ἐσπερία μάχιμη, πλήρεα πάντα κρότου.
Ὅτι νῦν ἡ νότι' ἰσθαλις ἀνδρα μέγιστον ἔδωκε
Μουσαῶν τε κλεος, καὶ χαριῶν μὲν ἔδραν.
Τοῦτον ὁ φοῖβος ἀλεξιχακος πέμψ' (ὡς με πεπεῖσθαι)
Ῥήτορα κῆς ἐς φῶς σβεννουμένης, κρότει.*

IDEM LATINE.

*Euge hodie pedibus pariterque Hispania plaude
Bellatrix: age, sint omnia plena iocis.*

Εἰ-

*Hispalis Australis magnum tibi misit alumnus:
Musarum decus est, est Charitumque domus.
In lucem extinctae a Phoebæ pulvere malorum
Rhetoricæ datus est: eia age, plaude tibi.*

MICHAELIS VENEGAS, ABVLENSIS,

In Academia Complutensi liberalium artium magistri, Collegae etiam Trilinguis, in commendationem operis

EPIGRAMMA.

*Eia age qui quondam plena velut ampe fluebas,
Hibernas referens, quum loquerere, naues:
Eloquii phaleras, veteres omitte colores,
Iamque aliquid maius concipe, magne pater.
Maius opus molire alia, nova carbaxa tende:
Aequoreas sulcet iam tua puppis aquas.
Talibus orabat Matamorum culta iuventus,
Flexamina in castris quæ, mores aera Deæ.
Ille tamen precibus placidas accommodat aures,
Et similes dulci promit ab ore sonos:
Ille ego qui nuper rupra quasi nube tonabam,
In cuius labiis flava Minerva sedet:
Ille ego, cui varios peperit mea Musa libellos,
Qui multas onerant non sine laude manus:
Gentis, Ibere, tuæ paucos commendo rogatos:
Arma iuvant alios, est mihi gratæ toga.
Dixit: & hunc subito per Baeticæ Tempe libellum
Ad Tartessiacum iussit abire Deum.
Vade per hostiles, nihil & vereare, cohortes:
Per varias igitur perge, libelle, vias.
Si pater ipse tuus sese retulisset in album,
Nullum fama aliud iam loqueretur opus.*

AL-

**ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
DOMINO IOANNI TELLEZ GIRON
VRANIAE COMITI
ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS
HISPALENSIS**

**SALVTEM ET PERPETVAM FELICITATEM
PRECATVR.**



VVM superiore aestate Hispali decedens Ossunam venissem, eoque me diutinum & incredibile quoddam videndi novam Academiam desiderium attulisset, nihil mihi potius fuit, quam ut te convenirem, Comes Illustrissime, bonarum litterarum vindicem & patronum. Ad te quum veni, ea me complexus humanitate es & benevolentia, ut in fortuna longe dispari parem prope locum tenuitas nostra invenerit. Nam primo congressu multis ultro citroque habitis, quæ excelsi generosique animi tui manifesta signa praestiterunt, sermonem de studiis humanitatis peropportune excessisti, quem tanto verborum flumine & sententiarum subtilitate in multas horas protraxisti, ut nullam ego tum rem aliam in illa disputatione Socra-

A

ti-

tica magis desiderarem, quam coronam & iudices.
 Mirabar equidem incidisse me in principem philo-
 sophum & rhetorem, qualem Hispaniae gymna-
 sia multis abhinc annis neminem ex loco isto &
 ordine tulerunt. Vbi vero dimissus tuo conspectu
 & colloquio sum, Academiam omnem perlustravi,
 xenodochium praeterea, & se erigentia in caelum
 celeberrimi fani epistylia: quatuor postremo mona-
 steria inuisi, in quae amplissimas Geryonis opes
 (cuius te sanguine, longissime repetito stemmate,
 quidam procreatum ferunt) pietate simul & amo-
 re litterarum inflammatus profudisti. Haec & alia
 quamplurima magni principis monimenta te mihi
 e vestigio in caelo collocarunt, & inter illos viros
 clarissimos retulerunt, qui studia quondam doctri-
 nae cum vera religione coniunxerunt, coniunctam
 amplificaverunt, amplificatam in memoriam posterita-
 tis gloriose conservarunt. Neque enim res alia Con-
 stantinum effecit magnum, quam gratuita illa bono-
 rum profusio in Romanam Ecclesiam: neque Pho-
 cas imperator alio nomine bene praeclareque audi-
 re coepit, quam quod alii in thermas, colossos, py-
 ramides, basiliscos & insana illa aedificia, quae olim
 celebravit antiquitas, consumserunt, hic in divorum
 basilicas, sacras aedes, templa valetudinaria plene
 prolixèque impendisset. Tantam vero hanc religio-
 nem, tam inusitatam inauditamque pietatem tu ex
 tot

tot principibus unus consopitam iam & paene mor-
 tuam his temporibus suscitasti, non modo templis
 Ossunae magnificentissime aedificatis, sed nova quo-
 que constructa Academia, ad quam ex tota Baeti-
 ca & utraque Hispania innumerabiles gentes & na-
 tiones tamquam ad mercaturam bonarum artium
 certatim convenirent. Bello enim Granatensi cla-
 rissimi maiores tui, profligatis in Baetica Mauris,
 contritis ac domitis Christiani nominis hostibus,
 prima fidei semina in his terris ac regionibus pro-
 seminare coeperunt, quas tu maxima tua gloria, &
 illorum immortalis virtute ac fama tenes. Sed quum
 Arabes, qui in ditionem nostram ac potestatem
 venerant, nondum legibus, nec iure certo, neque
 satis firma religione nobis devincti essent, pie ac
 sapienter putasti, non aliter illos in pietatis offi-
 cio contineri posse, quam si depositis armis, quae
 annos circiter octingentos numquam ex Hispanorum
 manibus exciderant, ad caerimonias, divorum cul-
 tum, sanctitatem, disciplinarum studia, iam metu
 liberata Hispania, converteres. Haec mihi & alia per-
 multa intuenti, ipsarumque rerum magnitudine sus-
 penso & attonito, nescio qua imprudentia mea, nisi
 motus ille fortassis divinus fuit, subito insedit ani-
 mo, libellum, quem *De Viris Hispaniae doctis* com-
 mentabar, Illustrissimo nomini tuo consecrare, ne-
 que consideranti quid promitterem, neque cui de-

num essem lucubrationes meas dicaturus, attendenti. Nam si initio, quum integrum erat, diligenter accurateque animadvertissem, quam & difficile & periculosum esset, de aliorum ingeniis, studiis & doctrina iudicium ferre: quam rursus audax & temerarium, alienas velle metiri virtutes, expendere dotes, librare vitia, aestimare cuiusque litteras, cum aliorum conferre, statuere modum naturae, terminare cogitationes liberas; numquam equidem cum tam multis viris eruditis in hoc equo Troiano includi voluissem. Sed emissam semel vocem revocari non licet: neque fas esse arbitror, non praestari magnitudini tuae, quod sponte nostra sumus polliciti. Habeo tamen auctores quamplurimos, quibus hanc audaciam meam tueri, & reprehensionem, si quam incurrerem, propulsare possim: nam nec hoc novum est, quod agredi paramus, nec a me primum inventum: neque vitio quidquam dari debet, quod bene ac praeclare fieri possit. Dialogum composuit Marcus Tullius *De claris Oratoribus*, quam incorrupto iudicio Deum immortalem! quanta eloquentia! quanto ingenii lumine! iurares sane, Illustrissime Comes, aut unum illum omnium aetates vixisse, cum singulisque fuisse loquutum; aut cunctos Graecos & Latinos, qui ex eloquentia nomen sunt adepti, Romam ad conventus vocasse, ubi de cuiusque natura & ingenio tam perfectum & consummatum iudicium ferret.

Hunc

Hunc imitatus Fabius Quintilianus, quas non ingenii & doctrinae opes ostentavit, quum libro decimo *Oratoriarum Institutionum* omnia scriptorum genera divina censura percurreret? Quid huius discipulus Plinius? nonne ex eo laudem promeruit, quod nullam foedam iniuriae notam his inusserit auctoribus, quos scriptis suis illustrabat? Hieronymus vero & Gennadius, & longo post tempore Ioannes Trithemius non sic *De Viris illustribus scripserunt*, ut neminem sua gloria defraudarent? Mitto Erasmus, Raphaelem Volaterranum, Paullum Iovium, Lilius Gyraldum Ferrariensem, qui nostra & patrum memoria, editis elegantissimis libellis de iudicio clarorum virorum, laudem sine invidia invenerunt & amicos pares. Quamquam dicam hoc loco libere quod sentio, Comes Illustrissime, ut si quam voluptatem horum nonnulli male de aliis iudicando acceperunt, recta aestimatione nostra & iudicio statim amittant. Erasmus Roterodamus, quis non novit, quantum sempiterni odii & invidiae numquam intermoriturae sibi conflaverit Dialogo suo *Ciceroniano*? in quo, praeterquam quod multorum mores, ingenia & eruditionem nudavit, a falsa etiam & simulata Ciceronis imitatione, quam se plerique consequutos stulte adroganterque putabant, exacta quidem & iusta censura deiecit. Nam Paullus Iovius & Lilius Gyraldus Ferrariensis in multis mihi

non

non probantur. Quis enim aequo animo ferat, tantum virum, quantus omnium eruditorum iudicio fuit Erasmus, inter Germanos Latinum, & inter Latinos Germanum censi a Lilio Gyraldo Ferrariensi? Praetereo alia non parum multa: quae, quia sine iudicio effusa sunt, censuram nostram non merentur. Alios permultos nominarem, nisi viderem iam de faece haurire, qui sine ingenio & doctrina, obscuro ipsi quum fuissent, de viris illustribus pueriles commentarios ediderunt. Cui enim risum non excitarunt Lucius ille Siculus Marinaeus, & nuper grammaticulus quidam Pincianus, qui inter claros & illustres Hispaniae viros, sordidos & triobolares etiam grammatistas retulerunt, quos nullum unquam ad doctorum numerum pervenisse constat. Tales equidem scriptores gravius ego peccare puto, quam qui de eruditorum fama & comparata existimatione egregium aliquid morose detrahunt. Siquidem infimos homines qui longius supra ordinem suum & gradum attollunt, ut aliud nihil admittant criminis, hoc certe malae gratiae ineunt, ut & sibi fidem derogent, & doctis iniuriam faciant, & illos ipsos quos temere evexerunt, misere ac foede ridendos propinent. Quare hoc arduum & difficile quum sit, de viris doctis historiam conscribere, timeo quem eventum habitura sit haec mea *De adserenda Hispanorum eruditione Apologetica narratio*. Nam docti continuo certa-

tabunt de loco, & graviter ac moleste ferent sibi alios praeferi in ordine renuntiationis. Imperiti autem, quum se plane ignorent, tumidumque sit & adrogans hominum genus, quas non turbas & tragoe-dias movebunt, quum se in hoc albo non invenerint? quae dira nobis non imprecabuntur? quae monstra & portenta non statim deprehendent in historia nostra? Haec me sane cura vehementer angere & sollicitaret, Magnanime Comes, si aut te non summum & perfectissimum iudicem huius quaestionis constituerem, aut plus privatis amicorum adfectibus indulgendum esse putarem, quam aequitati, religioni, fidei, consilio: aut non illam iam pridem Luciani sententiam toto essem complexus animo, *αβασιλευτον, ανομον, απολιν*, historicum esse oportere. Igitur veteres omnes celebres viros, quos aut memoria repetita consequi, aut ex antiquitate ipsa eruere potui, brevissima sum narratione persequutus. Quorum & ingenii varias multiplicesque dotes, tum virtutes reliquas innumerabiles, & his contraria vitia, quae aut laudem generi, & decus familiae constituere, aut ignominiam contra & infamiam adferre, sine cuiusquam odio aut amore narraui. Eorum autem, qui nunc vivunt, perpaucos, sed insignes illos quidem, & quos citra foedum invidiae crimen nominari licuit, oratione mea cohonestavi; ne deprecandae scilicet invidiae causa turpiter magis quam ho-

honeste tacuisse viderer. Itaque Magnitudo tua recipiat ex tenuitate ingenii mei breve hoc & exiguum munus, obsidem alicuius magnae & elegantis historiae, qua res tuas pro litteris ac religione praeclare gestas, si prosperiori salute usi fuerimus, te iubente, celebrabimus. Servet Deus Optimus Maximus Illustrissimam vitam tuam. Compluti.

DE

DE ADSERENDA
HISPANORVM ERVDITIONE
SIVE
DE VIRIS HISPANIAE DOCTIS
NARRATIO APOLOGETICA.



ES Hispanorum bello paceque gestas cum plerique nostrorum hominum, tum ex Graecis Latinisque non pauci memoriae prodiderunt. Omnes vero incredibili studio propagandi famam gentis nostrae scripsisse videntur, ne tot ingentia facta silentio praetermissa iacerent in obscuro, quae Hispaniae nomen sempiternum, & posteris magnum virtutis documentum essent adlatura. Hi memorabiles victorias, nobiles triumphos, facinora, nec pauciora quam Graeci, nec minora quam Romani fecerint, referentes, Hispanorum indomitam ferociam, invictos animos, virtutem bellicam immortalis praeconio famae ad memoriam posteritatis consecrarunt. Egregie quidem facturi, si ut res bellicas scriptis suis illustrarunt, ita ingeniorum monumenta, artes & disciplinas, ex quibus non minor laus, quam ex bellis gloria in nationem nostram esset redundatura, in historiam etiam contulissent. Verum in tanto scriptorum numero

B ne-

nemo post tot saecula exstitit, qui cum horrore illo militari doctrinae cultum, cum ferocia humanitatem, cum studiis belli otia pacis voluisset attingere; ratus fortassis facturum se satis Hispaniae nomini, si fortes & invictos Hispanos, ac non perinde doctos & humanos demonstraret. Hac socordia & neglectione tanta commissum est, quod erat indignum gente totius orbis praestantissima, ut barbariae macula inusti Hispani inter feros & immanes Scythas numerarentur, famaue foedissimae notae latius in dies propagata, per multas annorum aetates exterarum gentium inveteratam opinionem animis revelle-
re minime possent. Hanc persuasionem augebat, quod iam inde ab heroicis temporibus continuis occupata bellis Hispania, in quam variis se fortunae casibus, diversisque studiis cunctae propemodum orbis nationes effudissent, nec litteras colere, nec disciplinas capessere, nec ad ingenii lumen adspirare umquam valuisset. Nam fuit quondam Hispania certa destinataque fortium bellatorum arena, & publicum contentionis curriculum, ubi non de Helena illa tamdiu Graecorum Troianorumque expetita armis certamen erat, sed de pulcherrimae provinciae possessione, quam primum Iberi, Persae, Phoenices, Graeci, deinde Carthaginenses, Romani, Vandali, Alani, Gothi, partim spe dominationis acerrimis invaserunt proeliis, partim ubertate specieque regionis capti, fortunatas se-

des

des Elysiosque campos per errorem Homericae fabulae arbitrati, summa contentione petierunt. Hinc plerique mortales occasionem nacti, quum multis edocti periculis facinora bellica nobis adimere non potuissent, doctrinae studia per speciem laudis negantes, culpam Hispanae barbariae in tempora transulerunt: quae si bellis vacua fuissent, non dubium esse dicebant, quin eos viros latura essent, qui & ingeniorum praesentia, & naturae sagacitate, & animorum vi cum Latinis & Graecis auctoribus comparari potuissent. Sed quum nativam nobis commoditatem ad perdiscendas disciplinas concedant, scientias tamen odio & invidia commoti tollunt; ne, ut viribus corporis a nobis vincuntur, ita consilio & prudentia, reliquisque animi ornamentis superari etiam videantur. Quae si, quemadmodum importunissimi homines falso adroganterque in Hispanos iactant, vera essent, quum nimium sit, quod intelligitur, si quae leviter effutiunt, graviter ac diligenter attendamus, infelicissimi essent profecto omnium hominum Hispani, quum ea parte infra universos homines consisterent, qua vere homines sunt. Nam tribuunt Egyptiis suos Prophetas; Assyrii Chaldaeos; Persis Magos; Indis Gymnosophistas; Gallis Druidas; Baetrianis Samanaeos; Hebraeis Essenos, Cabalaeos, Talmudicos; Scythis Anacharsim; Thracibus Zamolxim; Hispanis vero praeter varia metal-

B 2

lo-

lorum genera, soli feracitatem, equarum e Favonio vento admirabiles conceptus; oves ad Baetim aurei coloris; nullas artes, nulla liberalia studia, nullos denique viros doctos dari sustinent, quos gleba tantum divites, non aequè animo beatos putent. Mihi tamen cuncta rimanti, & a primis Hispaniae habitatoribus statum & fortunam nationis nostrae per acta retro saecula repetenti, talis contra vituperatores Hispanae eruditionis defensionis ratio occurrit, qualem neque repudiabunt Itali, neque despicient Germani, nec Galli postremo non accipient: qui antiquitatis fortassis ignari, aut alienae (quod credibilius est) laudis invidi, rarum & praecipuum Hispanis decus, quod in sempiterna mihi litterarum gloria ponitur, perfidiose adimere tentarunt. Quantum enim hoc invidiae crimen fuit, velle ceteros homines veris animi bonis, & litteraria felicitate frui; solos tamen Hispanos a gentilitia hereditate & veteri maiorum possessione maligne deturbari? Distribuenda itaque sunt Hispaniae tempora, quae primum in maioribus inchoata, deinde in avis nostris & posteris longo aetatum ordine repetita, in tam multis Hispaniae mutationibus, & fortuna imperii varia eruditionis fructu aliquo minime caruerunt. Sic vero rem immensam lateque patientem temporum notatione distinguam, ut quando primum in Hispania natae litterae fuerint, quando

au-

auctae, quando florentes & ad humani ingenii perductae fastigium, quando omnia ingenia, quae lucem nostris studiis attulerunt, orta fuerint, ante omnium oculos, non continuatione modo pertinacis studii tristes, sed feriarum etiam hilaritate solutos, ponam.

Igitur fama est, non vago nec incerto sparsa rumore, sed communi veterum auctorum consensu testimonioque firmata, Tubalem, quintum Noei ex Iapheto nepotem, venisse primum in Hispaniam, a quo & fundatum ante omnia imperium Hispaniae, sanctissimisque constitutum legibus, religione deinde ac doctrina variisque artibus propagatum, in ea praesertim Hispaniae parte accepimus, quae trecentos post annos & paullo amplius a rege Baeto nomen accepit. Nam quum post longam maris iactationem ad Baeticae littus aliquando appulisset, seque intra terram solo divitem, caelo beatissimam, & mari proximam cum familia sua late explicasset, nihil prius habuisse dicitur praestantissimus vir, quam ut novas, & rudi etiam saeculo incultas ac deformatas colonias primo civilitate morum, deinde artibus ac disciplinis quam optime formaret. Haec prima doctrinae semina Baetici semper ingenio praesentes homines alte imbiberunt: crevit deinde cum aetate imperium; cum imperio floruerunt litterae: has protinus ingenia sequuta sunt commoda. quod ubi ob-

ser-

servatum a maioribus fuit, honor coepit litterarum studiosis quam amplissimus haberi, & maiores inde accessiones in humanitatis studiis fieri: adeoque se omnes certatim ad Poeticam & Philosophiam, reliquasque praecclaras & ingenuas disciplinas converterunt, ut Maia Atlantis regis filia, quod ingenio & artibus putaretur excellere, a cunctis Hispaniae feminis divinitus honorata fuerit. Nec enim fabulam potui umquam putare, quod me non semel apud graves auctores legisse memini. Narrant enim dicatos fuisse illi mense Maio in singulos annos propter ingens doctrinae miraculum statos solemnesque honores; qui in moribus etiam nostris (quod quidem mirari subit) nunc perseverant, dum antiquo scilicet Hispaniae ritu egregia forma puellam, quam nostri homines *Maiam* vocant, miris exornari modis videmus. Hanc in loco paullo celsiori sedentem aequae formosae circumstant virgines, cui totos mensis Maii triginta dies velut reginae libenter obediunt, veteris illius viraginis gentilitia traditione memores. His temporibus nondum litteras in Graeciam Palamedes invexerat, & multis cum poetis tum philosophis Baetica florebat, quae post Phoenicum illud celebre litterarum emporium, quod primum in orbe conditum a Xenophonte proditur, insignem Academicam habuisse fertur, in qua Asclepiadem Myrleanum litteras docuisse, Strabo memorat. Fluxit hoc

tem-

tempus longissimis ductum intervallis usque ad primos Scipiones, qui cum exercitu Romano linguam quoque Latinam in Hispaniam traduxerunt. Quae sic per annos ducentos usque ad Augustum Caesarem invaluit, in totamque Baeticam potuit, exactis Hispania Poenis, tam late diffundi ac propagari, ut Turdetani ipsi, quin ad Baetim praesertim loca tenerent, in Romanos penitus ritus transformati fuerint, nec propriae memoriam linguae servarint amplius; plurimique Latini facti secum accolae Romanos fecerint: parumque abfuit Augusti tempore, quin, ut Strabo refert, Romani omnes putarentur. Sed paucis ante Augustum annis quamplurimi nati Cordubae poetae ingentem sui nominis famam carminibus excitarunt, quibus cum summa saepe voluptate Quintum Metellum aures dedisse legimus; tametsi Ciceroni pingue aliquid & peregrinum, propter aetatem adhuc rudem & parum cultam, videntur sonare. Quin non modo ante Livium Andronicum, qui primus annis fere quadringentis decem post urbem conditam Romanis fabulam dedit, anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu quam Plautus & Naevius; sed ante ipsum quoque Homerum & huius aequalem Hesiodum octingentis annis, clari divinique poetae in Hispania exstiterunt, quorum poemata memorandae vetustatis ad Augusti felicissima tempora, auctore Strabone, pervenerunt. Nam

le-

leges e sex annorum millibus sapientissimi Hispanorum Turduli ostendebant, qui duo millium annorum aetates, quantum quidem temporis a Tubale conditore nostro ad ipsum usque Augustum intercessisset, per digitos revocato calculo, plane reddunt: modo quadrimestres annos de more Ibericae gentis (sicuti a Xenophonte in Aequivocis traditum est) bene subducta ratione numeremus. Augustum vero sequuta est aetas Romanis effeta viris, gravis quidem imperio, sed linguae Romanae multo acerbior & infelicio. Nam, extincto Cicerone, litterae quoque Latinae ingens damnum fecerunt, & lumen illud eloquentiae, quod forum caussis, & Senatuum sententiis illustrabat, cum ipsa imperii libertate simul ereptum fuit. Quum enim in unius viri potestatem redacta esset maiestas reipublicae, subito omnes conciderunt oratores, virique eloquentes repente siluerunt, minoraque coeperunt esse deinde humanitatis studia: nullumque veteris amplitudinis linguae aut Romani nitoris exstaret hodierno die vestigium, nisi dolore simul & indignatione languenti Latio hanc unam gloriam mature praeripisset Hispania. Haec fractas iam & debilitatas imperii opes, in diesque magis ad interitum properantes, suffectis ex Baetica clarissimis viris, non fortiter modo sustentavit, sed urbe quoque & tota iam Italia fugientes litteras sola propemodum

re-

revocavit. Nam in primis Corduba, Colonia Patricia, bonorum ingeniorum fecundissima parens, tales eo tempore viros Romam misit, quales recens litterarum iactura, acerbis & infestis eloquentiae casus, oratorum miserrima clades contra tot fortunae vulnera postulabant. Siquidem *Annaeus Seneca* cum Gallione & Mela germanis fratribus, *Lucano*que nepote, capta a *Gnaeo Domitio Ahenobarbo* patria, Romam sub id tempus commigravit, resque fuit illo saeculo Hispanorum fama digna, ut mitterentur in Italiam victi, qui imperarent victoribus. Fuit autem *Annaeorum* stirps generosa: & tamquam in unam arborem plura genera, sic in illam domum multorum insita atque illuminata doctrina. Huic aetati, ut omittam interim *Iulium Hyginum* Hispanum, Romanae bibliothecae ab Augusto Caesare, cuius erat libertus, praefectum, & *Sextilium Henam*, poetam (ut inquit *Seneca*) magis ingeniosum quam eruditum, qui ex eodem, quo *Lucanus*, municipio fuit. *Seneca* alter *Tragicus* & *Portius Latro*, declamator inclitus, quem sodalem suum ipse etiam *Seneca* subinde appellat, suppreses fuisse dicuntur. Ab his itaque divinis viris initium secundi saeculi exstitisse video, quod ad imperatores usque *Antoninos* non sine ingenti Hispanorum laude pervenisse video. Ac iure quidem ab ipso *Seneca* exordium illustrium virorum damus, quem ingenii vide-

G

li-

licet acuminē, multarum rerum scientia, scriptorum copia, dignitate praeterea & opibus ad foedum etiam invidiae crimen & suspicionem adfectati regni, ceteris aequalibus antecelluisse numquam dubitavi. cuius memoria tanta fuit, ut non ad usum modo illi sufficeret, sed ad miraculum usque & ultra fidem procederet: nam & duo millia nominum, quo ab aliis ordine recitata fuerant, statim sine ulla haesitatione referbat, & ab his, qui ad praecceptorem Marculum audiendum convenerant, singulos, ut ipse ait, versus a singulis datos, quum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabat. Sed illud mihi memoriae Lucii Senecae prope aeternae ac divinae & pressius intuenti, & saepius contemplanti fidem facit, quod in aetate iam adfecta, & ultra centum & viginti annos progressa, omnium declamatorum, qui in suam aetatem incidissent, praeclaras quidem sententias & multitudine innumerabiles divinitus meminisset, quas & servato controversiarum ordine collegit, & in monumentum tanti facinoris non solum Novato Senecae & Melae filiis reliquit, sed studiosis omnibus perpetuo dicavit. Unum tamen inter praeclaras & excelsas huius viri virtutes acerrimus aestimator ingeniorum Quintilianus desideravit, ut suo nimirum ingenio, & alieno iudicio dixisset. At Iunius Gallio ex arte oratoria gloriam sibi petendam existimavit: quemadmodum

ex

ex poesi nepos *Lucanus*, qui si immaturo interceptus non fuisset obitu, non est quidem dubitandum, quin claros Virgiliti manes ad invidiam tanti decoris, quantum in eius illuxit *Pharsalia*, esset permoturus. Nam & ipse Nero Claudius carminibus tantae sublimitatis commotus, ubique se dilatantem Lucani poesis famam invidiose premere voluit, prohibueratque ostentare vanus adsimulatione. Quod ita graviter & iniquo tulit animo divinus poeta, ut propter hanc unam causam in eius exitum cum multis principibus viris conspirare non dubitaverit. Verum in *Portio Latrone* nequit satis demirari Seneca aureum eloquentiae flumen, non pluris, quantum ego credo, divinam illam Ciceronis vocem facturus, si ut beneficio longissimae aetatis attingere potuit, in illo saltem atrio, in quo duo grandes praetextati secum, ut ipse refert, declamare consueverant, quoquo versus resonantem audisset. Sed dives illa dicendi vena, quae fuit in *Latrone*, in scholarum umbra, & inanibus simulacris, falsaque rerum imagine erudiendis tantum iuvenibus occupata, amplitudinis fructu & luce reipublicae caruit: sicque est inter privatos parietes domestica exercitatione repressa, ut quum illi pro reo in Hispania, Rustico Portio propinquo suo, causa esset dicenda, usque eo confusus turbatusque fuerit, ut a soloecismo inciperet; nec ante confirmari potuit, quam a iudicibus impetraverit,

C 2

rit,

rit, uti subsellia & iudicium in basilicam transferrentur: ita ingenia in scholasticis exercitationibus delicata enutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, caelum denique novum pati non possint. Cum his vero & aetate aequali & pari fere declamandi gloria coniuncti fuerunt *Victorius Statorius*, municeps *Annaei Senecae*, & *Cornelius Hispanus* & *Quintilianus senex*, Calagurritanus, eius, qui institutiones oratorias conscripsit, felicissimus pater; cuius fama, si credendum est *Lucio Senecae*, cum ipso prorsus extincta fuit. Hinc eius filii oratoris clarissimi alte insedis animo putaverim iustum odium adversus *Senecam*, quod in ipso postea quod tulit de oratoribus iudicio, dum se purgare cupit, non potuit dissimulare. Quamquam si tempora *Galbae* imperatori ex Hispania in urbem revertentis, quum ex Calagurro, nobili Hispaniae oppido, *Quintilianum* Romam duxit, & numerentur exacte & conferantur fideliter, quum vix aetatem *Senecae* aut memoriam aequalem incurrant, ne falso quidem aut inconsiderate existimaverim, si hunc, quem numero declamatorum eximit *Seneca*, *Afranium* illum *Quintilianum* esse mihi persuaserim, qui cum *Lucano* & plerisque proceribus in *Neronis* necem coniuravit. Hoc mihi in loco vellicata est auris, subitque animum *Pomponii Melae* & *Iunii Moderati Columellae* minime iniucunda recordatio, qui *Caii Caesaris* principatu, his quos

mo-

modo nominavi aequales, cultiori ac magis eleganti quam ceteri stilo conscripserunt. Alter enim *de Rustica* minime rustice: alter *Orbis situm*, ut ipse ait, dicere aggressus, impeditum opus & facundiae minime capax, singulari tamen sermonis proprietate explicavit. Vterque quidem *Baeticus* fuit: sed unum nobilissimae *Gades*, vetus *Phoenicum* colonia, populo Romano dedit: alterum *Mellaria* oppidum, quod in ditione nunc est *Methymnae* ac *Sidoniae* ducum, diffluentem melle produxit. Verum *Columellae* elegantiam, & tantum in re neque urbana neque lauta nitorem, non *Palladii* modo rusticitati, sed *priscis* illis *Catonis* oraculis, & *Plinianae* maiestati, & *Varronis* etiam *Musis* ne ambitiosa quidem censura praetulerim. Etenim considerasse arbitror virum eloquentissimum, quondam reges ac summos imperatores terram laureato vomere subegisse, virosque illos triumphales & senatum ipsum Romanum orbis dominum, dispersos olim habitasse in agris, ubi serentem *Seranum* dati honores invenerunt: & *Quintio Cincinnato* quatuor sua iugera in Vaticano aranti viator attulit dictaturam, & quidem, ut traditur, nudo plenoque pulveris etiam ore; voluisseque eam materiam, quam ipsi quoque reges studiose pertractassent, splendida iuxta atque eleganti oratione complecti. At *Pomponium Melam* sic ego, dum nihil ago, cum doctissimis geographis compa-

ra-

rare neque inepte tamen, neque imperite soleo, ut Straboni Cretensi eruditionem, Plinio diligentiam, Ptolemaeo artem tribuam: huic quidem uni, quum valde laudare cupio, omnia libenter largior; quum intra modum vero laudationis consisto, brevitate pariter & elegancia praeter ceteros commendo. Non multos post annos Domitiani imperio exstitit *Fabius Quintilianus*, cuius domus cunctae Italiae quasi ludus quidam patuit, magnus quidem orator & perfectus magister, neque forensi luce caruit, neque illam gloriam, quam per viginti annos instituendis iuvenibus intra parietes aluit, quisquam est meo iudicio postea consequutus. Hunc Galba imperator ex Calagurro, antiquo quidem Hispaniae oppido, cum patre illustri oratore (sicuti sacer adfirmat Hieronymus) Romam attulit, unde antea Iulius Caesar eductis equitum turmis, & vitam tueri propriam, & opes firmare imperii invicto fidelique praesidio voluit. Vnum in Hispania oppidum (quod tacitum equidem praeterire non possum) neque frequens civibus, neque florens opibus, ea tempestate viros tulit, quibus & imperii Romani tutela, & linguae Latinae salus crederentur. Ceterum in *Fabio Quintiliano* summum fuit ingenium, & memoria tanta, quantam in alio unquam fuisse memini. Nam siquando extempore declamaret, nobiliumque virorum, ut saepe fit, interventu cogeret a principio dicere, singula sine ulla
aut

aut vultus aut vocis perturbatione reddebat verba; quae facultas alioqui extemporalis per vim ac mobilitatem ingenii, quum iam longius processisset, copiose suppeditaverat. Causas cum multis oratoribus illustres egit, a quibus ponendi officium in primis exigebatur: quemadmodum Hortensius, quum partiretur causas, Ciceroni epilogos consuevit relinquere; quod in ea maxime orationis parte viri eloquentis exsultaret oratio. Hoc non admodum sene, ad magnum nomen ingenii pervenerunt *Silius Italicus*, qui a natali solo & patria germana cognomen accepit, & *Valerius Martialis Bilbilitanus*, quos in divinis poetis habitos scio: nam & plurimum eos natura valuisse, & mentis solitos excitari viribus, & quasi divino quodam adflari spiritu; dum bella Punica alter ad Virgilii imitationem, cuius quotannis illustres manes colebat, compositus personaret: alter neque sermone inculto, neque arida vena, salibus & iocis undique difflueret: sic Aelio Severo in deliciis habitus, ut noto illo & a plerisque celebrato elogio suum Virgilium appellaret. Epigrammatis clarus exstitit, solusque inter plurimos visus est, cui omnes lepores, gratiae, urbanitates a Musis benigna manu concederentur. Facultas tamen forensis exoptanti non contigit: ne ultra quam homini datum est, humana proveherentur ingenia. Etenim sic naturae lege comparatum est, ut suis sint apti rebus excellentes viri, & quibusdam

dam etiam eloquentiae finibus terminentur ingenia; ne festinata in hominibus maturitate in spes maiores sorte sua ab adolescentia adsurgant. Atqui Virgilium ipsum illa tanta ingenii felicitas in oratione soluta reliquit; Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit: orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur: eloquentissimi viri Platonis quae pro Socrate scripta est oratio, nec patrono nec reo digna est habita. Illustrarunt praeterea haec tempora *Decianus & Licianus*: tum *Canius Rufus Gaditanus*, quos non vates modo, divorumque nuntios & interpretes, sicuti divinus Plato vocat, sed socios etiam & poetici laboris consortes fuisse novimus. Conciliaverat autem Martiali communis cum Liciano patria arctissimam amicitiam: nam *Decianus Emeritanus* credebatur ex gente illa doctissima atque longaeva *Turdulorum*, quorum & ultra flumen *Anam* fines protendebantur. Porro res ipsa temporibus & imperiis distributa, ad *Aelium Hadrianum* Italicae stirpis, & *Traiani* consobrinum, neque nos invitos perduxit, neque ad huius viri magnitudinem scribendam sine quodam mentis quasi stupore traducere potuit. Habuit igitur *Hadrianus* ingenium multiplex, varium, acutum, semper praesens, & imperio Romano par: quod antea *Seneca* de *Cicerone* dixerat: quamquam eius gentilis *Traianus*, qui adoptione *Nervae* imperium obtinuit, a litteris & *Musis* numquam aversus

fue-

fuerit. Sed in *Hadrianum* divi ipsi sua prorsus bona, ut dici solet, effuderunt: nam si dicendi copiam & artem oratoriam in principe (ut *Plato* postulat) requiramus, causam pro *Italicis* municipibus suis eleganti ornataque oratione, quemadmodum *Gellius* refert, frequenti senatu egit: si vero poeticam spectemus, nemini umquam, quod meminisse queam, aut praesentius *Minervae* numen fuit, aut magis sane familiare, quam quum salissimis versibus, (quod *Aelius* narrat *Spartianus*) *Florum* poetam irrisit: litterarum omnium peritissimus est habitus, sed *Matheos* in primis: idem architectus, musicus, statuarius, multarum denique artium refertissima officina. Huius vero principis aulam non viri tantum militares, sed innumerabiles etiam philosophorum greges tamquam in *lyceum* aut veterem *Academiam*; unumque aliquod ex illis antiquis gymnasiis, magnis de rebus disputaturi conveniebant. Atque fuit priscis illis saeculis praeclara quaedam & numquam satis laudata consuetudo, quam in principibus nostris non sine summo desiderio requiri videmus, ut duces modo exercitati, modo viri genere illustri & claro, alias insignes vel usu rerum, vel eruditione praestantes regiae mensae adhiberentur. Qui quasi divum epulis accumbentes, vel quae de re militari sub ipsis pellibus fuerant experti, vel optimarum artium studiis invenissent, audiente rege graviter pertractabant. Sed *Go-*

D

thi-

thica postea, & aliorum barbarorum caede ac sanguine saturata superbia, ut est omne genus humanitatis adspersa, ita dum a suis timeri magis, quam amari studuit, neque mensis fortes bellatores recepit, nec disertis litteratisque viris vacuas unquam accommodavit aures. Sed, ut revertamur unde digressi sumus, Hadriani imperium duo diversis temporibus, continuato tamen successionis ordine, exceperunt *Antonini*. Quorum funestissimo miserandoque bonis litteris interitu gravis est imperio Romano iniecta securis, tum quod in succedentibus principibus iam omnino mascula illa Romuli proles & Italica virtus defecissent, tum quod omnis Latini sermonis exulcerata gratia, & ab eo quidem tempore extincta prorsus existimetur: tum quod decus, gloria, maiestas Romani nominis nec propagari in posterum (quod magis fuit dolendum) nec ruentia sisti nisi in uno *Theodosio* Hispano, & altero *Constantino* Magno, translatis Byzantium imperii opibus, quo ferus omnia Iupiter (ut bonus canit poeta) cum orbis tutela transtulit. Hinc mihi novum saeculum ut religione & pietate ampliore, ita doctrina quidem & eloquentia angustiore, inter miserrimas urbis clades & disiecta membra reipublicae, labantem quoque molem imperii, exoriri visum est. Nam trecentis postea annis usque ad eversam urbem & devastationem illam Gothicam, quae totam fere Eu-

ropam, ceu fulmen Iovis trispisulcans, pervasit, unus aut alter exstitit, qui silentes inter arma Musas, quas non locis iam publicis aut spatiis Academicarum amplissimis, sed gurgustis & specubus infinita altitudine abditus colebat. Ex his, quamquam diversis temporibus, fuerunt *Gregorius* Baeticus, vir sanctimonia & eruditione illustris, cuius cum studiis apud Granatam, ubi erat Episcopus, vita terminata fuit; & *Pacianus*, qui Theodosii tempore in Pyrenaei iugis ortus, impiis Novatianis accerrime profligatis, magnam quidem & immortalem gloriam Ecclesiae Barcinonensi comparavit. Aequalem incutrerunt memoriam *Matronianus* & *Tiberianus* Baetici, neque poetae ignobiles, neque oratores contemnendi. Sed in *Idatii* labiis sessitasse dicebatur eo tempore quaedam contra Priscillianum haereticum persuadendi dea, cuius neque vim perferre, neque splendorem eloquentissimi hominis nefarius ille gladiator sustinere poterat. Fuit enim *Idatius* urbis Lemicae Praesul, quae caput nunc est in Gallaecia, ditionis illustrissimae familiae Castorum, nec a Bracara, quod oppidum est in Lusitania, longissime abest; ubi longo postea tempore (sicuti ego a maioribus accepi) quinquaginta Episcoporum ex tota Hispania coaecto Concilio, primo disputationis impetu fusi turbatique Priscilliani sectatores conciderunt. *Aprigius* autem Episcopus Pacensis, & *Iustinianus* Valentinus, Ecclesias,

quibus magno populi consensu gubernandis admoti fuerant, doctissimis litterarum monumentis continuerunt. Sed maiorem in *Rufo Festo* & *Aquilio Severo* eloquentiae vim Diocletiani & Valentiniani tempora senserunt, cuius praeclarae poesis fama non in Hispania modo percrebuerat, sed omnes etiam imperii terras summa cum laude pervagata fuit. Antecesserunt aetate *Osius* Cordubensis, & illa unica Hieronymi lux *Damasus* Madritensis (si qua tamen fides *Lucio Siculo* citra pudorem debetur, qui ex Mantua Carpetanum appellat) & utriusque aequalis *Orosius*, qui ab Augustino, cuius erat cum *Eutropio* amantissimus discipulus, in Palaestinam missus, de animi ratione a principe Hieronymo est institutus. Praetereo *Iuvenum* nobilitate clarum, & *Aurelium Prudentium* Caesaraugustanum, quos inter principes poetas sacer Hieronymus numeravit. Omitto tarsus *Maximum* Caesaraugustanum, & *Eutropium* Episcopum Valentinum, qui mihi sane viri divini omnem supergressi laudem videntur. Verum quum omnis aetas conquesta sit de tempore suo, ita tulit castus miserabilis & acerbus, ut ea tempora ingeniosi homines incurrerent, quum non imaginem eloquentiae veram, sed umbram potius adsequuti fuissent; quae ita a fortuna deformata est, ut tamen a natura inchoata facile comparet. Quamquam qui sub Theodosio litteris aliquid mandarunt, quum Hieronymi

& Augustini tempora attigissent, numquam si numeros eloquentiae non impleverint, non in Latinorum numerum mihi referentur. Neque eo tamen in his commendandis processerim effusae laudis, ut non mirer magis mores antiqui candoris, sinceritatem vitae, integritatem animorum, robur fidei, incendium amoris, quam aut elegantem brevitatem, aut fusam contra lacteamque dicendi copiam in *Orosii* historia. Nam de *Damasi* versibus, quos non vidi, aut Pontificum Annalibus, quos ipse etiam conscripsit, nihil equidem iudicare possum. *Prudentius* vero & *Iuvenus* (si quod mihi est in hac re cum libertate iudicium) meliores versificatores, quam poetae videntur. At *Osius* Cordubensis ad Bithyniae Nicacam venit, ubi & pro dulci libertatis nomine, & vera Christi religione magni eo tempore celebrarentur conventus. hic ille & in Concilio Sardicensi praeclaras & alta mente petitas sententias dixit, nisi eas postea in Sirmio cum impiis Arianis consentiens, modo ut miseriae & importunitati illius temporis inserviret, turpi defectionis nota obscurasset. Sed id fecerat invitus, quod longa iam aetate confectus, & male servatus in illum diem miserrimus senex, neque saevas pati plagas, nec immanes ferre cruciatu posset, quum flagris & verberibus ab ipsis Arianis validissime caederetur: verum deposito statim miserae mortalitatis metu, in Liberii Pontificis Romani

societatem tamquam in equum Troianum cum principibus includi usque adeo non recusavit, ut exsilium, quod in maximis malis ducitur, pertaesus, defectionem illam suam miseram, & male quidem simulatam constanti animo tulerit. Nam nullis neque minis, neque terroribus pertrahi umquam potuit, ut nefariis ac sacrilegis Arianorum decretis in Concilio Mediolanensi cum dedecore Christianae veritatis subscriberet. Quocirca numquam tam immemor posteritas fuit, neque litterae cuiusquam tam ingratae memorantur, ut huius viri gloriam immortalitatis memoria non prosequatur. Dum hi florent, eripitur Theodosius, qui deside ignavoque relicto filio Honorio, (ut nihil de eius germano fratre Arcadio dicam) miserabilem & luctuosissimum casum imperio Romano attulit. Nam Gothica lues repente erupit, lateque per Italiam & Hispanias exitiali impunitate grassata, urbem ipsam orbis caput anno post eam conditam millesimo centesimo sexagesimo quarto furore barbarico evertit. Sic crevit continuo huius belli saevissima pestis, flammaque miserimi incendii, regnante Isaurico, adeo est excitata, ut ultra urbis partem maximam conflagrantem, centum & viginti librorum millia uno fatali die & studiis calamitoso crudeliter absumserit. Inter quae, (quod lacrimans refero) & Homeri divinum poema intestino draconis centum viginti pedum aureis litteris

teris descriptum, crepitantibus flammis (ut cum eius aemulo Virgilio loquar) una combustum est. Quod si nostra, aut patrum avorumque memoria obtigisset, o quam bene cum multis libris egisset ignis! Sed pulsus Italia Gothis, eorum in Hispania statim concrepauerunt arma, & facile fuit vincere non repugnantes. Nam Hispani propter elatos spiritus nec unum sequi caput, nec in ordinem cogi, nec habere delectus, nec respondere ad nomina pro innata superbia taedioque Romani imperii poterant, quod aliorum scilicet obedire praeceptis erubescerent. ita dum suis obtemperare recusant, alienam servitutem incurrunt. In hac tanta fortunae iactatione & aestu furentium Gothorum immensa barbariae nox incubuit communibus studiis, neque cuiusquam ingenio tenebrae illae, quae totam occupaverant terram, praerumpi poterant, donec stellae Castores in Baetica peropportune promicare coeperunt, fulgoreque suo illustrare orbem conati, maculam Arianae haeresis, quae penitus iam insederat atque inveteraverat in Gothicae gentis nomine, dextri ac salutare deleverunt. Hi fuerunt tres germani fratres, lumina & ornamenta reipublicae nostrae, *Leander*, *Fulgentius*, *Isidorus*, nobilitate clari, eruditione insignes, sanctimonia venerabiles, qui Romanam & Atticam eloquentiam insigniter edocti, in litteris quoque Hebraicis minime infantes, Gothos ipsos Valen-

lentis imperatoris scelere ac sacrilegio corruptos Christianam religionem fortiter docuerunt. Vige-
bant porro ea tempestate Hebraicae litterae in His-
pania, quas multis ante saeculis sub Tiberium Cae-
sarem, urbe Italiaque tota pulsi fugientesque decre-
to senatus Iudaei, & paucis post annis exacti im-
perio Claudii in Hispaniam invexerant. Florebant
quoque Hispali Latinae & Graecae litterae, artes
etiam omnes humanitatis, unde & sermo facetus &
nulla in re rudis inerat nostris hominibus, qui a fera
agrestique vita ad humanum civilemque cultum Hi-
spanam gentem deducebat. Hic noster *Isidorus* prae-
stans ingenio ac diligentia, studia doctrinae mirifice
colebat, ubi postea Gilbertus Gallus litteras avidis-
sime didicit; ille inquam nefarius, qui cacodaemo-
nis malis artibus & foedere exsecrando imperium
Romanae Ecclesiae adeptus, Silvester Secundus est
appellatus. Trium igitur linguarum cognitione tres
praestantissimi Baeticae principes armati importu-
nitatem novi & inauditi sceleris, quae in Gotho-
rum moribus & visceribus exarserat, partim Hispali
& Toleti celebratis Synodis & magnis Ecclesiae
conventibus restinxerunt, partim belluas illas ex por-
tentis immanes & feras, forma hominum inducta,
docta primum & eloquenti voce commotas, dein-
de hortando, monendo, obsecrando ad verum Dei
cultum pertraxerunt. Adfuerunt reges Gothi To-
le-

letanis & Hispalensibus Conciliis : lausque illa fuit
unica & maxime propria nostrae Hispantiae, bar-
baros & feros homines, qui non iuri, non legi-
bus, non Divinae religioni, non humano officio ad-
sueti erant, sed omnia viribus corporis per vim ac
tyrannidem administrarent, ex caeca ac temeraria
dominatrice animi ira ad mansuetudinem & clemen-
tiam potuisse perducere. Nam rex inclitus *Reccaredus*
dum *Leandrum* de fide ac religione disserentem au-
dit, primo propter insolentiam attonitus, modiceque
reclamans, deinde propter rationem & orationem
studiosius auscultans, ex impio religiosus, ex immani
mittis ac mansuetus est effectus. Erat vero in *Leandro*
auctoritas tanta & summae eruditionis praeiudica-
ta opinio, ut magnus ille praetextatus Gregorius, &
primus huius nominis Ecclesiae Romanae princeps,
commentaria, quae in Iob Prophetam ediderat, huic
dicare in lucro posuerit. At *Isidori* eloquentiam saepe
in Conciliis praesente Sisebuto laudatam com-
perimus, praesertim quum Acephalorum nefarios
conatus Sisebuti regis favore, qui Iudaeos Hispania-
rum regno expulerat, coacto Hispali Concilio, acri
eloquentique disputatione fregit. *Eugenii* doctrinam
admiratus est Chintilianus Gothus : nam *Vvamba*
& *Ervigius* reges ad memorabilem & divinam *Ab-*
fonsi praesulis vocem rigidi obstupuerunt, dum fe-
cundam *Virginitatem* & inviolati pudoris sacramen-
tum,

tum, in Servatorem enixa Virgine, a nefario Elvidio vindicaret. Fuit enim quasi immortalis Dei beneficio datum reipublicae nostrae praesulum Gothicorum genus & nomen, ad libertatem populi Christiani vel constituendam, vel recuperandam. Nusquam enim plura, quam in Hispania Concilia celebrata sunt, quae nec cogi potuissent, neque ad summam perducere coacta, nisi Hispani homines exactam Divinae Scripturae cognitionem habuissent, & linguas probe nossent, quas Christus suo sanguine in cruce consecraverat, & Viennensis Synodus non multis ab hinc annis, salariis quam amplissimis professoribus constitutis, publicis scholis intulisset. Atqui fuerunt Hispaniae praesules potentium regum praeceptores, & veri magistri nobilitatis Gothicae, quos sic instituerunt pie, prudenterque formarunt, ut se numquam cum hostibus Christiani nominis non suscepturos bella solemniter in auctoritate sacramenti ad sacras divorum aras sponte sua iurarent. Quod quidem Hispaniae reges iam inde a *Pelagio* fortissimo sanctissimoque principe cum religiose, tum stricto in acie Granatensi gladio, novissime contra Saracenos & fortissime praestiterunt. Ac vidimus tandem victoriam ipsam bellorum exitu terminatam, & enses *Ferdinandi* regis apud inclitam Granatam sanguine cruentum. Perculit continuo vis Martis proximos Tingitanos, quibus, quoad vixit, bellum atrox

atrox & luctuosum indixit. Neque *Carolus Quintus* invictissimus Caesar huius iuris iurandi inmemor, nuper domuit rebellantes Germanos, gentes inimitate barbaras, multitudine innumerabiles, Lutheranam impietate bacchantes: & ultra oceanum patefecit terras, quas in consultatione posuit Alexander, an esset inventurus. Ceterum magnis se deinde variantis fortunae turbinibus, & novis inenarrabilis aestus excitatis procellis, unius Iuliani dolo & deploranda perfidia excisum est Gothicum imperium. nam quum filiam unicam forma quidem egregia ac liberali praeter ceteras a Roderico rege vitiatam rescisset; protinus dolos plusquam Sinonios perdendae Hispaniae nexuit, Arabesque religionis nostrae acerrimos hostes, traiecto Gaditano freto, (eo ducentibus Hispaniae fati) per Baeticam in Hispanias introduxit. Hic alius fuit Hispaniae status omnium certe miserrimus & calamitosus: tum quod tota propemodum Hispania capta, ad Astures & Cantabros cum divisi laribus patriaque disciplina Gothica nobilitas confugit; tum quia relictis litterarum studiis, de vita & fortunis essent in posterum miseri Hispani decertaturi. At in his densissimis Hispaniae tenebris tum primum enituerunt Medicina & Astronomia. Siquidem ante id aetatis nihil languidius acceperamus: nam & Arabes utramque artem supra modum consequuti putantur; & quae longinquitate tem-

porum multisque experimentis observassent, in commentarios retulerunt. Hinc tot speculas in iugis Hispaniae montium, & praerupta editissimaque oppida videmus, quae partim ad Christianorum insidias explorandas, partim, quod mihi vero similis est, ad intuendum caelum ex omni parte patens atque apertum, sapienter aedificata videntur. Quum enim planitiem, ut Assyrii, ad considerandos stellarum motus & traiectiones ubique non haberent, ad celsissima loca, unde longissimus esset in omnem partem prospectus, universi astronomi concessisse creduntur. Tulit hoc tempus cum alios in Medicina & Physicis disciplinis permultos consummatos viros, tum quatuor in omni genere artium facile principes, *Rasim*, qui septuaginta ante Avicennam annis floruit, & cunctorum ante se scriptorum commentarios collegit: *Zourum*, qui cognominatus est sapiens: *Avicennam* Cordubensem, & ut quidam tradunt, Hispanensem & Bithyniae regem, cuius *Metaphysica* a posteris, ut equidem invenio, valde probata fuit: *Averroem* Cordubensem, implacabilem Avicennae aemulum. Quamquam mallet ego *Avicennam* ipsum Arabice, quam Latine in scholis interpretari; vel quod nativa lingua minus Galeni sectatores offenderet, vel quod aequiori sane reciperetur animo, ni tam barbare didicisset loqui. qui si modo princeps medicus ab inferis suscitaretur, quas non esset tragoedias

cum

cum barbaro illo interprete excitaturus? Christiani autem, qui se ad montes & angustias viarum interea temporis receperant, quum suum praesidium in capite atque cervicibus Arabum collocassent, saepe cum hoste collatis signis dimicarunt, ac primum a Legionensi regno deiecerunt; mox magna Castellae parte recuperata, inter saevam bellorum rabiem, illaque fortia nostrorum hominum facta, quae ipsi si adessent Troiani, etiam exhorrerent, ad squallorem & luctum litterarum ex longo desiderio oculos converterunt. Ingemuerunt omnes viri boni ac litterati, vicemque studiorum vehementer miserati, de adserendis in pristinum nitorem litterarum studiis prudenter consultare coeperunt. Huius autem salutaris consilii auctor *Tellio* Episcopus Pallantinus ferebatur: qui cum paucis eiusdem animi lectissimis viris ab *Alfonso* Castellae rege, *Sanctii* itidem regis filio, sicuti ego accepi, obnixè multisque precibus contendit, uti nova Pallantiae Academia erigeretur, quando signum aliquod esset sublatum ad bene de omni recuperanda Hispania sperandum. Conditur igitur *Pallantiae* ab hinc trecentis octoginta circiter annis nobile magnificentumque Musaeum, unde in omni doctrinarum genere viri praestantissimi prodierunt; inter quos *Dominicus* Calagurritanus, vir & sanctimonia & litteris eo tempore incomparabilis, velut fulgentissimus sol inter planetas minores apparuit; quamquam Valentiae

eum

eum litteras didicisse Volaterranus adfirmet. Verum post annos exactos triginta quatuor, vel *Ferdinandus* Castellae rex, ut quibusdam placere video, vel *Alfonsus*, sanctissimi illius *Ferdinandi* regis filius, qui Hispali urbem florentissimam ex Arabum dominatione ac tyrannide vindicavit, aut propter uberiores annonae copiam, & abundantiores alendis iuvenibus, qui ingenii excolendi gratia eo confluerent, e proximis vicis commeatus, aut ob caelum studiosis mitius ac benignius, in urbem *Salmanticam* Academiam ipsam auspiciato transtulit. His temporibus *Alfonsus* Decimus, qui anno post translata Academiam decimo sexto laureatos regni faces accepit, ingens decus attulit. Siquidem parum visum est Caelesti Numini, eum esse maximum astrologorum, nisi & veterem Hispaniae gloriam mirum in modum ampliaret, & leges infinitis voluminibus antea dispersas in septem sectionum libros (quas nostri Hispani *Partitas* appellant) contraheret, & doctissimas Astronomiae tabulas, & *Historiam*, quam *generalem* nominant, partim ipse suo elaboraret ingenio, partim per alios conscribendas curaret. Huius cum exemplo, tum favore coeperunt magis protendi ac dilatari litterarum studia: quae sic mentes hominum arcana quadam vi ac potestate occuparunt, ut parva putarentur fore arma, quorum a litteris praesidia non peterentur. Quocirca magni brevi tempore exstiterunt eruditorum proventus, inter

ter quos enituerunt *Julianus Pomerius*, & *Ioannes* Episcopus Gerundensis, qui natione Gothus & patria Lusitanus, litteris quoque Graecis & Latinis Byzantii apprime eruditus, tum disciplina illa formatus, quae digna est, ut ait Cicero, studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus, bacchantes ac furentes in Lusitania ea tempestate Arianos multis ac doctissimis quidem disputationibus coercuit; ac propter hanc unam causam Barcinonem relegatus est; ubi ita se collocavit, ut Gerundensis Ecclesiae principatum obtinuerit. Tum divus *Antonius*, Vlyssipponensium gloria, cuius doctrinae uberrimos fructus Itali etiam & Galli avidissime perceperunt. *Raymundus* quoque Barcinonensis Theologiae iurisque Pontificii egregie doctus, qui *Decretales Epistolas*, quae fusae sparsaeque fuerant, in unum quasi corpus aut volumen, delegata huius eximii laboris cura a Gregorio Nono, artificiose contulit. Parem huic est adsequutus gloriam *Garsias* Hispalensis, doctissimis in eisdem *Decretales* editis commentariis. Sequutus e vestigio est *Ioannes Torquemada*, vir saeculorum omnium memoria dignus, qui cum his duobus, quos modo nominavi, egregium triumviratum constituere potest. Converterunt ad se deinde hominum studia, ubique terrarum diffundente se doctrinae fama, *Verus* Archiepiscopus Hispalensis, & *Petrus* Hispanus, qui ab

Inno-

Innocentio Octavo Cardinalis creatus est: tum *Vincentius Ferrarius* Valentinus, *Paullus* deinde Episcopus Burgensis, & huius filius *Alfonsus*, qui cum Ecclesiam Burgensem administraret, *Historiam* de rebus in Hispania a nostris hominibus bello gestis non inepte conscripsit. Sed ex tam infinita doctorum hominum multitudine, quantam haec aetas habuit, nemo citra controversiam ad *Alfonsi Tostado* Episcopi Abulensis laudem adspiravit: cui si alio quam suo saeculo vivere contigisset, neque *Hipponae Augustinum*, neque *Stridoni Hieronymum*, nec alium quempiam ex illis proceribus Ecclesiae antiquis nunc invidemus. Excellentis vir ingenii fuit & admirandae memoriae, divinae etiam sapientiae & antiquitatis peritissimus; dignus profecto, qui post quatuor Ecclesiae Doctores cum *Isidoro* & *Thoma* de quinto loco certaret. quod si unctior quaedam splendidiorque consuetudo loquendi suis temporibus fuisset, non dubito quin posteriores omnes in sui admirationem esset conversurus. Fuit haec aetas paullo eruditior: nam postea quam regno Hispaniarum constituto, diurnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad perdiscendum litteras omni studio enitendum putavit. Huius enim memoriae minime veteris mihi sane satis explicata est recordatio, quinquaginta duos cum in iure Canonico, tum in sacris litteris laureatos viros rogatu ius-

su-

suque *Alfonsi Carrilli* Archiepiscopi Toletani Complutum nostrorum avorum memoria convenisse, ut de *Exomologesi* a *Petro Oxomensi* edita iudicii severitas exerceretur. Is enim Salmanticae Theologiam profitebatur, quumque vindices nondum essent, qui ultricibus flammis cuiusquam in religione errata coercerent (quod quidem decus *Ferdinandus* rex, exactis Hispania Iudaeis, nostrae nationi fecit) ipsi est *Anfonso* praesuli a *Sixto Quarto* huius cognitionis delegata cura. Hoc mihi in loco sophistarum reddenda est ratio, qui iam inde a *Boetio Severino*, quum *Zeno Isauricus* late rerum potiretur, sinistris omnibus nati fuerunt. Hi vero prava & ambitiosa leguleiorum aemulatione ad rubricas passim & formulas se convertentium, quum ipsum ius civile constituentibus rebus publicis pernecessarium non intelligerent, principio modice ac diffidenter in Italia coeperunt, mox translata *Lutetiam Parisiorum* a *Carolo Magno* Romana Academia, confidentius ac maiori cum impetu saevi imperiosique homines eruperunt, unde in omnes terras in exitium & interitum bonarum litterarum distributi putantur. Ita serpsit haec contagio, diffusaque est per totam Hispaniam, ut nulli homines secundum *Parisenses* aut plane barbariores, aut in illis suis prodigiosis inventis pertinaciores quam *Hispani* invenirentur. Vt enim primum intellectum est, quantam vim ostentationis haberet subdola &

F

ficta

fiſta quodam modo diſſerendi ratio, tum etiam ma-
giſtri ex noſtra Hiſpania multi illius novae artiſ ſub-
ito exſtiterunt: quia nuſquam fertiliores ſegetes naſci
adfirmant noſtri coloni, quam in ſterquiliniis. Tum
Gaspar Lax, *Ferdinandus Enzinas*, duo fratres *Coro-
neli*, *Ioannes Dolzius*, *Hieronymus Pardus*, *Cuetus*,
Dulartus, *Naverus* aliiſque quamplurimi temporibus
eiſdem docere ſe profitebantur adrogantibus ſane
verbis, vertere in candida nigrum, & caelum nummo
venales exhibere, & quibus reſpondere non poſſent,
praetiſigiis cum Davo ludificari: rem ſane veris diſci-
plinis pernicioſam, quam non aliter inhiberi poſſe
video (nam regnat adhuc in multis Hiſpaniae locis)
quam ſeveritate invictiſſimi *Caesaris*: quod *Franci-
ſcus Galliarum rex*, importuniſſimis barbaris *Lutetia*
puliſ, magna cum laude & Gallici nominis & ma-
iori ſtudiorum utilitate noſtris temporibus fecit. Hiſ
autem hominibus neque ingenium defuit, neque pro-
babilis induſtria: ſed aetatiſ iniuria tanta fuit, ut fe-
lix multorum natura, qua donati eſſe videbantur,
invenire aliquid perfectius non poſſet, in quod pre-
cipue elaborandum putaret. Itaque hoc toto tempore,
quod longiſſimum a *Boetio* fuiſſe videmus, altiſſi-
mas egerat barbaria radices; & nemo quiſquam ex tot
hominum millibus fuit, qui immane hoc & ferale mon-
ſtrum aut domi privatiſ ſtudiis auderet conficere, aut
a finibus Hiſpaniae pellendum tentaret; donec tam-
dem

dem poſt multa ſaecula natus eſt feliciffiſſimis fatiſ in
Baetica Antonius Nebriffenſiſ, qui litteriſ ac diſcipli-
niſ omnibus, quibus eo tempore florebat *Italia*, tam-
quam ex longa ſiti avidiſſime hauiſtiſ, atrox, quoad
vixit, & crudele bellum cum barbariſ geſſit. quod ſi
propter inſitiſ inveteraſque mentibus hominum per-
ſuaſiones conficere omnino non potuit, magna certe
ex parte fregit ac debilitavit. Hic quidem fuit magnus
Hiſpaniae *Ariſtarchus*, praeclearus orator, multae &
variae lectioniſ; ſed *hiſtoriam*, quam de rebus geſtiſ a
Ferdinando auguſtiſſimo rege conſcripſit, tenui ac
deiecto quidem ſtilo, parumque diligenter eſt pro-
ſequutus: ſive quod magni viri ſit, ut ait *Cicero*, hi-
ſtoriam conſcribere; ſive quod *Ferdinandi Pulgariſ*
(quod negare equidem non poſſum) in ſermone Hi-
ſpano eloquentiſſimiſ, interpretem, ut fama eſt, per-
functorie egerit. Aequaliſ Antonii fuit *Ludovicuſ Vi-
ves*, rarum *Valentiae* decuſ, propterea quod & de-
clamator egregiuſ, & philoſophuſ magni nominiſ, &
multis in rebus eminentiſſimuſ eſt habituſ: placuiſ-
ſetque multo magiſ viriſ eloquentiſſimiſ, ſi ut multa
diſerte doctiſſimeque conſcripſit, ita ſermoniſ inna-
ta inſitaque duriſia, & vocabuliſ quibuſdam Graeco-
Latiniſ, quae ad ampliandam linguam Latinam ex-
cogitavit, orationiſ gratiam non obſcuratſſet. Mihi
autem hac de re una viſuſ eſt *Ludovicuſ Vives* cum
Portio Latrone contendere voluiſſe, utrum hunc ille

sermone Hispano-Latino vinceret, an illum hic potius Graeco-Latino superaret. Sic enim Pollio Asinius Livium sapere Patavinitatem dixit, & Portium Latronem sua lingua, hoc est, Hispano-Latina fuisse disertum. Fatale hoc quidem fuit plerisque nostrorum hominum, ut semper aliquid peregrinum & rude sonarent: adeo ut in ipso etiam eloquentiae principe Fabio Quinctiliano, qui elegantia simul & ingenii laude floruit, Hispanitatem invenerit Franciscus Philephus. Verum si naevos quaerimus, neminem unum post homines natos inveniemus sic numeris omnibus absolutum & consummatum virum, in quo non sit aliquid, quod iure queas reprehendere. An fuit aliquis inter mortales, exceptis Platone & Aristotele, quem aestus ingenii tam procul a terra adriperit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxerit; cui plures dotes larga benignaque natura dederit, qui rerum omnium scientiam sit complexus, quam Marcus Tullius? At in hoc terrestri numine pudor est profecto referre, quae ingenii & naturae vitia non eius familiaris modo Brutus deprehenderit, sed multi etiam aequales observaverint. Itaque ego sic statuo, habuisse maiores nostros & copiam rerum, & orationis ubertatem sapientiamque eloquentiae iunctam: quorum si alterum nostris Hispanis sit optandum, malim ego illis indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem

cem desiderare. Ne hoc quidem alumno solum gloriari Valentia potest; quoniam multorum cum oratorum, tum philosophorum edito abhinc annis viginti beatissimo partu, susceptam priscis temporibus barbariae maculam non delere solum suis viribus, sed aliis quoque Hispaniae civitatibus eloquentiae & artium omnium ac disciplinarum lumen inferre valet. Nam, ut *Ioannem Gelidam* tacitus praeteream, quem magno Ludovici Vivis testimonio alterum nostri temporis Aristotelem liceret appellari; non equidem invitus faciam, ut nobilissimi viri *Honorati Ioannis*, equitis Valentini, illam unam omnium rerum principem doctrinam, quae sit claro homine digna, atque eo, qui in republica velit excellere, quantum animo conniti potero, suspiciam & admirer. Siquidem praeter litteras Graecas & Latinas, & eas artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur, civili etiam prudentia usque adeo praeditus est, ut controversas merito, plusne litterae in hoc homine, an morum compositio & recta animi moderatio valeant. Sic vero litterarum studio & amore arsit, ut multos annos paene puer procul a domo peregrinatus sit, varias terras ac regiones obierit, seiunctissimas provincias peragravit, multarum gentium ac nationum perlustravit arcana; quae quantum bonis artibus & disciplinae civili attulerint commoditatis, sane ipse quotidie ostendit in aula *Philippi* Hispaniarum principis

cipis. Quocirca hoc loco mirari subit animum meum, quum tam multa virtutis & doctrinae huius viri pro foribus regiae domus exstent exempla, quid serenissimum principem nostrum retardet, non statim Carolum, dulcissimum filium, huius cum disciplinae, tum probitati committere, quemadmodum Philippus olim Macedonum rex Aristotelem Alexandro filio tantae spei principi doctorem accierit, a quo & agendi acciperet praecepta, & loquendi. Veteres enim principes, quorum & in Graecis, & Latinis historiis plurima mentio est, non tristi supercilio formidabilem aliquem philosophum aut declamatorem, qui novisset ad clepsydram latrare, erudiendis liberis quaerebant, sed viros toto orbe terrarum praestantissimos, qui litteris, ingenio, fama praecellerent. Novimus quidem Periclem, qui doctrina, consilio, eloquentia quadraginta annos praefuit Athenis, praeceptorem habuisse Clazomenium Anaxagoram, virum summum in maximarum rerum scientia: Critias & Alcibiades Socraticis sermonibus eruditi fuerunt: Dionem Syracusanum omnibus doctrinis expolivit Plato: eundem ille, non linguae solum institutor, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit & armavit: Isocrates clarissimum Timotheum Cononis praestantissimi imperatoris filium: Xenophon Agesilaum: Philolaum Architas Tarentinus: & Pythagoreus ille Lysias Thebanum Epami-

non.

nondam litteris instituerunt. Cui enim hoc perspicuum non est (quod pluribus equidem probare argumentis possem) neminem neque ducem bello, neque principem domi magnas res & salutare sine prudenti consilio, & litterarum adiumentis efficere potuisse? Quod ex veteribus permulti clarissimi viri considerantes, philosophorum otia, solitudinem vitaeque institutum persequebantur: quorum audire colloquia, libros legere, meditari praecepta, in militia etiam & medio bellorum aestu, avidissime conabantur. Pulchrum erat, medius fidius, intueri principes illos bellatores, quo animi ardore in acie pugnarent, eodem paene mentis vigore causas agere in foro, & philosophorum scholis disputare. Itaque Maximilianus imperator huius nostri felicissimi principis fortunatissimus proavus, quum praeceptorem daturus esset Carolo nepoti, tanti imperii & regnorum heredi, unum Hadrianum praecipua quaesitum cura delegit, repudiatis, qui se ambitiose praetulerant, vel amicorum studio producti ingenium variis artibus ostentabant. Haec vero Maximiliani singularis & divina prudentia non ita post annos multos repetita fuit in eodem Carolo Caesare invictissimo imperatore, erudiendi Philippi principis, Reverendissimo *Ioanni Martino Siliceo*, praestantissimo eius aetatis philosopho, demandata cura. Neque tam est his temporibus Hispania nostra bonis & eruditis vacua & spoliata viris, ut non

Aca-

Academia una Complutensis decem possit pro uno Aristotele magnos & incomparabiles praeceptores Carolo puero suppeditare. Sed revertamur rursus ad eruditos Valentinus, siquidem nescio quis me ardor animi, & occulti amoris flamma iam dudum considerantem urunt, quantum scilicet illud decus fuerit, quam rarum & incredibile, & ante annos multos post unum illum Aragoniae ex stirpe regia virum Hispanis nostris inauditum, qui patrio & avito relicto regno, inter monachos privatus vitam agere decreverit, quod felicissimis his temporibus illustrissimus vir *Franciscus Borgius* dux Gandiensis fecit, qui divinis incensus & inflammatus taedis, repudiato amplissimo patrimonio, in Societatem religiosorum nominis IESV, gloriose quidem ac sapienter illatus est. Quae quia me vehementer terrent, & magis ac magis contemplantem attonitum suspensumque reddunt, potuisse virum illustrem, publicis functum honoribus, florentem opibus, potentia eminentem, generosis liberis auctum, suis carum, gratum alienis, a fluctibus saecularibus emergere, & a domina voluptate respirare; non sane ausus fuero, tantum virtutis & divini amoris documentum tenuitati stili mei committere. Illam tamen nobilitatem, quam ex laude optimorum studiorum & artium sibi comparavit, quid me celebrare impediet? Nam in oppido Gandiensi, quod caput est Borgiae ditionis, percelebre collegium aedificavit, salaria-

riaque constituit artium & linguarum professoribus, praeter quotidianos illos sumtus, quos alendis religiosi nominis IESV plene cumulateque facit. Librum praeterea de Christiana pietate & seipsum cognoscendo composuit, qui numquam erat a manibus nostris meo consilio deponendus. tam est undique caelesti Philosophia, & spiritu divino refertus. Quod si Plinius, historicus naturae, Ciceronis Officia ad verbum iuvenibus edisci iubet, & Hesiodum Graeci pueris primum interpretabantur, a quo cum eloquentia vivendi quoque praecepta mutuarentur; nos commentarios illos non quotidie sumemus in manus, unde sanctitas, religio, pietas, neque insulse, neque imperite proficiscuntur? Non haec dico, privato ulli adfectui inserviens (historiam enim, non fabulas conscribimus) sed admiratus profecto patere etiam eloquentiae locum inter sacras & pias litteras, quod non usus aut exercitatio ulla scholarum attulit: sed inflammata mens caelesti igne, & calore divini furoris agitata, fudit interdum eos facundiae rivulos, quos numquam Ciceronis & Quintiliani praecepta dedissent. Talis mihi videtur Franciscus Borgius, & illorum plerique, qui spiritu magis, quam arte se exercuerunt: qui quum sine artificio ullo dicendi scripsissent, aliquid tamen maius & potentius ipsa arte boni & acuti lectores inveniunt. Ventum enim iam est ad ea tempora, quum non tam praeclarum est scire Latine,

G

quam

quam turpe nescire: sic quidem haec persuasio paucis abhinc annis magno ac singulari Numinis beneficio Hispanorum animos arctissime tenuit, ut multi etiam viri nobiles arbitrati sint, numquam se veram nobilitatem esse adepturos (quae in virtute admirabilique sapientiae studio consistit) nisi plus attigissent eruditionis, quam quantum prima illa puerili institutione fuissent imbuti. Hoc prudenti & divino consilio *Ioannes* serenissimus Lusitaniae rex, qui mihi omnium primus honoris & maiestatis gratia fuerat nominandus, in decus nobilissimae gentis, & utilitatem studiorum, inter victrices lauros quas ex Africa quotidie reportat, his temporibus *Conimbricae* fecit. Hic nobili constructa Academia, doctissimos undecumque praecipuos amplissimis conditionibus evocandos curavit: quorum illustri praeclaraque nominis fama non Lusitanos modo intra suum regnum contineret; sed exteras seiunctissimasque nationes, tamquam in refertissimum rerum omnium mercatum, ad suavissimas epulas invitaret. Vnum inter plurima, quae singulari regis prudentia instituta sunt, quod me saepe cogitantem plurimum recreat, veteri Scaevolae exemplo fieri audio, neminem ad ius civile audiendum admitti, qui non sit prius in *Dialectica* tempore aliquo versatus. Hic mihi licebat quamplurimos Lusitaniae viros doctos oratione mea celebrare, qui praeter ceteras artes pulcherrimas, quas sunt consequuti, hac etiam dicendi laude

de-

delectantur. In his est *Hieronymus Osorius*, qui *De Gloria*, & *De Civili & Christiana nobilitate* nobilissimos libros suavi simul & artificiosa verborum structura citra versum conscripsit. Sono & numero orationis leniter demulcet aures, ut hac una possit singulari virtute cum *Lactantio* & *Christophoro Longolio*, & quovis alio Ciceroniano non iniuria certare. Aristotelica tamen quadam disserendi ratione & copia sic est usus, ut non ad voluptatem aurium, quae summa est, sicuti ego aestimo, in hoc auctore, sed ad iudiciorum certamen scripsisse videatur. Sequitur e vestigio *Bartholomaeus Pinus Portodomaeus*, qui longe abest ab his ornamentis & deliciis orationis: propter ingenium tamen & artes liberales, quibus est institutus, & illud suum commentandi genus, quo librum *Quintilianiani* sane difficilem enarravit, philosophis & eloquentiae studiosis non improbandus. Quod si omnes viros doctos nominatim persequi vellem, quum tam multi quotidie in Hispania se proferant & ostentent, nullum sane esset oratio mea habitura modum: nam & copia narrantem obrueret, & (quod certius fore pertimesco) pudor cohiberet viventium laudes, & honor alienae virtutis moveret invidiam; quae solum pertinaci silentio sanari possunt. Sed numquam haec religio me ab hoc conatu repellat, quin celebritatem incredibilem & gloriam Academiae *Complutensis* fere immensam memoriae posterita-

G 2

tis

tis sempiterno praeconio consignem. Mihi igitur Academia Complutensis publicum videtur esse totius Hispaniae oraculum, ubi humanae vitae sortes laureati versant Theologi, quos non solum numero, sed divina quoque sapientia ceteris totius Hispaniae doctoribus, si non praeferre propter invidiam audemus, ne posponendos quidem iudicamus. Philosophorum praeterea, & qui aliis disciplinis, in sectas & familias distributi, operam navant, tam est innumerabilis infinitaque multitudo, ut singulorum annorum foetura possit viris doctis, sicuti re ipsa comperatum est, tota undique repleti Hispania. Atque ut totam hanc rationem Academiae Complutensis ad veterem studiorum formam & imaginem amoenissime conferam; hic canunt, ut inquit Martianus, redimiti vates, personant fidibus musici, dicunt ad clepsydram oratores, devolvunt Plato & Archimedes aureas sphaeras, ardet Heraclitus, udus est Thales, volitat Democritus circumfusus atomis, replicat Samius Pythagoras caelestes numeros, requirit Aristoteles Endelechiam, ducit Zeno anum providentem. Illud quoque addo, Hippocratem & Galenum Medicinam ex nocte densissima, in qua usque ad haec prope tempora latuerat, in lucem revocasse, partim publicis & quotidianis disputationibus Complutensium medicorum, partim editis doctissimis commentariis, qui in templo Aesculapii, ut quondam fecit Hippocrates, inscri-

scribi & dicari potuissent. Ceterum ut artes omnes & disciplinas nobiles haec Academia perbeate coluit, ita unius eloquentiae studio adeo fuit incensa, ut magnos oratorum partus perbrevis tempore tulerit. Hinc illi, quorum ego memoria vehementer recreari soleo, orti fuerunt, *Lupus Herrera*, *Laurentius Balbus* Lyliensis, *Ioannes Ramirus* & *Petreius Toletani*. Quorum hic postremus immatura morte nobis ereptus, ingenii & eloquentiae suae triste desiderium Academiae Complutensi reliquit. Impetratum hoc (quantum ego arbitror) a Ciceronis manibus, ne si diutius ille vixisset, inventus esset aliquis, qui ex eloquentiae laude ad ipsum Ciceronem adspirasset. Sed quum esset iuvenis, delectabat magis, quam inflammabat, & quodam quasi cantu detinebat auditores: & suavitate vocis, cuius plurimum illi natura dederat, sic exhilarabat animos, ut, perorata caussa, dimissi, qui in ea concione aderant, honorifice & cum admiratione de huius viri eloquentia loquerentur; & multis post diebus sermonibus requirerent amoenitatem illam. Sed me movebat magis *Ioannis Petreii* poesis, quae non humanum aliquid, aut infimum, sed divinum & excelsum sonabat; ubi non ille languor inerat, quem orationis iucunditas, ubertas lactea, suaviores numeri, imitatio Ciceronis adferebant; sed magnitudo quaedam & sublimitas mentis, quae vi quadam occulta, & spiritu magni vatis hominum mentes permovebat.

bat. Vtraque vero arte plurimum valuisse, testes sunt Complutenses. Nec illi defuit extemporalis facultas, vel ultro & ex consuetudine declamanti, vel saepe etiam adventu procerum & virorum nobilium intercluso; ubi non paratum aliquid & praemeditatum recitabat, sed de omni re proposita, quam modo intellexisset, ornate & copiose, & incredibili quadam suavitate disserebat. Verum huius aequalis *Ramirus* doctor Theologus, & rhetor primarius Academiae Complutensis, plus habuit meo iudicio industriae, quam naturae; quamquam utriusque sane permultum. Aetio tamen propter foeditatem oris non satis commendabat huius viri orationem; quae quum a doctis per otium legeretur, & omni artificio dicendi, & lectissima copia, & nitore Romano, & summa gravitate absoluta iudicabatur. Fuit amator popularis eloquentiae, quam ita per omnem vitam complexus est, ut eos persaepe reprehendere soleret, qui se a rebus vulgaribus & maxime notis ad sublimes & reconditas inutiliter & ambitiose subducerent. At *Lupus Hererra* & *Laurentius Balbus* Lyliensis, ut ingenio praestantiori, ita doctrina uberiori fuisse putantur, quod sane ex eorum monumentis perspicui potest: nam *Orationem* alter de studiis humanitatis omni antiquitate & doctrina refertissimam, tametsi parum luculentam propter stili adfectionem, reliquit: *Commentarios* alter perquam eruditos in *Valerium Flaccum* conscripsit,

psit, testes certe eruditionis singularis, & memoriae stabilis & firmae, quae plurimum in eo viro eminuisse dicitur. Sed linguae Graecae cognitione, cuius fuit sine controversia doctissimus, auctoritatem sibi maiorem, & ingenii commendationem est consequutus. Ne prius quidem a Complutensibus discedam, quam te, *Ludovico Catena*, cuncta paene audiente Hispania, in regno tuo collocem. Gloriari enim in primis, me iudice, licet Academiae Complutensi, habere se cancellarium clarissimum oratorem, numerosum & iucundum poetam, praestantem philosophum, optimum Theologum; nihil praeterea esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nescias, sisque unus instar populi, ut *Antimachus* dixit de *Platone*. Verum illud, non studio amplificandi eloquentiam tuam, verissime referam; neminem a me inveniri hodie ex his, quos de arte & dicendi vi erudita miratur Italia, qui locos communes maiori rerum varietate, suavitate & copia, quam tu, unquam pertractaverit. Deum immortalem! quam me saepe sine fastidio delectasti, eodem plus millies repetito argumento? quam novus semper & recens in caussa non semel perorata versabaris? quas faces auditorum animis de integro subiecibas? Qui quum annos quindecim in eadem fere materia te exerceas, nullusque mensis sit, in quo non pluribus diebus pro magistris & doctoribus dicas, ita te tamen a privata & singulari controversia ad universi

si generis vim explicandam varie conferre didicisti, ut numquam non iucundus & novus accedere videaris. Sed illa est omnium tuarum virtutum praecipua & maxima laus, in qua exultat & serio triumphat oratio mea, quod, diu ac multum repugnantibus barbaris, sophisticam a Complutensi Academia fortiter eiecisti; ubi annos multos cum gravi detrimento bonarum litterarum, & dedecore nostrae nationis adrisum usque & contemptum exterarum gentium regnavit impune. Sed nos iam dudum vocat *Salmantica*, antiqua Musarum domus, quam litterarum sacra colentes tacitam praeterire non possumus. Haec *Lycurgos* & *Solones* alit: & praeter paucos monachos eximie doctos, quos nuper *Caesar Tridentum* ad Concilium vocavit, unum habet *Fredenandum Pintianum*, multae & variae lectionis virum: quo nemo vivit hodie, aut veterum auctorum litterate peritior, aut utriusque linguae callentior. Hic, post edita quamplurima optimi acerrimique iudicii, & abstrusioris doctrinae monumenta, doctissimas item in *Caicum Plinium observationes*, opus ut infiniti laboris, ita quidem utilitatis ingentis, proxime in lucem emisit. Verum nescio quo malo fato adhuc fit, ut *Salmanticenses* viri graves, & qui primum scholas ingressi, ad honores statim, & reipublicae administrationem, cuncta suo nutu gubernaturi, spirant, tanta eloquentiae neglectione laborent, quantam nec legum, quas profitentur, ma-

ie-

iestas, nec studium boni patroni, nec illa ipsa *Consilia regia*, quibus ceu *Minoes* & *Rhadamanti* adhibentur, quoquo pacto ferre possunt. Qui si *Platonem* aliquando aut *Ciceronem* in manus sumerent; dubitare equidem non possum, quin essent percepturi animis, ingens in eloquentia verti momentum optima gubernandae reipublicae. Neque enim de professoribus loquor, quos multos & doctissimos *Salmantica* habet, sed de auditoribus haec publica & iusta querela est: qui summam civilis scientiae esse putant, pulchre vestitos esse in caussis agendis, & nihil propter gravitatem Latine loqui. Porro *Salmantica* discessurus, non est cur silentio praeterire debeam virum incomparabilem *Franciscum Victoriam*, qui splendor *Instituti Dominici*, decus & ornamentum *Theologiae*, exemplar antiquae religionis fuit. Hic *Theologiam*, ut *Socrates* quondam *Philosophiam*, a caelo evocavit, quam non in *Hispaniae* modo civitates, sed domos etiam & animos hominum sic invexit, ut sint hodie permulti illius discipuli, quos, propter admirabilem scientiam, & exquisitam rerum copiam, exterae nationes iure debeant admirari. Huic vero tam excellenti & divino homini parem fuisse arbitramur *Ioannem Methymnaeum Complutensem* non ingenio solum, quo plurimum vixit, sed doctrina & subtilitate quadam disserendi, & reliquis etiam animi ornamentis, quae permulta in hoc singulari & summo

viro fuerunt; quem nec ab scribendo deterruit amplitudo Victoriae; nec huius unius viri studia, quae per annos viginti Compluti floruerunt, potuit quam sua copia obscurare. Fuit enim hoc datum dono quodam providentiae duabus maximis & amplissimis Hispaniae Academiis, ut duo in eis summi Theologi eodem tempore versarentur, unde fructus doctrinae admirabiles in omnes partes ex aequo & sine invidia redundarent. His duobus eiusdem aetatis adnumerabatur nemo tertius. Verum post Theologos Complutenses, quibus, sicuti ego statuo, nihil fieri potest siderum conversione perfectius, Philosophiae iuxta atque Theologiae arcem hodie citra controversiam tenent *Dominicus de Soto* Secobiensis, *Alfonsus de Castro* Zamorensis, Reverendissimus vir *Melchior Canus*; *Bartholomaeus Mirandensis*, quibus ego *Ludovicum Carvaillum* merito fortassis adiungerem, nisi me conantem praeclarum aliquid & eximium de nobili praestantissimoque monacho dicere, irati simul & indignabundi Erasmi manes a proposito deterruisent. Ceterum *Dominicus de Soto*, unicum ingenuarum artium columen, totius Hispaniae consensu ceteris studio & doctrina praestitisset doctoribus, si suo Thoma & Aristotele contentus praeclaram illam ad Romanos Epistolam *commentariis* non attigisset. Volare quidem in caelum cum Icaro voluit, & calore solis resolutis pennis, in mare vastum & mire spatio-

sum,

sum, quamlibet acutus logicus, & magnus Theologus, eruditorum iudicio praecipitatus est. *Alfonsus* autem de Castro Zamorensis, monachus Franciscanus, si ut aliena, cum haëreticis congressus, fortiter & litterate nimis refutavit, ita ornate & copiose confirmaret nostra, nequidem vererer cum veteris aetatis praecipuis auctoribus multis quidem doctrinae partibus comparare. At summi viri *Melchioris Cani* & *Bartholomaei Mirandensis* omnis illa ingeniorum, & singularis doctrinae numquam satis pro meritis laudata facultas, ex monumentis ipsorum non ineleganter scriptis perspicui potest: quae & omnino absoluta est & perfecte diserta, in eoque constituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant. Nusquam autem, quod ego legerim, aut plures olim Academiae fuerunt, aut privata eruditorum collegia, quam hodie sunt in Hispania; si veterem Graeciam recordari, & florentem quoque Italiam meminisse iuvat. Nam retinet etiam nunc veteris vestigii formam, & antiquae maiestatis imaginem aliquam fundata a Sertorio Academia in urbe *Oscæ*, ut est a Plutarcho memoriae proditum. Et habent suos litterarum celebres ludos *Ilerda*, *Valentia*, *Ossuna*, *Granata*, *Pintia*, *Hispalis*, *Barcino*; & *Cantabria* illa ferox, quae sera, ut Flaccus canit, vincita est catena, nunc primum (quod est ingentis admirationis) & Latine loqui, & philosophari coepit: Laconumque illa brevilocquentia, qua utebatur, in Atticam

H 2

con-

conversa est. Hoc loco mihi fuerat vicatim peragrandata tota Hispania, & celere stilo in omnem partem percurrenda, ut acervatim narrarem, qui urbe Toletoprodierint viri eloquentes, ubi una domus Vergarae est, cuius eadem felicitas, quae olim Curionibus, ut tres in ea clari nominis essent oratores; qui Soria, *Numantia* quondam *Arevacum* (ut *Straboni*) vel (ut *Plinio* placet) *Pelendonum* appellata; qui nunc *Burgis*, *Pintiae*, *Hispali*, & in ipsa *Caesaris* aula vivant in gloriam praesentis saeculi excellentes philosophi & oratores. Sed cohibendus est stilus; nam timeo vehementer, ne iudicium premat amor, & adfectu nimio occupatus animus, inquirendae veritatis rationem amittat: velut amantes qui de forma iudicare non possunt; quia aestus ille cupidinis ardentissimus oculorum sensum perturbat. Quamquam non patiar sic a me praeteriri levi orationis cursu *Ioannem Vergaram* *Toletanum*, qui omnium primus inter viros Hispaniae doctos iustissimis de causis fuerat mihi referendus; vel quod Graecas & Latinas litteras felicissime a puero didicisset; vel quod eruditi ac disertis oratoris palmam saepe, non repugnante Italia, meruerit, dum pro *Ecclesia Toletana* ad Romanos Pontifices scriberet; vel quod nullum sit scriptorum genus, in quo non ille bene ac praeclare fuerit versatus. Qui si tantus est, quantum aequalis meus & familiaris *Alvarus Gomezius*, vir litteris Graecis & Latinis, ingenio simul &

do-

doctrina ornatissimus, mihi praedicavit, quem illi partem hoc tempore faciam, unum aut alterum invenio, superiorem habeo neminem. Nam quantum huius germanus frater *Franciscus Vergara* ingenio & doctrina praestiterit, non modo edita *Ars Graeca*, sed cuncta *Academia Complutensis*, quae hoc praeceptore & patrono multos annos usa est, nobis omnibus testatur. Sed longius intrabo, & si occurrat posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed momos etiam sandalium Veneris carpentes; non tamen committam, ut invictissimi *Caesaris* historicorum sit meo silentio non illustrata fama. Habet enim *Caesar* tres, quos ego noverim, ornatissimos viros, qui de rebus a se gestis, diverso quidem stilo, sed non dispari fide aut diligentia, conscribunt; qui quum primam historiae legem religiosissime servant, primum ne quid falsi dicant, deinde ne quid veri non audeant, ita omnes historiae virtutes complexi sunt, ut illud *Senecae* locum non habeat: *Quis umquam ab historico iusiurandum accepit?* Nam *Petrus Messias* eques *Hispalensis*, qui nuper e vivis non sine magna bonarum litterarum iactura commigravit, instar amnis leniter labentis sedatus fluit, fidelis est & valde circumspectus in historia, & quodammodo, ut *Quintilianus* de *Messala* dixit, prae se ferens in dicendo nobilitatem suam. Fuisset tamen quorundam eruditorum auribus multo dulcior, si linguam *Hispanam*

pau-

paucis vocabulis Latinis non vitiasset. Hoc tamen mihi peregrinum non videtur, quod suo loco, quod maiore quadam significatione, quod suaviori sono Hispano sermoni infertur: aut dele ex lingua Hispana Graecas & Latinas phrases: expunge Hebraismum: tolle tot gentium & nationum vocabula, quae cum imperio introducta fuerunt. Urgebo etiam magis: prohibe tu adsertor linguae Hispanae, ne Marcus Tullius Graeca Latinis coniungat; tum ego Hispanis Latina non copulabo. Fuit ista Pomponii Laeti stulta & scrupulosa, dum viveret, persuasio ediscendi numquam litteras Graecas, ne sermonis Latini puritatem cultu alieno deturparet. Verum, quum lingua Latina Graecae filiola sit, divinare utique nequeo, quonam modo Pomponius Laetus ad istam Romani sermonis proprietatem, & arcana linguae Latinae pervenire potuerit; nisi plus ille suo tempore viderit, quam Cicero & Marcus Varro, quos linguae Latiae deos semper Roma coluit. Itaque non est, neque futurum aliquando permittemus, summo ingenio virum, doctrina item maiore hominum opinione, laesae corruptaeque linguae Hispanae apud nos reum agi: qui quum homo Hispanus sit, summa interdum gratia, & non sine aliquo eloquentiae mysterio latinisset: quum Latinis quoque, quum velint, permissum sit citra culpam graecissare. Mox adest *Genesius Sepulveda Cordubensis*, in quem latuenti crebro in mentem mihi venit vereri,

aequod sit habitura curriculum illa & natura admirabilis, & exquisita doctrina, & singularis industria; qui quum multis in rebus excellat, sic in omnibus tamen eminent, ac si totum suum otium in singulis reposuisset. Latine vertit Aristotelem, & quae a doctis accepit Graecis, si digna existimavit, in quibus elaboraret, multo quam in ipsis fuerant explicata auctoribus, meliora reddit. Genus orationis habet fusum, tractum & cum lenitate quadam profluens, quale historia, auctore Cicerone, postulare videtur. Hinc quibusdam error natus est, modo errore illi, ac non vera potius certaue sententia trahantur, ut tam in admirabili aureoque eloquentiae flumine, quantum in *Genesio Sepulveda* attoniti intuemur, spiritum aliquem ampliosem desiderent, calorem intensiorem quaerant, & flammam maioris incendii postulent, non intelligentes fusioribus numeris placidam quietamque orationem reddi. Sit igitur hoc *Genesii* proprium perpetuumque elogium, laudatum fuisse ab Erasmo, celebratum encomiis a Paulo Iovio, sublatum in caelum a Lilio Gyraldo Ferrariensi: neminemque unum esse ex his, qui de claris doctrina viris aetate nostra conscripserunt, qui non Hispanorum primum *Genesium Sepulvedam* meminisset. Satiisque iam esset de aucta eius dignitate loqui, quam de artibus & studiis, de quibus nemo, modo eruditus esset, umquam dubitavit. Postremus est *Florianus*, qui mihi vir unus

& veterem maiestatem imperii representat, & quaedam cum gravitate eloquentiae & puritate sermonis Hispani ad scribendam *historiam* se maxime applicat, clarissimum historici nomen transmissurus ad posteros. Decretum mihi erat, nihil de praestantissimo viro, & antiquae nobilitatis *Praesule Mindoniensi*, qui solus aulicorum manibus proximis annis gestabatur, privato iudicio statuere: nisi me invitum & plane repugnantem libellus vulgatus a *Petro Rhua Soriensi*, homine cum paucis erudito, in hanc censuram pertraxisset. Ego vero sic existimo, virum hunc mirae facundiae fuisse, & incredibilis ubertatis naturae; sed omnia rerum momenta, quod *Pedio* obiecit *Persius*, *rasis Librat in antithetis, doctas posuisse figuras* laudari contentus: fulgurat interdum & tonat, sed non totam, ut olim *Pericles Atheniensis*, dicendo commovet civitatem: & dum nihil vult nisi culte & splendide dicere, saepe incidit in ea, quae derisum effugere non possunt. Qui si illam extra ripas effluentem verborum copiam artificio dicendi repressisset, & graviorum artium instrumento locupletasset, dubito quidem, an parem in eo eloquentiae genere in Hispania esset inventurus. Hoc dicendi genus corruptum, & omnibus nugis & deliciis fractum, ante hunc *Herodatum Hispanum, Amadisii & Splandiani*, & similium librorum male feriati auctores sibi excogitarunt, qui multa quidem praeclara dixerunt adjuvante natura: tamen quia id fortuito & non

ar-

arte fiebat, paratum esse non potuit. Hinc adulationes & hyperboles poeticas tumido elatoque sermone plerique sunt buccinati; ut *Homerus*, quod refert *Lucianus*, de *Agamemnone* commentus est, quod capite esset *Iovi* similis, pectore *Neptuno*, zona *Marti*: quasi deus unus ad similitudinem regis unius non sufficeret. Etenim multa hominum ingeniis donanda iudico; sed vitia, ut inquit *Seneca*, donanda sunt, non portenta. nam ea saepe finguntur a multis, quae magnos & sapientes viros de se ipsis audire pudet. Quod utique *Aristobulo*, ut idem facetissime narrat *Lucianus*, accidisse legimus, non acutius aliquid scribenti; quod sane ferendum est in historia, si *Marco Tullio* credimus; sed aperte mentienti, quod non licet. Nam quum notum illud & maxime celebre *Alexandri & Pori* regis singulare certamen a se scriptum coram ipso *Alexandro* legeret; putaretque vecordissimus homo, se maximam apud regem gratiam inituram esse, si de rebus ab eo praeclare gestis quam amplissime nugaretur; quaedam falso per adulationem adiecit: quae quum *Alexander* audiret, subita indignatione princeps altae mentis commotus, ereptum manibus librum in fluvium *Hydaspim*, quo tunc forte navigabat, quam longissime proiecit. Et te, inquit, eodem modo oportebat, *Aristobule*, praecipitari, qui talia pro me singulari certamine pugnaveris, & elephantos sagitta interfeceris. Etenim si hanc *Alexandri* reliquis suis fa-

ctis

Etis exaequatam virtutem Graeciae principes imitati fuissent, numquam quidem tot portenta fabulosa nobis peperisset Graecia: quae nostri nunc Hispani in regum aulis desides omnique otio soluti, legendis *Feliciani* prodigiosis nugis, complecterentur. Romana quoque historia, quod in Bruto Marcus Tullius tacere non potuit, mortuorum laudationibus facta est mendosior: quum enim ab aliis scriptas orationes in familiae suae quasi ornamenta ac monimenta Romani veteres servarent, & ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem suam, pro historiis a posteris receptae sunt; quum multa in eis fuerint scripta, quae facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus. Verum quae a nostris veteribus Hispanis scripta est de rebus domesticis historia, ut omni dicendi artificio & orationis lepore caret, ita fide rerum gestarum principatum tenet. Nam *Lucas Tudensis*, *Rodericus Tolétanus*, & alius huius nominis *Pallantinus*, quum non ad voluptatem aurium, sed ad memoriam & iudicium posteritatis scripsissent; cum a deliciis longissime, tum ab ineptiis & mendacio procul abfuerunt. Quibus si nobilium Hispanorum genera, familias, imagines, armorum emblemata (post absolutam magnam illam, quam iam pridem *Floria-*

nus

nus conscribit, historiam) praestiterit; nihil erit in hoc genere vel certius nostris annalibus, vel propter hanc unam laudem memorabilius. Sed plerosque eorum, quos nominavi, pura & illustri brevitate praecurrit clarissimus vir *Ludovicus de Avila*, qui lectissimam illam aulicamque elegantiam, quae fuit in Caesare quondam maxima, & nomen quoque ipsum *commentariorum*, conscripta nuper de victoria Germanica historia, sola fere est imitatione consequutus. Nativis etenim & maxime propriis & urbanis utitur verbis, quae quamvis domestica, ut Caius Caesar, consuetudine imbibit; tamen ut esset perfecta haec loquendi laus, multis litteris, & his quidem reconditis, summo studio & diligentia, dum in aula versaretur, etiam obtinuit. Sed iam dudum me expectari a Complutensibus sentio, ut de *Cypriano* monacho Cisterciensi, qui vario auditorum iudicio sacras litteras Compluti profitetur, sententiam quoque meam pronuntiem. Quod ego sane libenter faciam; & quod propositum est colligere eos, qui non doctrina solum & eruditione praestare putantur, sed qui munere etiam aliquo eloquentiae, aut praeteritis temporibus functi fuerunt, aut nunc, propter hanc unam eximiam singularemque virtutem, doctis omnibus in admiratione sunt; aut quod summam voluptatem capio; tam ornatum virum, tamque excellens ingenium in Academia nostra & republica florere. Quam-

I 2

quam

quam multo quidem libentius ad hoc ferendum iudicium accederem, nisi dum unius viri gratiam inire quaero, ex iudicio ipso protinus nata invidia; multorum favorem timerem amittere. Nam quis non videt, quanta mihi pugna cum principibus scholae nostrae viris iure fortassis subeunda sit, qui inter tot praeclaros & excellentes professores, quot magno & singulari Dei beneficio Academia Complutensis hoc tempore habet, unum praeter ceteros praedicandum suscipiam, ubi omnes sunt immortalis famae praeconio digni. Itaque aut cunctos celebrare ex aequo oportebat, quos ingenii scilicet & doctrinae ornamenta viros maximos & admirabiles reddiderunt, aut universos uno praeteriri silentio, ne cuiusquam offensionem, ut saepe fit, incurreremus. Sed quum hoc, quod exercemus, clarorum virorum iudicium sit, fierique nequeat omnino, ut victis & victoribus una placeamus, pertinacis silentii unum erat remedium, nisi me quorundam sciorum indocta pariter & perturbata de *Cypriano* iudicia movissent; magis in circulis addiscentium effusa temere, quam lata prudenter. Itaque huic viro religioso nihil neque a natura, neque a vera & solida doctrina, sicuti ego iudico, deesse invenio; ut non inter claros nomine sapientiae viros sit cum primis non a me referendus. Siquidem ad Graecas & Latinas litteras, quas raro felicitique fretus ingenio perbrevis tempore didicit,

He-

Hebraicas atque item Chaldaicas praeclare adiunxit, ut esset nihil, quod ille ignoraret, studio & interpretationi Divinae Scripturae necessarium. Atque praeter hanc linguarum peritiam minime vulgarem, fusa etiam splendidaque verbis eloquentia, cum multa diutinaque bonorum auctorum lectione, tum peculiari quodam naturae dono feliciter illi contigit. Quae quum se in copia magis, quam brevitate ostendet, hoc evenit interdum, ut dum prae nimia fertilitate luxurianti ingenio habenas laxet, immodicus & redundans quibusdam videatur. Quotidianas vero Scripturae Divinae praelectiones supra modum auget & amplificat, insertis subinde locis communibus; quos quia non de more sophistarum in spinosas Dialecticae quaestiones confert, sed molli potius, Xenophonteoque genere sermonis tractat, vacuum eruditione doctissimum virum multi queruntur, quum secus fluat alveo pleno. Neque enim vident inconsiderati homines vitium apertum esse, solam virtutem sententias putare, quo tota fere Quintiliani aetas, iam inde ab Annaeo Seneca hoc malum usque repetens, in miserabilem casum & interitum eloquentiae laboravit. Nam quae, obsecro, sacrarum litterarum interpretatio illa esse potest, quae aridis & ieiunis conferta sententiolis, nullum umbris aut communibus locis spatium relinquit, quos parum culti & impoliti auctores *materias* appellant? Mitto quod adfectus & colores, & illa ipsa in qua, auctore

Ci-

Cicerone, exultat oratoris laus, amplificatio, & figi altius auditorum animis, quae dicuntur, & diutius retineri, quum oblectent, occulta quadam vi ac potestate efficiant. Itaque virtus, non vitium est, res quas tractes, plenius & uberius amplificare, quoniam & rerum copia verborum copiam gignit: quae si uspiam desiderari debuit, a publicis praesertim professoribus & in permixta hominum corona, & sacrae caelestisque Philosophiae explicatione expeti ac requiri diligenter oportuit. Reliquas porro cum doctrinae, tum corporis animique virtutes nobiles, si nos pudore impediti nunc silemus, futura saecula non tacebunt. Quoniam vita, mores, religio, vultus denique ipse, vocis praeterea ac sermonis cum gravitate lepor non modo ingenii huius viri commendationem non evertunt; sed incredibili fere totius Academiae concursu studiosos omnes ad se rapiunt. Vnum postremo, quod est reliquum sententiae meae, testari numquam pudebit, tantum virum datum fuisse divinitus Academiae Complutensi, ut hoc insigni praeceptore discant posthac nostri Hispani vere & eleganter sacras litteras interpretari. Siquidem non vulgarem illam & ridiculam interdum, barbarorum hominum vitio, ex tropologicis, anagogicis, & reliquis sensis quadripartitam enarrationem facundia & ingenio destitutus persequitur; verum ita ex arcanis Divinarum litterarum spiritum ducit, ut penetrasse eum ad Chaldaeos proculdubio suspi-

spiceris, quò miranda nostrae legis fundamenta revelaret. Haec vero dicimus, non quod non amplectamur quatuor sensus receptos ab Ecclesia & sacris doctoribus; sed improbamus morem indoctorum hominum in exponendis sacris litteris, qui putant ex omni loco Divinae Scripturae semper quatuor sensus deduci oportere. Reliqui sunt, qui nostra, & patrum avorumque memoria, partim rythmis illigati Hispanis, partim (quod nostris temporibus nescio cuius Apollinis adflatu usurpari video) Italicis numeris magis artificiosi, quam suaves & canori linguam nostram locupletarunt. Sed quum multa intercitant invalescantque temporibus, sitque certissima regula non in cuiusquam rei bona aut mala natura, sed in usu potius atque consuetudine; damnare equidem non possum, nec si possem, maxime deberem, principes huius artis nobilissimos, *Boscanum, Lassum, Ioannem Hurtado Mendozium, Gundisaluum Perez*, viros plane doctissimos, & quos in numero Petrarcae & Dantis, & si quos Italia praestantiores habuit, locare non timeo. At quorundam auribus dulcius sonant *Ioannes Mena, Bartholomaeus Naharro, Georgius Manricus, Carthageña*, & illustrissimus marchio *Ignatius Lopez Mendozius*: tum veteres illae *Cantiones*, quae clarorum hominum amores & fortia facta, victorias etiam & triumphos cum horrore aliquo antiquitatis iucundissime narrant. Mihi vero, si minus aliud, ampli-

plitudinem & divitias linguae Hispanae hi ostentare videntur, qui in hanc rythmorum formam vel iucundiores fabulas, vel honesta vitae praecepta contulerunt. Est enim lingua Hispana locuples & speciosa, quae non semitis, sed campis; non uti fontes angustis fistulis, sed ut latissimi amnes totis vallibus fluit: quod Fabius de eloquentia ornatissime dixit. Multis tamen ac dissimilibus diversarum linguarum augetur vocabulis, quippe ex parte maxima Latina est, & Graecas interdum & Hebraicas dictiones incurrit: saepe in Gothicis haeret; frequentissime Arabicas profert: ut nullum signum evidentius habeamus, quo exteras peregrinasque gentes in Hispaniam venisse credamus, quam unam ex tam divulsis & quasi discerptis nationum vocabulis conflata linguam. Hinc mecum omnia versans, nihil Hispanorum ingeniis feracius esse putavi, his praesertim, quae disciplinis liberalibus exculta sunt; propterea quod ut segetes fecundae & uberes non solum fruges, verum herbas effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illa divite verborum copia, qua supra modum Hispani abundant, non mirandum est, si novi nunc erumpant rapsodi, qui maiorum modulationibus non contenti, Italicorum adsimulata poemata cum Ione Platonico divinitus scilicet inspirati canant. Ego enim, si ambitu certissimae immortalitatis poeta esse vellem, optarem illud in primis, ut me dulces Musae remotum a sollicitudinibus & curis

in

in illa sacra illosque fontes ferrent, ut est a Virgilio amoenissime exoptatum, ubi si de more veteri carmina in theatro recitarem, totus repente mihi adsurgeret acclamaretque populus, quemadmodum, praesente Augusto, ipsi accidisse Virgilio Cornelius Tacitus historiae suae mandavit. Mediocres vero poetas, qui nullis virtutibus accedunt ad Linum, Orpheum, Apollinem, & illos (quos diis genitos, & sacros reges delusa fabulatur antiquitas) aut mollioribus numeris, & maiestate carminis ad Maronem, Lucanum, Statium; numquam tanti fecit Horatius, quanti ipsi hodie se inani quodam artis invento adroganter efferunt & iactant. Quos poetasne nominare debeam, an versificatores, non equidem statuo: numerum sane & sonum & lusum quosdam perurbanos in multorum carminibus inesse video; eruditionem vero & spiritum vatis, & excultam elegantemque linguam (nam id quoque plurimum refert quo quisque loco linguam didicerit) morose saepius & scrupulosius requiro. Hoc quidem Cicero non in poetis modo, sed in ipsis quoque oratoribus, quorum magna est cum poetis adfinitas, saepissime desiderasse videtur. Nam & Caecilio competitori suo, in causa illa de eligendo acusatore contra Verrem, hoc uno pudorem fecit, quod litteras Graecas non Athenis, sed Lilybaei, & Latinas non Romae, sed in Sicilia didicisset. Omitto iam poetas nostros, quibus neque studio quemquam, neque industria maiori,

K ne-

neque ingenio qui praestiterit, facile invenio; si in-
 luissent quidam eorum culpa vacare, quam errati ve-
 niam turpiter deprecari: qui Hispani quum essent,
 Italicos modos, tamquam alienos fundos invaserunt.
 Vnus postremo mihi restat vir nobilis *Christophorus
 Colonus* natione Genuensis, sed Hispali urbe donatus,
 non studio iucundae poësis ipsi orbi notus, sed Ma-
 thesis potius divinitate memorabilis. nam siderali scienti-
 tia, qua erat egregie doctus, aut divino potius consi-
 lio excitatus, magnum quidem & inauditum facinus
 est aggressus. Despectis enim Herculis columnis, per
 mare oceanum, quod Atlanticum & magnum appella-
 mus, in Antipodas feliciter navigavit, ubi novum or-
 bem, terras alias, & eas stellas, quas numquam ex Hi-
 spania vidimus, omnium mortalium primus, nescione
 in suam magis, an illius gentis fortunam invenit. Et
 quod fuit quondam multis viris doctis incredibile,
 esse homines, qui adversa nobis vestigia premerent,
 ipse suis est oculis contemplatus: persuasurus etenim,
 quantum ego credo, *Lactantio* & *Augustino*, si eo
 tempore viverent, quod ineptias illi & fabulas, ma-
 thematicis artibus destituti, falso aliquando credide-
 runt. Itaque ter peragrato orbe, per immensos navi-
 gationis errores Hispalim ad suos revertit, maiori qui-
 dem cumulatus gloria, quam *Bacchus* olim & *Her-
 cules*, qui totam fere *Asiam* & *Europam* magnificen-
 tissimis triumphis perlustrarunt; aut magnus ille *Ale-*

xander, qui mundos adhuc alios suis restare victoriis
 suspirabat. Neque inter tanta fortunae blandimenta
 re alia gaudebat magis, quam, se duce, in illos fines
 orbis terrae propagatum esse Christi Evangelium, &
 insonuisse nomen filii *Zebedaei*, dum aquilas imperii
 & leones Hispaniae nostri homines victores inferrent.
 Hoc sibi lauream, hoc currum auratum putabat, tu-
 mido ac indignanti oceano se primum compedes in-
 iecisse, non illas quas *Mithridates* olim furore amens
 mari minabatur, sed quae libertatem Christianam, &
 felicitatem sempiternam barbaris hominibus pollice-
 rentur. quod ipse secundum Deum suis referebat ac-
 ceptum mathematicis, quae per intentatum mare viam
 in alium orbem munivissent. Huius etiam filius *Fer-
 dinandus Colonus* prope aequalem vitae dignitatem in
 otio tenuit, quam pater in negotio habuit. Nam ut
 erat eximius singularisque philosophus, aedes ad *Bae-
 tim* operose magnificentissimeque aedificavit in loco
 salubri & amoeno, Musis etiam maxime convenienti.
 Has circum topiario opere exornavit, ubi constructa
 quam amplissima bibliotheca, quae viginti quinque
 librorum millia dicitur habuisse, tum annuis dotata
 redditibus, ne non quotidianis librorum accessionibus
 aucta periret, vitam cum studiis terminavit. Quod
 si tot doctorum hominum millibus Hispanae erudi-
 tionis vituperatoribus non satisfacimus, prodeat etiam
 in aciem lectissimus feminarum chorus, qui de inge-

nio & doctrinae laude cum Graecis & Latinis genere admodum certet. An non ego iure opponam excellentem Calabriae ducem, *Zeneti Marchionam* Aspasiae Xenophontis, quae quondam in conventu eruditorum ausa fuerit cum Socrate inductionibus disputare? Cuius, obsecro, principis viraginis ingenium uberius cultum Graeca & Latina eruditione fuit? cuius animus in studiis magis aestuavit? quis tam occultos eruditionis thesauros ex Belgis umquam in Hispaniam reportavit, quam quum haec, defuncto priore viro Nasao, ad suos revertit? Pugnabit cum Diotima Platonica *Isabella Ioensis*, nobilis femina Barcinonensis, optimarum litterarum studio, & vigilantis ingenii fertilitate, tum vita & moribus Paullae Romanae persimilis. Quid referam clarissimam feminam *Angelam Zapatam*, quae quum angelica mente donata esset, doctissimi viri Ludovici Vivis, civis sui, amplum & magnificum testimonium de ingenio pariter & doctrina tulit? Quid *Sigaeam* Toletanam, quam propter litteras Latinas, Graecas & Hebraicas serenissima Lusitaniae regina intra aulam suam incredibili admiratione excepit, & in illustrium feminarum classem, quibus ipsa privatim & honestissime uteretur, statim referri voluit? Quid *Annam de Osorio* Burgensem, & maiorum imaginibus nobilem, & divinae Theologiae studio celebrem? Quid complures alias, quas ego partim de facie novi, partim *Alexius Vene-*
gius,

gius, prope infinitae & stupendae lectionis vir, qui & subtilitate ingenii, & disciplinarum varietate, & morum honestate & elegantia nulli est postponendus, magna cum voluptate mea mihi narravit? E quarum specioso conspicuoque grege unius mulieris Latini versus sacris saepe & publicis certaminibus primam Hispali & Compluti lauream iudicum sententia meruerunt? Quam velim significare nemo non Complutensis intelligit. Nam haec fuit illa *Catherina Pacensis*, quae non dum expleto aetatis anno vicesimo septimo, in ipso vitae flore Carracae, quae nunc Guadala-xara, acerba & immatura morte e vivis proxima aestate crepta, insanabilem attulit Musis dolorem. Heu! quae ingenii vena illo die ad summam gloriam eloquentiae florens exaruit? quos poesis fontes subito fortuna prostravit? quae non litterae politiores cum illa mortuae & sepultae fuerunt? Verum profecto illud est, quod a Fabio Quinctiliano dicitur: *Celerius occidere festinatam maturitatem, & esse nescio quam, quae spes tantas decerpat, invidiam; ne videlicet ultra quam homini datum est, nostra provehantur.* Laudet Cicero, quantum velit, Corneliam matrem Gracchorum: miretur attonitus Laelias, Mutias & Licinias: proferat Lucanus suam Polam Argentariam; numquam tibi, *Catherina Pacensis*, tam erit Complutum ingrata, ut non cum illis te comparare audeat. Sed modus iam sit destinato operi, quamquam memo-
riam

riam aequalem & maxime notam & fortasse necessariam quorundam incurrebam: tamen modestissimum esse putavi, de praesentibus, & quibuscum viverem, sine odio & invidia tacere: vel quod in Bruto Marcus Tullius de omnibus aetatis suae auctoribus, exceptis Caesare & Marcello, altum silentium egerit: vel quod hunc imitatus vir acutissimus & singularis prudentiae Quintilianus, paucis sui temporis eruditus nominatis, totam iudicii invidiam sapienter effugerit: vel ut habeant postremo, qui post nos de viris Hispaniae doctis conscribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Consulto equidem ex veteribus nonnullos praetermisi, quos quidem iactatione populari, & ut nobis quidam blandirentur, Hispanos fuisse memorant. In his est *Trogus Pompeius* (ut nihil de imperatoribus *Antoninis* & ceteris dicam) quem Episcopus Gerundensis, historicus magis doctus quam ornatus, inter nostros ambitiose connumerat. Ego vero, ut quod est apud Iustinum verissime referam, Trogi maiores Volscos fuisse invenio, cuius avus Trogus Pompeius, Sertoriano bello, quod gestum fuit in Hispania, civitate donatus a Gnaeo Pompeio memoratur. Vnde hunc errorem Episcopi Gerundensis, in quem Lucius quoque Marinaeus incidit, certissima coniectura existisse arbitror. At pater Trogi Caii Caesaris fuit ab epistolis, qui legationum & curam etiam annuli propter eloquentiam & vim
in-

ingenii habuisse fertur. Quare desinant posthac importunissimi conviciatores doctissimis Hispanis maledicere, quum neque artium liberalium antiquitate, neque doctorum hominum copia, neque ingenio, neque industria, neque religione, aut priores existisse alios, aut post Graecos & Latinos praestantiores inveniamus. Illud tamen inficiari neque debeo, neque iure possum, plerosque eorum ad maiorem ingenii & eruditionis famam potuisse pervenire, ni maluissent exercere quantum haberent, quam consequi quantum possent. Disciplinas tamen modice vitiatas esse, taceri non licet: quoniam & sophistae permulti, & medici ex doctrina Arabum infantissimi, & ex iure civili Accursiani, & Theologi nonnulli ex veteratoria illa disserendi ratione parum splendidi, qui mori omnino cum sua barbarie iam debuissent, adhuc multis in Hispaniae locis vivunt. Sed quum his, qui inquinate loquuntur, nullus iam in ludis litterariis locus sit, nullus inter eruditos honor, nulla vulgi admiratio, neque praemium ullum deflorescentis & putridae doctrinae; non equidem dubito, quin, quod est huius calamitatis residuum, brevissimo tempore sit expurgandum. Siquidem dialectici, repudiatis barbarorum nugis, in uno principe Aristotele, & veterum auctorum commentariis libenter conquiescunt. Medici praeter litteras Graecas & Latinas, & Hippocratis Galenique doctrinam, quam mirifice complectuntur, Astrologiae

giae etiam studio quamplurimum temporis suppedi-
tabunt, ut nulla illis boni perfectique medici laus de-
sit. Id enim frequenter requiro in nostris medicis, op-
tarimque hoc uno aliquando expleri gaudio, & pro-
pter reliquorum hominum salutem, & crebro ingruen-
tes meos morbos, ut astronomica ratione compone-
rent & accomodarent medicinas. Nam quantum con-
ferat curandis ac pellendis hominum morbis, produ-
cendaeque in aevum cunctorum animantium vitae,
caelesti aliquo adminiculo fieri medicamenta, nove-
runt sane Pythagoras ille Samius, Democritus Ab-
derites, Apollonius Tyaneus, Marsilius Ficinus, &
Arabes quamplurimi; qui sibi & aliis permultis lon-
gissimam vitam caelitus compararunt. Itaque inferio-
rum naturas, & caelestium vires, & horum sympa-
thiam qui aut aliquando didicerunt, aut diuturno stu-
dio fuerunt perscrutati, & curandi laudem, & do-
ctrinae palmam, & magni perfectique medici cogno-
men semper reportarunt. Iure consulti autem melio-
ris frugis spem mihi pollicentur; quod videam eorum
plerosque ut iuris, ita aequitatis consultissimos esse.
Theologis postremo nihil habet Hispania hoc tem-
pore eruditius, nihil praeclarius, nihil divinius; si pau-
cos e medio tollas minutos & pervetustos, quos olim
Sorbona, dum peregre exsularet eloquentia, divis i-
psis ac hominibus infestos tulit. Nec est quod timea-
mus semel restitutam Theologiam theologastrorum
vi-

vitio iterum perditum iri, dum longe omnium fortu-
natissima Academia nostra duos in omni doctrinarum
genere principes viros *Andream de Cuesta & Mantium*
monachum Dominicanum, absolutae virtutis magi-
stros, & verae germanaeque Theologiae selectissimos
professores complexa fuerit. De quorum ingeniis &
optimarum artium studiis, quae cum summa utilitate
reipublicae litterariae erudiendis Compluti iam an-
nos circiter decem Theologiae candidatis feliciter qui-
dem glorioseque exercuerunt, nihil nunc statuam;
tam praeclarum divinumque iudicium, debitumque
testimonium posteritati relinquens.

FINIS.

E

IN-

Illustrium virorum, ac rerum quarumdam memorabilium, quæ hoc opere continentur.

- Academiae multae in Hisp.* 59.
Alfonsus, Burgensis Epis. 40.
Alfonso X. Hisp. rex. 38.
Annaeorum familia. 26.
Antonini Imperatores. 26.
Antonius Paduanus (S.) 39.
Aprigius, Episc. Pacensis. 27.
Aquilus Severus. 28.
Asclepiades Myrleanus. 14.
Averroes. 36.
Avicena. 36.
Avienus (Rufus Festus) 28.
Avila (Ludovicus de) 67.
- Baetici omnium Hispanorum primi litteras didicerunt, & primam Academiam habuerunt.* 13. 14.
Balbus (Lucius Cornelius) Laurentius 20. 53.
Borgius (P. Franciscus) 48.
Boscianus (Ioannes) 71.
- Canus (Melchior)* 58.
Carthagena. 71.
Carvajalium (Ludovicus) 58.
Castro (Alfonso de) 58. 59.
Catena (Ludovicus) 51.
Colonus (Christoph.) 74.
Ferdinandus. 75.
- Columella (Iun. Moderatus)* 17.
Complutensis Academia. 51.
Conimbricensis Academia. 50.
Constantinus Magnus. 26.
Cordubenses poetae. 15.
Coronellii fratres. 42.
Cuesta (Andreas de) 81.
Cuetus (42.)
Cyprianus Monachus Cister.
- Damasus Papa. (S.)* 28. 29.
Decianus. 24.
Diocletianus & Valentinianus Imp. 28.
Dolzium (Ioannes) 42.
Dominicus (Divus) 37.
Dulartus (42.)
- Enzinas (Ferdinandus)* 42.
Eugenius Episc. Tolet. 33.
Eutropius Episc. Valent. 28.
- Ferrarius (Divus)* 40.
Fulgentius Hispalensis. 31.
- Gallio (Iunius Annaeus)* 18.
Garsias Hispalensis. 39.
Gelida (Ioannes) 45.
Gometius (Alvarus) 90.

Gre-

- Gregorius Baeticus.* 27.
Guevara (Antonius) 64.
- Hadrianus (Aelius)* 24. 25.
Hena (Sextilius)
Herrera (Lupus) 53. 54.
Hispalensis Academia Isidori tempore.
Honoratus (Ioan.) 45.
Honorius Imperator.
Hurtado Mendozius (Ioa.) 71.
Hyginus (C. Iulius) 17.
- Iaphetus primus omnium litteras in Hispaniam invenxit.* 13.
Idatius (Clarus)
Lemicensis historicus. 27.
Ioan. Episc. Gerundensis. 39.
 (Honoratus) 45.
Ioensis (Isabella) 76.
Isauricus Imp. 30.
Isidorus Hispalensis (D.) 31.
Iustinianus Valentinus Episcopus. 27.
Iuencus (C. Aquil. Vestius) 28.
- Lassus. (Garsias)* 71.
Latro (M. Portius) 17. 19.
Lax (Gaspar) 42.
Leander Hispalensis (D.) 31.
- Licianus sive Licinianus.* 24.
Lopez Mendozius (Ign.) 71.
Lucanus (Annaeus) 19.
Lucas Tudensis Episcopus. 66.
- Maia Atlantis filia doctissima.* 14.
Manricus (Georgius) 71.
Mantius, Monachus. 81.
Martialis (M. Valerius) 23.
Matronianus Baeticus. 27.
Maximus Caesar-Augustanus. 28.
- Mela (Pomponius)* 20.
Mena (Ioannes) 71.
Messias (Petrus) 61.
Methymnaeus (Ioa.) 57.
- Nabarro (Barthol.)* 71.
Naverus. 42.
Nebrissensis (Aelius Ant.) 43.
Nonius Pintianus (Fredenandus) 56.
- Ocampo (Florianus)* 63.
Orosius (Paullus) 28.
Oscæ Academia. 59.
Osius Episc. Cordub. 28.
Osorio (Anna de) 76.
Osorius (Hieronymus) 51.
- Pacensis (Catherina)* 77.

L 2

Pa-

- Pacianus* Episc. *Barcin.* 27.
Pallantina Academia 37.
Pardus (Hieronymus) 42.
Paullus Burgensis Episc.
Pennafortius (D. Raim.) 39.
Perez (Gundisalvus) 71.
Petreius (Ioan.) 53.
Petrus Cardinalis. 39.
Oxomensis. 41.
Pinus (Bartholomaeus) 51.
Poetae Hispani. 71.
Poetae in Hispania fuerunt
nongentos circiter annos
ante Homerum & Hesio-
dum. 15.
Pomerius (Iulianus) 39.
Prudentius (M. Aur.) 28.
Quintilianus pater. 20.
 (M. Fabius) 22.
Ramirus (Ioan.) 53.
Rasis. 36.
Rodericus Pallantinus. 66.
Toletanus. 66.
Rufus (Canius) 24.
Salmanicensis Academia. 56.
Seneca (L. Annaeus) *Phi-*
los. 17.
 (M. Annaeus) *poeta.*
 17.
Scipiones primum linguam
Romanam in Hispaniam
introduxerunt.
Sepulveda (Ioan. Gen.) 62.
Sygaea (Luisia) 76.
Silicus (Io. Martin.) 47.
Silius Italicus. 23.
Sophistae. 41.
Soto (Dominicus de) 58.
Statorius (Victorius) 20.
Tellio Episc. Pallantinus. 37.
Theodosius Imp. Hisp. 26.
Tiberianus Baeticus. 27.
Torquemada (Ioan.) 39.
Tostado (Alfonsus) 40.
Traianus Imp. 24.
Tubalis in Hisp. adventus. 13.
Turdetani Augusti tempore
Romani putantur.
Turduli sapientissimi Hispano-
rum. 16.
Valentina Academia. 43.
Vergara (Franciscus) 61.
 (Ioannes) 60.
Vernus Episcopus Hispal. 3.
Victoria (Franciscus) 57.
Vives (Io. Ludov.) 43.
Zapata (Angela) 76.
Zeneti Marchiona (Maria
Mencia) 76.
Zourius. 36.

AD

AD AMPLISS. ET PER QVAM REV.
 DOMINVM FRANCISCVM A BORGIA
 EPISCOPVM THEANENSEM
 ALFONSI GARSIAE MATAMORI HISPAL.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

NON possum equidem non quotidie maiore in te u-
 num non observantia modo, sed etiam pietate
 quadam accendi atque inflamari, amplissime pater, quum
 vel singularem tuam benevolentiam erga studiosos omnes
 vel incredibilem, non dicam amorem, sed sitim adau-
 gendi litterarum studia considero. Hoc quum alias saepe,
 tum autem illo die plane mihi significasti, quum do-
 mum tuam diverterem, ut te virum omni ex parte orna-
 tissimum (qui Saetabim ex urbe Valentia nuper redieras)
 iucundissimum adventum gratulaturus, inviserem. Tunc
 enim ubi nosti, me litterarum fuisse studiosum, & Aca-
 demiae Saetabitanae moderatorem, non minori me hu-
 manitate & applausu excepisti, quam si germanus frater
 tibi adessem, non *Matamoros*. Quem tu illa protinus, quae
 studiosi hominis & vigilantissimi pastoris sunt, avidissi-
 me rogasti: quid agunt Musae, tuae meaeque delitiae?
 quid ludus litterarius? quid turba candidatorum? bene
 omnia feliciterque habere e vestigio respondeo: multo
 tamen melius ac feliciter cum Musis posse agi, si dignatio
 tua vellet manum addere. Atqui fauturum te ultro, qua
 es benignitate praeditus, utroque pollice recepisti, simul-
 que iam tunc centum aureos, & amplius te daturum pol-
 licebaris, si huius civitatis magistratibus & viris prima-
 riis idem adhuc esset animus aedificare Academiam, ubi
 pulchrae honetaeque disciplinae praelegerentur. Dignum
 hoc profecto istius animi ingenuitate, dignum amplissi-

m

mo isto honore, quo illustraris, dignum clarissimo genere tuo reddidisti. Novi enim, quam multis animi virtutibus tuos illos sanctissimos maiores, principes in ecclesia Dei, Calixtum & Alexandrum nobis repraesentantes. Nec poteris mirabilem illam animorum celsitudinem, qua illi praeter ceteros mundo innotuerunt, ulla propius virtute exprimere, quam quod in mitissimas Musas benignus admodum sis, & mire pronus. Quid enim potuit habere fortuna tua maius, quam quod possis; & natura tua melius, quam ut velis sanctissima litterarum studia augere & aucta conservare? Quare haec una res quidem facit, ut dies ac noctes cogitem, quidnam egregium possim de me praestare, quo aliqua tandem ex parte tam grande aes alienum (si minus re ipsa) voluntate saltim dissolvere incipiam. Itaque quum etiam atque etiam huiusmodi meos cogitatus animo volutarem, inveni denique, nullum a me tibi referri convenientius posse officium, quam si hoc meum quantulumcumque litterarum tyrocinium tuo splendidissimo nomini nuncuparem; maius certe aliquid & speciosius nuncupaturus, si quid maius & excellentius a me praestari posset. Scio autem te pro tua prudentia non tam minusculum, quam voluntatem meam expensum ire: quippe qui compertum habeas, non tam curandum prudenti, quae quis faciat, quam quo animo, quo studio, qua diligentia faciat. Proin si tu, pater amplissime, hoc quidquid est muneris, hilari fronte accipis, illud plane, si minus aliud, efficies, ut libentius posthac nitamur, quo pulchrius fortasse quidpiam, & nomine tuo & nostra Minerva dignius effingamus. Nam invidentium latratus, & resupinam frontem facile contemno pro nihiloque habeo, contentus tuo iudicio. Vale feliciter, & vive diutius, praesul ornatissime. Saetabi e ludo nostro litterario, postridie nonas Aprilis, anno a natali Christiano MDXXXIX.

EPI-

EPISTOLA PRAEFIXA

EDITIONI VALENTINAE SCHOLIORVM.

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS
INGENVO LECTORI
SALVTEM.

CRedo ego, te mirari, candide lector, quid sit, quod quum totos hosce superiores octo annos physicis & Theologicis disciplinis occupati, quam qui maxime, essemus; nunc post tot Erasmos, tot Palaemones & Aristarchos, qui iustis grammaticae voluminibus pari elegantia & doctrina compositis saeculum praesens exornant, in *Aelii Antonii Nebrissensis* quartum librum scholia edere voluissemus; ubi magis serium fortasse aliquid & celebrius iam pridem a nobis exspectaretur. Nam nova hac, & praeter id temporis nostrorum hominum fortassis conceptam de me opinionem, verius percussus, quam attentus scoliorum evulgatione tuus animus illa statim coniectabit (quemadmodum plerisque mortalium usu venire videmus, qui quum aliorum rationes & consilia minime teneant, signis & coniecturis inaniter obtenta & explorata volunt) nimirum aut *Antonium* ipsum caelestis ingenii & eminentis doctrinae virum adeo alto obdormisse somno in traditione artis grammaticae,

su-

supinum item parumque lynceum in multis extitisse, ut opus illi demum fuerit nostro hoc auctuario, quo paullo plenior perfectiorque haberetur, aut viros illos primae in docendo celebritatis non omnia, quae grammatico futuro necessaria erant, eloquutos fuisse: ita porro ut necesse haberemus politioribus Musis utroque cornu laborantibus expeditione hac litteraria succurrere. Falleris medius fidius, amice lector, falleris per sacras Musas, si isto me de nomine animum ad scribendum appulisse credas, totoque rursum tuis istis illepidis & inanibus coniecturis oberras caelo, dum scopum tetigisse putas. Nam, quae fuisset per Deum immortalem ista mea demens adrogantia, aut adrogans dementia, me hominem, ingenue fateor, tenuem plus velle, quam primae illos classis viros auctoritate, gratia, favore apud Musas posse, quos velle aequare mera dementia est, quid dicam notare, aut notam inurere? Quin vide potius, quam mihi istud opinione tua longius sit, ut ne aliis auctoribus (si multis possem) praeceptiones nostras confirmare laboraremus, quam his ipsis, quos tu a me susque deque iniuria ferri arbitrare. Quae enim poterunt per tantillum temporis spatium grammaticae praecepta constare, quae contra Gellii, Erasmi, Vallae, Hadriani, Nebrissensis auctoritatem acute conficta excogitatae sint, a quibus unguem latum discrepare, non minoris duco esse flagitii, quam vel Minervam Athenien-

nis violare, vel in patrios mingere, ut dicitur, cineres. Est itaque ut animum istum mutes, si modo in me male animatus fueras; & quidquid hoc sit nostri instituti, boni consulas. Omnis enim mei consilii ratio in scholiorum editione huc semper spectavit, ingenue lector, ut humanioribus litteris sua propemodum possessione, nescio quo malo fato, Saetabi eiectis, ubi per multos iam annos cum horrendis monstris acerrimum bellum fuerat, opem pro viribus ferrem; non quidem ut praemium hinc multo uberrimum me relaturum sperarem. hoc tantum contentus, ut aliis industria nostra benefecisse aliquando videremur: verum ut boves quosdam Cyprios & apros Galydonios, qui laetas Musarum segetes contra aequum & bonum iam diu devastabant, & pulchra Minervae sata per Saetabitanos agros, id est, per amoenos & iucundissimos huius florentissimae Academiae campos non tam depascebant, quam populabantur; Romanae linguae teulo fortissimo haustos, aut morti traderem, aut procul, quo digni sunt, in aliquam Pathmon proscriptos relegarem. Quippe quum annos abhinc duos, plus minusve, urbem Saetabim eo nomine venissem, ut Grammaticam & Oratoriam, easque scientias, quas vulgo *Sermotionales* appellamus, ex officio profiterer, operae pretium me facturum existimavi, si quorum erudiendi mihi cura demandata erat, eruditionem simul & ingenia experirer, ut quis in docendo pro ingenio-

M

rum

rum captu & eruditione adolescentium modus mihi esset servandus, facilius dispicerem. Itaque simul atque scholas ingredior, classicum e suggestu politioris litteraturae candidatis cano; singulos nominatim in certamen provoco: nemo unus est, qui monomachiam recuset; quin protinus omnes, audito signo, velut nepenthe quodam ebrii, ora exhilarant, frontem porrigunt, nihil minus veriti quam cum praeceptore in arenam descendere: in certamen prouunt omnes; pedem confero, impetum facio, exploro iuuenum animos; ne multa, periculum facio, simplicia in aliis deosculor ingenia, in aliis amoena & iucunda suspicio, acuta & libera in omnibus demiror; adeo ut in spem adductus fuerim, si recta studiorum via his procedere semper daretur, in alteros propemodum Cicerones & Quinctilianos esse aliquando evasuros. Sed illud me e regione (proh dolor!) illud me permagno adfecit dolore, lacrimarique simul coegit contemplantem bonam illam naturam, dignam feliciori fortuna, prodigiosis quibusdam Grammaticae praeceptis contaminatam, corruptam, nulla non ex parte perditam esse. Quid enim non haberet ea natura mali, quae dum magis in sublime niteretur, hinc inde saevissimis oppressa monstris, pessum vehementius iret: ita ut iam vividi illi ingeniorum igniculi, quibus mire splendebat, frustratis toties generosis conatibus, prorsus extincti erant, animorum motus obtu-

si,

si, tardioresque effecti: nullus iam in actione decor, nulla in persona venustas. tantum est, Iesu bonel a teneris adsuescere, & cum lacte nutricis suxisse errorem. Quae alia atrociora deformiorave monstra requires, ut omnia in his naturae dona fuisse deperdita credas, quam chimaericum illum Miravetum? huic adde Masparotam, Pastranam, Alexandrum, Navarum, Sisonem, Domenechum, Hartaletum, aliosque eiusdem ordinis impurissimos homines, indignos qui nominentur. Hos praeclaros scilicet ingeniorum formatores habebant, tam unice sibi caros, ut nihil vel laboris vel temporis feliciter impensum existimarent, quam quod in nescio quibus ineptissimis horum hominum Grammaticae notis, ut ipsi vocant, exhauriretur. Miravetus Aristarchus illis erat. Masparota Amaltheae cornu, quod abunde omnia suppeditaret. Iam vero quid de Alexandro a Villa Dei dicam, qui unius in re grammatica illis Deus erat, natus nemini cedere, nec ipsi Varroni quidem? Ego autem quum haec atque alia multa mecum ipse diutius considerarem, coepi inestimabilem hanc bonorum ingeniorum iacturam deplorare, & miserandam vicem dolere: nec potui (si ferreus essem) mihi temperare, quando uni mihi tam ingenui adolescentes in disciplinam traditi fuerant, quin saepe monendo, hortando, obsecrando, lacrimis inundantibus, ab his non auctoribus quidem, sed perditissimis ingeniorum corruptoribus ve-

M₂.

he-

hementer deterrerem, & ad lectionem Antonii Nebrissensis aliorumque illustrium scriptorum commodius invitarem. Quae quum non semel verbis, aliasque scriptis iterum atque iterum exhortarer, amplius impetum sustinere non potuerunt. Itaque omnes gregatim & uno ore pollicentur conceptisque verbis iurant, se se, quod ego vellem, praestaturos; modo in Antonii Nebrissensis quartum librum, quem tantopere illis laudaveram, *Scholia* edere voluissem. Diu huic petitioni (vera fateor) diu certe reluctatus fui; tum quod existimarem, nihil opus esse viro ornatissimo alienis centonibus, quum nemo se melius potuisset exornare umquam & venustare; tum quod materia & scribendi argumentum longe impar, nec satis aequum meis viribus esset. Illi autem contra tendere, urgere, obtundere, opprimere praeceptorem numquam desistebant, non tam meae quidem famae prospectantes, quam suo vitio indulgentes. Extorquent tandem invito ex me verbum nescio quod, ut obtundere amplius desinerent, quo carius nihil antiquiusve auribus haurire poterant, etiamsi pingue aliquod sacerdotium aut insignem abbatiam me singulis daturum Attica fide pollicerer. Vix praeteritus fuerat mensis, ex quo haec inter nos ioco conventa fuerant; quum ecce redeunt praepropere serio pollicita repetitum iure pacti, seu verius polliciti mecum se se posse agere contententes: quod si negotium tantillum me dif-

fer-

ferre viderent, statim Aecessaei lunam; novam me subinde caussam comminiscens expectare caussabantur. Ad haec ego non me talia posse umquam praestare inculcabam: quod non pari fortuna mecum dii immortales egissent quam cum Anacharside, quem ex Schyta, id est, homine barbaro in excellentis doctrinae virum convertissent. Ceterum si quae mei non erant ingenii, neque eruditionis, neque voluntatis me facere coegissent, sinerent me tantillum temporis, aiebam, donec cum Apollonio Tyaneo Adiarcham navigarem, & de Tantali statua phialam propinante plenam continuo liquore biberem, ut Antoniaster repente prodirem. Continuo emori omnes risu videres, maiori que accendi quod denegabam petendi libidine, quid facerem? adsentior, polliceor denuo, non tam praestandi quidem quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia. Vnde, quum mei iuris iam non essem, destinavi subsecivis horis, suavioribus pulchrioribusque hinc inde decerptis floribus, coronulam concinnare, ut iam inde bene ominari videremur, futurum esse aliquando, quum de barbaris serio triumphandum nobis esset. quod multo certius me redditurum putavi, si Antonium ipsum Nebrissensem Hispaniae iuventutis moderatorem, & gloriam Romanae togae cum ceteris classicis ducem mihi in omnibus proponerem. quem unum in re grammatica, quoad fieri poterit, sequendum, imitandum, nocturna di-

ur-

urnaque manu versandum cum appendice & auctu-
rio nostro, o vos cultioris litteraturae iuvenes, di-
ligentius posthac proponite; morosi praesertim isti
exactores, alienae famae negligentes. VALE mul-
tum, ingenue lector. Anno M.D.XXXIX. Saetabi.

AD AMPLISSIMUM ET PERQVAM
Reverendum Dominum Franciscum a Borgia Epi-
scopum Theanensem Alfonsi Garsiae Matamori
Hispalensis Epistola Nuncupatoria.

NON possum equidem non quotidie maiore in-
te unum non observantia modo, sed etiam pie-
tate quadam accendi atque inflammari, amplissime
Pater, quum vel singularem tuam benevolentiam er-
ga studiosos omnes, vel incredibilem non dicam amo-
rem, sed sitim adaugendi litterarum studia conside-
ro. hoc cum alias saepe, tum autem illo die plane mihi
significasti, quum domum tuam diverterem, ut te vi-
tum omni ex parte ornatissimum, qui Saetabim ex
urbe Valentia nuper redieras, iucundissimum adven-
tum gratulaturus, inviserem. Tum enim, ubi nosti me
litterarum fuisse studiosum & Academiae Saetabita-
nae moderatorem, non minori me humanitate &
applausu excepisti, quam si germanus frater tibi ad-
essem, non Matamorus. Quem tu illa protinus, quae
stu-

studiosi hominis & vigilantissimi pastoris sunt, avi-
dissime rogasti: quid agunt Musae, tuae meaeque de-
liciae? quid ludus litterarius? quid turba candidato-
rum? bene omnia feliciterque habere e vestigio re-
spondeo; multo tamen melius ac felicius cum Musis
posse agi, si dignatio tua vellet manum addere. At-
qui faurum te ultro (qua es benignitate praeditus)
atroque pollice recepisti. Simulque iam tunc centum
aureos, & amplius, te daturum pollicebare, si huius
civitatis magistratibus & viris primariis idem adhuc
esset animus aedificare Academiam, ubi pulchrae ho-
nestaeque disciplinae praelegerentur. dignum hoc pro-
fecto istius animi ingenuitate, dignum amplissimo isto
honore, quo illustraris, dignum clarissimo genere tuo
reddidisti. Novi enim quam multis animi virtutibus
tuos illos sanctissimos maiores, principes in Ecclesia
Dei, Calixtum & Alexandrum nobis repraesentes. Nec
poteras mirabilem illam animorum celsitudinem, qua
illi praeter ceteros mundo innotuerunt, ulla propius
virtute exprimere, quam quod in mitissimas Musas
benignus admodum sis & mire pronus. Quid enim
potuit habere fortuna tua maius, quam quod possis;
& natura tua melius, quam ut velis sanctissima litte-
rarum studia augere, & aucta conservare? Quare haec
una res quidem facit, ut dies ac noctes cogitem, quid-
nam egregium possim de me praestare, quo aliqua
tamdem ex parte tam grande aes alienum, si minus
re

re ipsa, voluntate saltem dissolvere incipiam. Itaque quum etiam atque etiam huiusmodi meos cogitatus animo volutarem, inveni denique nullum a me tibi referri convenientius posse officium, quam si hoc meum quantulumcumque litterarum tirocinium tuo splendidissimo nomini nuncuparem; maius certe aliquid & speciosius nuncupaturus, si quid maius & excellentius a me praestari posset. Scio autem, te pro tua prudentia non tam munusculum quam voluntatem meam expensum ire. quippe qui compertum habeas, non tam curandum prudenti quae quis faciat, quam quo animo, quo studio, qua diligentia faciat. Proin si tu, Pater amplissime, hoc quidquid est muneris hilari fronte accipis, illud plane, si minus aliud, efficies, ut lubentius posthac nitamur, quo pulchrum fortasse quidpiam, & nomine tuo & nostra Minerva dignius effingamus. nam invidentium latratus & resupinam frontem facile contemno, pro nihiloque habeo, contentus tuo iudicio. Vale feliciter & vive diutius, Praesul ornatissime. Saetabi ex ludo nostro litterario postridie nonas Aprilis anno a natali Christiano M. D. XXXIX.

EPISTOLA

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS
permagnifico Domino Reſtori Iacobo ab Entrena,
& praestantissimis Collegis insignis collegii Divi
Illeſonſi, & Complutensis scholae
moderatoribus.

S. P. D.

LVseram olim *Methodum constructionis*, sive *Scholiam* potius in quartum librum Antonii Nebrissensis, Reſtor & Collegae permagnifici: quae, quum ego eo tempore Valentiae essem, Borgiorum nomine in publicum exire volui: nec res ipsa non cessit feliciter & ex animi sententia, aut plus quam fortassis optaram. Nam, quum in vulgus spargi ac dissipari coeperunt, avidissime primum a grammaticis, deinde ab eruditis omnibus summo consensu & incredibili applausu recepta fuerunt: in eum itaque cumulum & laudis magnitudinem apud grammaticos brevissimo tempore pervenerunt, ut vix equidem explicare possem, quantum ex re tenui, & fere per lusum nobis adolescentibus effusa, honoris & famae, non Valentiae modo apud aequales meos mihi comparaverim, sed apud externos etiam per totam Hispaniam obtinuerim. Verum mortuo Saetabi Illustri & Reverendissimo viro Francisco Borgio Episcopo Theanensi, cui multis & iustis qui-

N

qui-

quidem de causis haec a me scholia dicata fuerant, repente amplissimo orbata patrono siluerunt, & velut gravi adfecta dolore, numquam postea in lucem cum tanta nominis celebritate prodierunt. Ego vero non aegre ferebam, lucubrationes meas iacere in obscuro: quod eo essem ingenio praeditus, ut parva semper & humilia contemserim: vel quod grave & inexpiabile nefas esse putarem, adolescentes Hispanos mole praeceptorum, & importuna adnotationum copia obrui, quos sermone puro & vere Romano satius esset ab initio formari, quam his *gerundiorum* & *impersonalium* nugis ridicule inferciri ab indoctis praeceptoribus. Mihi vero sic decernenti ecce rursus fortuna mutata est: nam maiori, quam unquam antea contentione hoc anno repositi coeperunt. Hic me fateor nonnihil fuisse commotum, & multorum vocibus, & amore primi partus ingenii mei, qui quondam in grammaticorum scholis non immerito florisset. Dissimulare equidem amplius non potui; sed feci paene invitus, quod me unum conturbabat propter rei tenuitatem, ut vestro nomine & auctoritate iterum impressionis aleam subirent. Neque enim alios mihi patronos quaerere fas fuit, quibus ego aut maiore quadam ratione, aut propensiore voluntate haec quantulacumque ingenii mei monumenta in memoriam posteritatis nuncuparem. Vobis enim solis salva praestare licet, quae secus cum periculo in vulgi manus

essent

essent peritura. Nihil enim auribus vestris do: quoniam nostri ipsi *De ratione dicendi* commentarii amplitudini & magnificentiae vestrae consecrati, non modo vestro praesidio tuti haecenus fuerunt; sed fructum quoque amplissimum ex vestro iudicio reportarunt. Ne minorem quidem spero me percepturum utilitatem, si *scholia* nostra, quae defuncto patrono his annis proximis errabant & vagabantur, in fidem & tutelam vestram recipiatis. Tales enim estis viri, ut nulla res tam parva & infima sit, quam vos non & sapientia tueri, & consilio augere, & virtute conservare possitis. Servet Deus Optimus Maximus amplitudinem & dignitatem vestram cum salute reipublicae litterariae. Ad kalendas Ianuarias, Compluti.

PRAEFATIO IN SCHOLIA EX EDITIONE VALENTINA

QVAE INTEGRA HIC EXHIBETVR.

Quemadmodum in struendis aedibus ea demum fabricis materiariis & caementariis praecipua cura est, ut lapides secentur, ligna poliantur, tectoria fiant, caementa, crates, calx, arena & omnia denique structurae necessaria parentur, priusquam vel alia aliis calce conglutinentur, vel luto misceantur in-

terlita: ita prorsus mihi facere visus est *Antonius* ille *Nebrissensis*, qui orationem, veluti domum quamdam structurus, prius de singulis eius partibus superioribus libris exactissime tractavit, quam, qui aliae aliis connecti in oratione possent, doceret. Necesse enim erat, ut elementa illa, quibus Grammatica haec facultas firmissime constare debebat, amussi quadam velut lapides & caementa, prius explorarentur, quam aut in fundamenta, aut orationis farturas iacerentur: ne postea illud fortassis sibi in condenda oratione eveniret, quod non paucis mortalibus saepe accidere videmus; qui quum in aedificanda domo parum cauti ac perspecti a principio fuerint, tum demum demoliri coguntur, quod magna opera & impensis ad superiorem scilicet domus partem aedificando perduxerant. Proinde examinatis ac intus & incute (quod aiunt) exploratis illis octo orationis partibus iustis voluminibus iam ad id destinatis, protinus de earum cum verbo admirabili conglutinatione & structura hoc quarto libro, omnium sine controversia utilissimo, elegantissime disserit. Ac primum omnium de generali verbi partitione; alia certe minus commode tractaturus, ni vocem prius *polysomam*, quale verbum videtur esse, excuteret, ac in *personale* verbum & *impersonale* secaret. Quae quidem membra statim finit, & in sua quaeque genera mira quadam brevitate rursum distribuit, nimirum in *activum*,
pas-

passivum, *neutrum*, *deponens*, *commune*: quae omnia, quia & numerorum & personarum copia pollent, verba *personalia* vocat; alia vero *impersonalia*, quod numeris & personis deficiant. de quibus longe lateque suo loco tractat. Post verbi autem personalis partitionem in quinque genera, protinus miro unumquodque ordine exsequitur. Ac primum de verbo *activo*, quod iure quodam naturae primum locum inter verba obtinere videtur, haud crassa (quod aiunt) *Minnerva* disserit. Verbum, inquit, *Activum* illud est, quod desinit in *o*, & habet passivam in *or*; quod tu de verbo perfecto, & non de mutilo truncatove intelligas: ni iam fortassis verbum *est*, more dialecticorum, ad praeteritum etiam tempus protrahere malis: *Activum* verbum illud esse inquit, quod nunc vel olim activam vocem in *o* & passivam in *or* habuit: quemadmodum sunt *facio*, *audio*, *prandeo*, *coeno*, quae passivam vocem aliquando habuerunt: & haec alia, *meministi*, *coepisti*, quae non propterea non dicam activa, quod utraque voce carent, dum olim habuisse constet. Quod si quisquam rationem hanc meam flocci penderit, cum hoc ego non magnopere pugnabo, quando aliud habeo quo finitionem *Nebrissensis* a calumnia nasutulorum defendere possim. rogabis quid? nimirum si dixerim non de verbo defectivo, sed de perfecto activo finitionem dari, quodque nominativum a parte anteriori in persona agenti vel facienti;
accu-

accusativum vero a posteriori amet habere. Quamquam hoc commune est cum verbis *defectivis*: de his intelligo, quae ob defectum dumtaxat activae aut passivae terminationis ab activorum grege (nescio qua grammaticali superstitione) excluduntur.



METHO-

METHODVS CONSTRUCTIONIS
SIVE
SCHOLIA IN QVARTVM LIBRVM
ANTONII NEBRISSENSIS.

SCHOLIA

In primum caput de verbi partitione.



Mnia verba aut *personalia* sunt, aut *impersonalia*. *Personalia* habent numeros & personas. *Impersonalia* vero his ornamentis carent. Verbum rursus *personale*, quum dictio sit *polysoma*, in quinque verborum genera distribuitur, *activum*, *passivum*, *neutrum*, *commune*, *deponens*: de quibus ordine ipso, quo distributa sunt, plane perspicueque disseremus.

SCHOLIA

In diffinitionem verbi activi.

Activum verbum finitur in *o*, & habet *passivum* in *or*, & exigit nominativum ante se pro persona agentis; post se vero accusativum rei patientis: quae sane finitio de verbo perfecto, & non mutilo aut truncato a grammaticis tradi solet: ni verbum *est*, more dialecticorum, ad praeteritum etiam tempus producere malis: *activum* verbum illud esse dicens, quod nunc
aut

aut olim activam vocem in *o* & passivam in *or* habuit, ut *facio, prandeo, coeno*: quae passivam vocem quondam habuerunt: & haec alia, *meministi, coepisti*, quae non propterea non dicam esse activa, quod utraque voce carent, dum olim habuisse constet.

SCHOLIA

In primam verborum Activorum speciem.

Activum verbum in *classes* aut formas *sex* distrahitur, quas varia (me hercle) verborum natura constituit: nam adeo non conveniunt inter se activa omnia, ut alia accusativo tantum contenta sint; alia praeter accusativum peculiari quodam iure vel ablativum vel genitivum postulant; alia dativum sibi adsciscunt. Sunt alia, quibus si unum accusativum des, naturam eorum minime expleas, nisi alterum statim subieceris. tanta est vis significationis eorum. Quid? quod multa invenies ablativum exigentia, quorum alia cum praepositione, alia vero semota praepositione (ne secus quidem) volunt habere. Verum ut institutum nostrum exsequamur, quo singulas verborum formulas ad normam Antonii Nebrissensis tractare destinavimus, iam nunc, quod felix precor & faustum tibi sit, candide lector, eam primam *activorum* speciem esse scito, quae unico accusativo contenta sunt, nec casum alium suapte natura desiderant, quando hoc uno eorum natura omni ex parte adimpleta est. Ceterum hic

te

te & admonitum & attentum velim, quod verba haec complures alios casus praeter illum unum accusativum regere non inepte possunt, nimirum dativum, effectivum, & casus denique generales; quos ita & appellare solemus quidem, quod a nullo non verbo cuiusvis generis, cuiusvis speciei, cuiusvis naturae regi possint. Nam quid, quaeso, obstat quominus dicas, *amo litteras mihi*; ubi dativus regitur, non natura verbi, sed gratia damni vel commodi: vel *mulier colit faciem cerussa*; ubi ablativus regitur ex vi instrumenti: vel *diliggo praeceptorem propter summam eius cum eruditionem, tum bonitatem*; ubi accusativus ratione praepositionis habet locum in oratione. Sciunt igitur pueri verba *activa primae classis* posse generales casus etiam regere; nec deterreantur particula illa *tantum*, quam addit Antonius, *verba*, inquit, *activa primae speciei cum accusativo tantum construuntur*: quippe quae non excludit casus generales; sed innuit, quod huiusmodi naturae sunt haec verba, quam solus accusativus impleat, perficiat, absolvat. At si alium quempiam casum praeter accusativum sibi adsciscunt, non eo profecto de nomine fit, ut verbi natura, alioquin imperfecta, illius adventu perficiatur. Illud interim te ad extremum admonere minime desistam, ut vigilantissime caveas, dare casum generalem his verbis absque proprio & peculiari casu, hoc est, absque accusativo: non enim recte dixeris, *amo mihi*, nisi mox

O

sub-

subiunxeris, aut *litteras*, aut *puellam*, ni forte iam velis ad hunc modum loqui: *heus, si amo, mihi amo*. quod certe vitio dari non potest.

SCHOLIA

In secundam verborum Activorum speciem.

Verba *Activa secundae classis* huiusmodi sunt, ut eorum naturam solo accusativo minime expleas, ni protinus vel ablativum, vel genitivum sufficias. Quos quidem casus suapte natura expetunt, habitura alioqui perfectionem numquam. Ad hanc speciem pertinent verba *implendi*, *accusandi*, *damnandi*, *emendandi*, *aestimandi*. De quibus sigillatim est nobis disserendum. Verba *Implendi*, qualia sunt, *Impleo*, *repleo*, *compleo*, *refercio*, ablativum sine praepositione postulant, ut: *implevi navem frumento*; *replevi apothecam vino*. Ceterum hoc non usquequaque verum est; nam quoties cum verbis *implendi* venerint haec duo nomina *omnis* & *genus*, aut haec *varius*, *a*, *um*, & *natura*, addenda est necessario tunc temporis praepositio *de*: quo fit, ut perperam dicas: *implevi navem omni genere frumenti*, & *refersi apothecam varia natura vinorum*: dices autem recte: *implevi navim de omni genere tritici*: & *refersi apothecam de varia natura vinorum*: nec aliter loqui liceret, auctore Lauren. Vallensi lib. 3. *Elegant.* cap. 134. quod multis cum exemplis, tum auctoritatibus probat. Illudque in causa esse existimo,

mo, ne sensus orationis redderetur ineptus. nam quid putas aliud significare hanc orationem: *implevi apothecam omni genere vini*, quam omnia vina sive Albana, sive Phalerna; sive alba, sive nigra in apothecam me infudisse? quod quam ineptum sit, ipse videto. Additur igitur praepositio illa *de*, quantum coniectura adsequi possum, ut denotet partem aut tritici, aut vini. Construuntur haec verba etiam cum genitivo, sed non adeo frequenter. quam cum ablativo: Virgil. *Aeneid.* I. *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae*.

Verba *Accusandi*, qualia sunt: *Accuso*, *incuso*, *ago*, *postulo*, *arcesso*, *instmulo*, *arguo*, *noto*, *adligo*, *adstringo*, *corripio*, *reprehendo*, *crimino*, vel cum genitivo, vel cum ablativo cum praepositione, aut secus construuntur. Sed hic unum animadvertas, oportet, quod in *Elegant.* Lauren. Vallens. lib. 3. cap. 133. invenies, nomina scilicet *peccatorum*, sive illa generalia sint, sive specialia, cum huiusmodi verbis concinnius in genitivo, quam in ablativo poni, ut Terentius: *Hic furti se adligat*. Cicero: *An non intelligis primum quos homines, & quales viros mortuos summi criminis arguas?* a qua quidem opinione longe lateque Bartholomaeus Riccius in *Apparatu Latinae loquutionis* discrepat: inquit enim, *quum crimen speciale est, in genitivo & ablativo cum praepositione; quum generale, magis in ablativo solo, si veteres imitari volumus, utemur; ut: accu-*

so te repetundarum, & de repetundis: damno te capite, & capitis: at *Latinus homo*, inquit, *simpliciter proferre non auderet*; damno te sceleris; accuso te criminis; insimulo te peccati, *quum scelus, crimen, peccatum sint peccata generalia, quae cum his verbis in ablativo collocari volunt*: ut accuso te crimine; insimulo te peccato; damno te scelere. Ego quidem, ut ingenue fatear, non possum non vehementer demirari incogitantiam istam Bartholomaei Riccii, qui quum nullam auctoritatem adducat, qua rationem suam fulciat, Laurentium imperitiae aut negligentiae velit insimulare: nam ut demus verbum illud, *condemnavimus*, ad vocem parricidii, non autem sceleris, proprie referri in hac oratione Ciceronis: *Sceleris atque nefarii parricidii condemnavimus, quod libere negare poteramus*: aliam tamen Ciceronis auctoritatem adducemus, quam nec deprecari, nec ullis detrectare cavillis liberum erit: illa sic habet: *An non intelligis, quos homines, & quales viros mortuos summi criminis arguas?* quam an Riccius viderit, me latet. Itaque audeamus cum Valla eruditissimo dicere: *accuso te criminis; insimulo te peccati*, atque id quidem frequentius quam: *accuso te crimine*, aut *arguo te peccato*. quidquid Bartholomaeus Riccius dicat. Quamquam non dubitabo, quum per nomina generalia peccatorum loquendum sit, ablativo frequenter uti, quando ita visum est Riccio, viro aliqui non indocto. Designatae sunt hae dictiones

quin-

quinque: *altero, neutro, utro, ambobus, utroque*, in ablativo: solent cum praepositione, aut secus a verbis *accusandi vel damnandi* necessario regi: ut *accuso te de utroque*, non *utriusque*: *damno te de ambobus*, non *amborum*: *condemno te altero*, non *alterius*. Sed iam aliud audi, quod & maius & pulchrius quidem est quod si quando cum his verbis ad accusationem vel condemnationem pertinentibus, duo aut plura nomina criminis cum praedictis nominibus collectivis simul venerint, tunc nomina criminis collocanda sunt in genitivo: collectivum vero nomen in ablativo, ut: *Cicero accusat Verrem furti & sacrilegii, & utroque*; non autem *utriusque*. Quod in reliquis ita fiet, causamque huiusce rei, praeter peritorum consuetudinem, si licet divinare, hanc esse existimo; quod sub his genitivis, *furti & criminis*, subauditur ablativus quidam criminis, quocum convenit ablativus nominis collectivi, ita ut sic liceat exponere: *Cicero accusat Verrem furti*, id est, crimine furti, & *sacrilegii*, id est, crimine sacrilegii, & *utroque crimine*: nam saepe fit, ut adiectivum nomen concordet cum substantivo subaudito, & non cum expresso: quemadmodum Iacobus Spirensis adnotat in suis *Collectaneis*. Vnde fortassis regula illa coniunctionis de copulandis similibus casibus in huiusmodi orationibus nequaquam frangitur: quippe quae si dissimiles videatur copulare voce; similes tamen significatione connectit.

Sed

Sed iam ad verba *Emendi & Vendendi* transeamus: quorum haec prima sit praeceptio: Omne verbum, cuius actus aliquo pretio constat, potest regere post se nomen pretii vel valoris in ablativo; exceptis quatuor substantivis in genitivo semper ponendis, *tanti, quanti, cum natis, tantilibet, quantilibet, tantidem, quantivis, & pluris* atque *minoris*. Quod ut luculentius intelligas, scito puer studiose, duplex esse pretium, certum, & incertum: hoc innuunt genitivi illi quatuor, *tanti, quanti, pluris, minoris* cum compositis. Reliqua nomina, sive illa substantiva sint, sive adiectiva, ratione pretii certi ponuntur in ablativo: ita ut non minus apte & eleganter dicas: *magno mercatus sum codicem: parvo discipulum doceo: quam maximo te captum redimam, quando nequeo minimo: quam: coenavi tribus solidis, vino triticum emi*. Quae omnia ad pretium certum videntur spectare. At non ita apte dixeris: *quanto mercatus es codicem? sed quanti: nec pluri emi; sed pluris*. idem de reliquis dictum volo. Non pigebit hoc loco adnotare, quod Valla Raudensi vitio dat. Vult Valla, ut non dicamus, *maioris vendidi* vel *emi; sed pluris: non item, carioris aut vilioris emi vel vendidi: sed carius aut vilius*. Quamquam Pontanus & Vives, primae notae viri, prius illud *maioris* usurpent. Illud quoque animadvertendum est, quod hi duo genitivi *pluris & minoris* regunt sex illos ablativos: *fide, opinione, solito, dicto, aequa, iusto*:
ut:

ut: *pluris opinione librum emi: minoris solito nuntius portavit epistolam. Adsciscunt praeterea sibi adverbia illa: tanto, quanto, paullo, eo, quo; ut: tanto pluris nunc mercatus sum codicem, quanto alias minoris*. Nec obstant quae praecepimus, cur minus dicamus: *heus, quantum mihi dabis pro libro? respondebis, duos, si lubet, dabo solidos: quantum emisti librorum? duos aureos, nec eo amplius: tantum ego emi*. Nam quoties haec nomina, *tanti, quanti*, non pretium, sed quantitatem, aut exclusionem significant, non est cur in genitivo regantur. Tum si genitivi *tanti, quanti, pluris, minoris*, recipiunt in suo consortio hoc nomen *pretium*, protinus a genitivo casu excidunt, & cum nomine in ablativos abeunt, praeter *tantidem*, quod in ablativum resolvi non potest, quia duos casus tantum habet, *tantumdem & tantidem*: ut *quanto pretio huc advectus es?* non dices, *quanti pretii; pluri pretio* dices, & *minori pretio*, non autem *pluris pretii*, aut *minoris pretii*. Illud ad extremum dictum velim, quod in his verbis ad pretium pertinentibus non servatur regula illa interrogativi & responsivi, quoties hoc nomen *pretium* non interverit. Nam si quempiam rogaveris: *quanti mercatus es codicem?* respondebit ille non per eundem genitivum, sed per ablativum, sic: *tribus solidis*. Sipontinus grammaticus falso attribuit Vallae, quod praeceperit in suis *Elegantiiis*, nomina illa *pluris & minoris* cum nullis aliis adiungenda esse verbis, praeterquam cum his tantum:

tum : *emo*, *valeo*, *consto*, *vendo*, *aestimo*. Sed plane, ni ego fallor, Sipontinus alucinatus est; quum per Vallam liceat genitivos *pluris* & *minoris* quibuscumque verbis iungere, idque auctoritate Plinii lib. 35. quum de Pamphilo pictore scribit: *Neminem*, inquit, *minoris docuit talento*, id est, neminem minori pretio, quam talento.

Verba *Aestimandi*, ut: *Aestimo*, *curo*, *puto*, *facio*, *consulo*, *duco*, *pendo*, & *habeo*, praeter genitivos *tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris*, regunt etiam genitivos *plurimi*, *aequi*, *parvi*, *nihili*, *nauci*, *floci*, *pili*, *assis*; ut: *Vide quanti te faciam*: *parvi mea curas*: *hanc rem nihili duco*: *parvi pendo*, *floci facio*, *nauci facio*: *tu vero aequi bonique fac paraenesim nostram*, & sic de reliquis. Despauterius nescio quis reducit ad hanc secundam verborum activorum speciem verba *accusandi* & *laudandi*, ut quae praeter accusativum regunt etiam genitivum vel ablativum excusationis, laudis, vel vituperii; ut: *excuso te peccati* vel *peccato*: *laudo te virtutis* vel *virtute*. Sed quam procul a vero abierit Despauterius, deprehendet sane, quisquis Vallae *Antidotum* in Poggium legerit, ubi Valla vitio vertit Poggio, quod dixerit: *nec est opus, ut te excuses tarditatis*, dicturo potius: *ut excuses tarditatem tuam*. Rursum in eundem sic stringit stilum. *Quis*, inquam, *dixit*, laudo te orationis, *immo ne virtutis quidem*, aut formae virium: *ve aliquis dixit*; sed de virtute, de forma, de viribus:

nam

nam de oratione non dicerem, sed de facundia, de suavitate, de copia orationis: itaque non dicemus, auctore Valla, *excusare morbi*, *excusare tarditatis*: sed, *excusare tarditatem*, *excusare morbum*, *excusare tempestatem*, hoc est, in excusationem adferre morbum tempestatemve; quemadmodum nec *laudo te virtutis* aut *orationis*, sed *de virtute* & *de elegantia orationis*. Huc vero spectant verba *monendi* & *absolvendi*: possunt enim genitivum vel ablativum admoniti vel absolutionis regere; ut *Admoneo te debiti* vel *debito*: *absolvo te iniuriarum* vel *iniuriis*. Et haecenus de secunda verborum specie activorum.

SCHOLIA

In tertiam verborum Activorum speciem.

Verba *tertia classis* praeter accusativum, qui iure quodam hereditario eis debetur, solum quia *activa* sunt, postulant etiam, velut peculiari quadam natura, dativum casum, non ut generalem, sed ut proprium & peculiarem. Vnde verba *acquisitiva* dicuntur: ut, *do tibi pecunias*, *libros*. Atqui vellem vel duo inter omnia verba, quae ad formam hanc tertiam spectant, hoc loco adnotare, quorum significatio, ut nihil interim de constructione dicam, tam multiplex, tam varia, tam erudita est, ut Protheos potius, aut chameleontes, quam verba dixeris: ea enim sunt *do* & *facio*: sed quia Laurentius Valla, Budaeus, Hadria-

P

nus

nus Cardinalis, Bartholomaeus Riccius de his multa, ut solent omnia bene, ex professo tractarunt, ne, ut est in adagio, videar corydus inter Musas sonare, in praesentia supersedebo. Vnum (* velut per transenam *) tamen dicturus, aliud esse, auctore Laurentio lib. 3. *Elegan. cap. 137. dare tibi litteras, quam dare ad te litteras*: nam *do tibi litteras*, tamquam tabellario: *do ad te litteras*, scilicet, ad te perferendas. aliquando haec duo coniunguntur: ut, *dedit illi ad te litteras*. Item & hoc aliud accipe, nimirum verbum *do, das*, frequenter construi cum casibus, mediis his praepositionibus *a, de, in, ad, inter*. vel unum ex multis pro singulis sufficet exemplum: Plautus: *da sodes a te*. Cicero: *de Giaro dedit litteras*: Plinius: *hoc etiam in mandatis dedit*. per accusativum frequentissime ad hunc modum: *hanc mihi in manum dat*: Caesar: *obsides inter se dare*. Cetera ex his quos nominavi auctores, petito.

SCHOLIA

In quartam verborum Activorum speciem.

Verba quartae classis duplicem accusativum regunt, alterum quidem principalem, alterum vero minus principalem: hunc suapte natura, illum ex vi transitionis, quem cum reliquis activis communem habent. Unde Despauterius significationem vehementissimam his verbis tribuit. Inquit enim *triplicem esse transitionem, vehementem scilicet, debilem, atque vehementissimam.*

Tran-

Transitionem quidem *vehementem* significant verba activa primi ordinis, quae accusativum tantum regunt: *debilem* vero verba neutra, quorum actus in accusativum non transit: *vehementissimam* autem verba quarti ordinis: propterea quod eorum actus tanti sit vigoris, ut in duplicem accusativum transire valeat. Hanc ego divisionem nec impense laudo, nec admodum reprehendo: itaque liberum est, si tu velis, amplecti, seu illam relinquere: modo scias, haec verba accusativum principalem eo iure postulare, quo verba activa secundae speciei genitivum vel ablativum, & tertiae dativum: quae si iam non excidit, vel ob id eos casus praeter accusativum exigebant: ut naturam suam explerent. Sed duo hic notes oportet: primum, eum esse accusativum minus principalem, qui rem inanimam significat: principalem vero, qui rem animatam: ut in hac oratione: *doceo discipulum Grammaticam*, vox illa *discipulum* accusativus est principalis, *Grammaticam* autem minus principalis. Conducit hoc, ut scias vertere orationes ab activa in passivam. Deinde illi duo accusativi, quos haec verba exigunt, debent esse pro diversis accepti: ut, *doceo discipulos Poesim*; quia duos accusativos ad eandem rem pertinentes, aut qui significantur ad eandem rem pertinere, bene regunt alia verba: ut, *voco te hominem: creo te consulem.*

Vestiendi verba pro altero accusativo rei animatae regunt etiam dativum: ut, *induo tibi tunicam*: & abla-

P 2

ti-

tivum quoque pro altero accusativo rei inanimatae; ut, *induo te tunica. Celo* triplicem constructionem habet: dicimus enim *celo te hanc rem, celo tibi hanc rem, & celo te de hac re. Doceo* itidem pervariam constructionem habet. Dicimus enim *aliquid, & aliqua re, & de aliquo, & ad aliquid, aliquem docere. De* ablativo sine praepositione: Cicero: *doctus Graecis litteris. De* ablativo cum praepositione, ut Sallustius: *qui doce- rent senatum de caede fratris. Suppeditabit* exempla Bartholomaeus Riccius, qui verbi constructionem adnotat: haec interim velut obiter accipe, ne non aliquot ex multis dicamus. Cicero: *Censorius doctus Graecis, satis erat*: hic *doceo* ablativum loco accusativi minus principalis regit. Sallustius: *qui senatum docerent de caede fratris*: hic ablativum regit media praepositione. Terentius: *in eodem omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam*: nunc accusativum habet cum praepositione.

Rogandi verba, qualia sunt *rogo, oro, precor, postulo, obsecro, flagito, exigo, peto, interrogo, percontor*, pro altero accusativo significante rem animatam possunt habere ablativum, intercedente praepositione, ut, *veniam poscimus abs te: exigo a te vel ex te pecunias.*

SCHOLIA

In quintam verborum Activorum speciem.

Verba activa quintae classis, praeter accusativum, amant

amant habere ablativum absque praepositione, vel potius effectivum, quem septimum casum non iniuria cum Diomede & Nebrissensi appellare poterimus. Quamquam non me latet, quam vehementer pugnat Priscianus, quo casus septimus ab arte pellatur. inquit enim: *Omnes artium scriptores sex esse casus confitentur, & non septem: uno enim, non duobus casibus Latini superant Graecos. Septimum igitur qui addunt, supervacuum faciunt, qui nulla differentia vocis, in nullo nomine distat sexto: en ut paucis responderem, quod sentio: haecenus Priscianus, qui si rem penitus altiusve inspexisset, non ita audacter septimum casum procul ablegaret ab arte. Nam ut illi demus Graecos uno casu superare Latinos, septimum itidem casum nulla differentia vocis a sexto distare, nihil hic habebit, quo nos male urat, quando septimum a sexto non discriminamus voce: non enim vox, sed significatio casus praecipue facit, quod in hoc nomine nequam similibusque indeclinabilibus videre est. Vnde si effectivus & ablativus similes sunt voce, dissident significatione; hic enim praepositionem vel expressam vel subintellectam numquam non habet, ille numquam prorsus recipit: hic separationem significat, ille instrumentum. Itaque haec verba quinti ordinis effectivum sive septimum casum, quem pro ablativo sine praepositione capio, peculiariter sibi vindicant, ut naturam suam perficiant. Nam si tantum dixeris *adfacio te*, non ab-*

absolves naturam verbi, nec auditoris animus hic quiescet, ni e vestigio subiungas septimum casum, gaudio vel molestia.

SCHOLIA

In sextam verborum Activorum speciem.

Verba sextae classis praeter accusativum regunt ablativum cum praepositione *a* vel *ab*: & vocantur *separativa*, quia separationem quamdam significant. Casus vero ablativi separativus est: hinc ablativum cum praepositione haec verba peculiariter sibi vindicant. Sed ne me abs re facturum arbitror, si hoc loco, quot modis construatur ablativus, dixerim. Ablativus construitur ratione exprimendae originis: ut, *virgo nobili familia*.

Ratione causae materialis: ut, *annulus hic ex auro est*.

Ratione laudis vel vituperii: ut, *vir ingenuis moribus: vir malis moribus*.

Ratione temporis intra quod: ut, *uno anno Valentiam veni*.

Ratione excessus: ut, *tribus digitis sum maior te*.

Ratione distantiae: ut, *Saetabis distat a Valentia itinere unius diei*. Quamquam elegantius oratio fiet per accusativum: *Saetabis distat a Valentia iter unius diei*.

Ratione comparativi: ut, *sum doctior te*.

Ratione nominis adiectivi: ut, *dignus honore*.

Ratione loci a quo: ut, *veni Valentiam*.

Ra

Ratione loci per quem: ut, *Romam itur Valentia*.

Ratione nominis opus: ut, *opus est nunc tua expromta memoria*.

Ratione praepositionis deservientis ablativo.

Forma, modus, vox ablativum exigit: ut, *mulier forma egregia: canto alta voce*. Ponitur ablativus pro genitivo, ut res significantius exprimatur: ut, *ab Andria est ancilla haec*, id est, *Andriae*. quod frequenter a Terentio fit. (* Haec partim ex Despauterio, partim a Pellissone decerpsimus, nolo quemquam sua quantulumque gloria defraudare. Quamquam, ut verum fatear, non video quod hic magnopere debeam invidere Despauterio. *)

SCHOLIA

In verba Passiva.

IAM res ipsa nos monet, ut de verbis *passivis*, quae proximum locum tenent, aliquid tractemus. Nec aliunde commodius auspicabimur, quam ab eius diffinitione. Igitur *passivum* verbum est illud, quod finitur in *or*, & habet activum in *o*, & exigit ante se nominativum pro persona patienti, & ablativum cum praepositione *a* vel *ab*, vel dativum pro persona agentis vel facientis: ut, *Deus amatur a me* vel *mihi*. Tria ego invenio in hac verbi passivi finitione, digna quae a Grammaticae studiosis animadvertantur. Primum quidem verbi terminatio in *or*, qua & ab activo & neutro seiungi-

gi-

gitur : & activi vox , quam habet in *o* , qua a deponentibus & communibus longo intervallo distat. Alterum vero , quod pro constructione anteriori in persona patienti nominativo gaudet , in quem accusativus verbi activi mutatur. at non omnis , sed is , qui principalis est , hoc est , qui rem animatam significat. Nam accusativus minus principalis non mutatur , sed eodem modo manet : quemadmodum & ceteri casus speciei : ut , *doceris a me Grammaticam* ; ubi accusativus ille *Grammaticam* non mutatur ; quippe qui est casus speciei , id est , minus principalis. Eodem modo dicimus : *apotheca impletur a me vini* vel *vino* ; ubi casus minus principalis , qui est *vini* vel *vino* non mutatur. idem de reliquis casibus , quibuscum verbum construitur , post accusativum principalem dictum volo. Quamquam aliquando fiat , ut apud classicos accusativus minus principalis mutetur : ut Cicero : *Iam hoc a principio persuasum civibus est* : pro quo grammatici dicerent , *cives hoc persuasi sunt*. Rursum mutabitur casus aliquando minus principalis , vel tum maxime quum principalis supprimitur , veluti si dixeris : *Grammatica docetur a praeceptore* : *venia rogatur a discipulo*. Tertium autem , quod pro constructione posteriori in persona agenti vel facienti ablativum cum praepositione *a* vel *ab* , vel dativum exigunt , idque fere indifferenter , praeterquam verba *acquisitiva* & *separativa* , quae non sine discrimine hos casus recipiunt. Nam in verbis ac-

qui

quisitivis ablativus erit persona agens , non dativus , evitandae amphibologiae causa : ut , *pecuniae dantur tibi a me* , non dices *michi* , si vis amphibologiam fugere , quam tamquam *Scyllam & Carybdim* , vel teste Tullio , evitare debemus. In verbis separativis dativus sit persona agens , non ablativus , ut : *liber aufertur tibi a me* , non dices *aufertur a me a te* , ne auditorem velut in salebra haerere facias. Itaque & iudicium & discrimen adhibendum est in reddendis his casibus verbis passivis. Fallit autem hoc documentum de vertendis orationibus ex activa in passivam in nonnullis. Primum , quum reciprocum primitivum accusativi locum in oratione obtinerit , in nominativum per passivam mutari nequit : ut , *Narcissus diligit se* : ille accusativus *se* non habet nominativum , in quem verti possit ; cogimur itaque contra communem verbi passivi rationem sic vertere : *Narcissus diligitur a se*. Fallit deinde in his quatuor orationibus : *multi milites desiderati sunt in bello* : *consternor animo* : *linquor animo* : *aqua & igni interdicitur tibi a me* : non quod constructionem passivam non habeant , sed quia per activam fieri nequeant : non enim dicimus in eadem significatione : *desidero milites in bello* , nec Latinis auribus saepe auditum est , *animus linquit me* , *animus consternit me*. *Interdico tibi aquam & ignem* , auctore Valla , non dicitur. Inventum est verbum passivum , non tam quidem necessitatis , quam ornatus & elegantiae causa , quum omnes fere oratio-

Q

Q

nes

nes verbi passivi per activum fieri possint: gaudet enim sermo Latinus varietate & copia: unde passivum verbum natum est.

De verbis *vocativis* accipe nunc pauca: nam ad hunc locum videntur spectare. Verba *vocativa*, quae sunt, *vocor*, *appellor*, *nominor*, *dīcor*, *nuncupor*, & alia huiusmodi, reciprocam volunt habere constructionem, hoc est, similes casus & a fronte & a tergo: ut, *vocor Antonius*. Sed heus tu puer literarum candidate, accipe aliud de verbis *vocativis* multo quidem pulchrius, quod a Iacobo Spirensi mutuatus sum: nimirum, quod verba *vocativa* Latine & eleganter construi possunt inter *nominativos* diversi numeri: & tunc fere cum praecedente conveniunt in numero & in persona: quod si uterque praecedat *nominativus*, similiter cum viciniore concordant: ut, *urbs studiorum mater vocatur Athenae*. Divus Hieronymus. (* in Ezech. 62. c. 40. *) *Gaza lingua Persarum divitiae nuncupantur*. Lactantius lib. 4. cap. 10. *Ea vero quae post resurrectionem scripta sunt, Novum Testamentum nominatur*. Plin. lib. 3. c. 20. *In ea portus qui vocatur castra Hannibalis*. Gellius lib. 12. c. 20. *Praeda dicitur corpora ipsarum rerum, quae capta sunt*. Hieron. (* in Michaeam lib. 1. c. 1. *) *Impietas Iacob conciliabula haereticorum sunt, quae vocantur Samaria*. Idem (* in Isaiam lib. 1. c. 15. *) *Populus appellatur reliquiae ex Israel credentium*.

SCHO-

In verbum Neutrum.

Verbum *neutrum* est illud, quod desinit in *o*, & non habet passivum in *or*. unde a reliquis verborum generibus seiungitur: terminatione in *o* a passivis, deponentibus & communibus: defectu vocis in *or* a verbo activo. Habet *nominativum* a parte anteriori pro persona agentis vel facientis: a parte vero posteriori omnem fere obliquum praeter *accusativum*. Dicitur autem verbum *neutrum*, non quod nec activum nec passivum sit: nam hoc de nomine, & deponens esset verbum *neutrum*, quippe quod nec activum, nec passivum sit: sed ea (ni fallor) de re, quod nec plane activam, nec passivam significationem habeat: germanam ac genuinam intelligo, quae virtute propria *accusativum* sustinet. Postremo verbum *neutrum* in classes quinque dividitur, de quibus sigillatim (* sed veluti regis candidatus, quod aiunt, in praesentia *) tractabo.

SCHOLIA

In primam & secundam verborum neutrorum classes.

Verba *neutra primae classis* postulant a tergo *genitivum* vel *ablativum*: ut, *careo pecuniarum vel pecuniarum*: sed ornatius *ablativo* iunguntur. Quae vero *secundam neutrorum classem* constituunt, *dativo* velut *in sinu* gaudent: ut, *cede maiori*. De elegantia huius verbi multa, ut solet omnia bene, Builacus in *Pandectis*:

Q 2

ctis:

ctis : quorum aliquid , ceu emblemata quaedam , hic inseram. Dicitur, adnotatore Budaeo, *cedere foro*, *cedere annis*, *cedere fortunae*, *cedere oneri*, *cedere intercessioni*, *cedere patria vel urbe*; *cedere legibus*, *cedere arena*: sed non sine quadam venustate & linguae Latinae sacramento. Nam *cedere foro* duo significat: alterum quidem, alio habitatum migrare, qui in foro Romano erant: alterum vero, negotiationem mensuram abrumpere: *cedere fortunae*, id est quod, succumbere; *cedere patria*, id est, migrare: *cedere vita*, id est, mori: *cedere legibus*, id est, non violare leges: *cedere annis*, id est, non posse ferre aut sustinere annos, aut diu durare: *cedere arena*, idem est quod, *manus dara* & *hastam abisere*: *cedere intercessioni* aut *provocationi*, haud aliud est, quam non procedere ultra & admittere oppositionem.

SCHOLIA

In tertiam verborum Neutorum speciem.

Verba neutra *tertia classis* significant passionem innatam, hoc est, intus natam: nam *caleo*, *ardeo*, & cetera huiusce naturae verba internam animi passionem, nec aliunde illatam prae se ferunt. Quo fit, ut thesis Hispana aut sermo vernaculus verti debeat more verborum passivorum. nam quis umquam dixit, *ignis calet me*, qui protinus poenas vel ingentes non daret praecceptorum? vertenda igitur est ad hunc modum

ora-

oratio: *caleo igni*: *ardeo amore*, quibus pro constructione posteriori datur ablativus absque praepositione. Horum derivativa in *sco*, inchoativa falso vulgo appellata, eandem paene significationem cum primitivis habent: significant enim, non, ut Prisciano placuit, inchoationem, sed passionem intrinsecus advenientem, cum incremento tamen & accessione passionis: unde verba *augmentativa* non immerito appellari possunt. Quodnam vero fuerit caput huius erroris, & ex quo imperitiae fonte promanarit, ut verba in *sco* appellarentur *inchoativa*, Servius ipse *arte secunda*, cap. 6. declarat. Formae, inquit, sunt quatuor, per quas non declinatio, sed significatio verborum explicatur. quae ideo quatuor sunt, quoniam omne quod agimus, quatuor temporum officio continetur. Nam aut cogitamus, utrum agendum sit; aut quod placuit, inchoamus; aut inchoata complemus; aut completa iteramus. Idcirco ipsae formae haec nomina acceperunt. Una enim *meditativa*, quae non agere nos aliquid, sed adhuc velle agere ostendit: ut est, *lecturio*: significat enim non lego, sed legere volo. Secunda est *inchoativa*, quae aliquid nos nuntiare ostendit: ut est, *calesco*, quod significat calere incipio. Tertia est *perfecta*, ut est, *lego*, quae plenum ostendit actum. Quarta est *frequentativa*, quae nos saepe agere aliquid, ostendit, ut *lectito*: significat enim saepe lego: quas formas, inquit, plerique veluti

„ uti inutiles refutare volunt, sed convincuntur secundum rationem naturalem. *Inchoativa* autem verba „ quinque regulis continentur, quarum si una defuerit, *inchoativa* non erunt: debent enim in *sco* syllaba exire, & originem ducere a naturali verbo, & „ tertiae esse coniugationis correptae, & carere praeterito perfecto & plusquam perfecto: carere etiam „ principio futuri temporis. Ideo autem *inchoativa* carent tempore perfecto; quia omnia, quae inchoantur, nihil perfectum habere debent. “ hactenus Servius. Sed quam longe aberraverit Servius a vera ac germana significatione horum verborum exeuntium in *sco*, noverit profecto, qui capit illud vicesimum quartum primi libri *Elegantiarum* Vallae legerit: ubi non inchoationem, sed augmentum potius significare verba in *sco*, contra Priscianum atque adeo omnes fere grammaticos, multis cum rationibus, tum auctoritatibus ostendit. Quid quod non carere etiam praeteritis aperte probavit propter diversam significationem primitivi & derivativi. *Nam aliud*, inquit, *est calui a calesco, quam a caleo. nam calui a calesco significat calidus factus sum: calui vero a caleo, significat calidus sum.* Atque, ut omittam quod 1. lib. *Elegantiarum* cap. 24. egregie dicit; ad illud quod in Bartholomaeum Faccium insigniter adducit, lubens deveniam: „ *Horruui*, inquit, si ab *horreo* veniret, significaret idem „ quod horridus fui: quod falsum est, quum signifi-

„ cct,

„ cct, quod horridus factus sum, talisque aliquamdiu „ permaneo: ergo ab *horresco* descendit, quod significat horridus fio, ut *acesco*, acidus fio, cuius praeteritum est *acui*, id est, acidus factus sum, non autem „ incepti talis esse, quod significationem inchoativi, „ aut acidus fui, quo ad primitivi confutandam attinet, cuius ipsum primitivum *aceo* me legisse non „ memini: Sicut nec *sanio*, cuius derivativum *sanesco* „ posuit Cornelius Celsus: ut, *arteria incisa nec coit* „ *nec sanescit*, id est, sana fit vel sanatur, non autem „ incipit esse sana: & apud Columellam & Plinium „ *herbescit*, *arborescit*, *grandescit*, & alia complura, „ quorum nec primitiva usquam leguntur, nec signifi-

SCHOLIA

In quartam & quintam verborum Neutorum species.

Verba neutra quartae classis, neutropassiva vulgo appellari solent, quod passionem illatam significant, construanturque more verborum passivorum cum nominativo ratione personae patientis, cum ablativo media praepositione *a* vel *ab* ratione personae agentis

vel

vel facientis : *uapulo a praepceptore : fio a te : venio a te.*
 Non veretur Priscianus ad hanc formam reducere ver-
 bum *nuba, is.* quod quidem potius cum verbis neutris
 secundae classis connumerandum est : ut, *nubo tibi.* Ver-
 ba autem quintae classis *absoluta* appellantur a no-
 stro Nebrissensi, ut quae cum nullo casu construi ve-
 lint : quod Priscianus insigniter, me hercle, ad hunc
 modum declarat : Quaedam neutra sunt, quae nec
 „ nos in alium extrinsecus, nec alium in nos aliquid
 „ agere significant : ut, *spiro, vivo, ambulo, pergo* : quae
 „ nec egent aliqua coniunctione casus, quum absolu-
 „ tam & plenam per se prolatam sententiam mon-
 „ strant, quae & proprie neutra vocantur.

SCHOLIA

In verbum Substantivum.

* **T**racaturus de verbo *esse* existinaverim sane me
 operae pretium facturum, si Zeno eundem illum imitarer,
 qui Helenam picturus, virgines aliquot eximiae formae
 poposcit, ut ex singulis quod esset optimum eligens,
 absolutum formae simulacrum ederet : eoque magis id
 conabat, quod viderem equidem monstrum hoc ceu
 alterum *champeleonem* colorem subinde mutans. nam
 nunc nominativum poscit, nunc genitivum postulat,
 nunc dativum exigit, nunc ablativum effugitat, nunc
 cum verbo infinitivo construi vult, nunc praepositio-
 nem & adverbiorum consortium amat : nec id uno

129

eo-

eodemque modo, sed versicoloribus maculis in pan-
 theræ aut pardimodum variegatur : proinde Proteum
 hunc omnia vertentem se se in miracula rerum, eisdem
 depingam coloribus, quibus a Bartholomæo Riccio
 in *Apparatu Latinae loquutionis* & Iacobo Spirensi in
 suis *Collectaneis* mirifice delineatum inveni. Sed iam
 ad rem. *)

Verbum *substantivum* construitur reciproce, hoc
 est, cum nominativo a fronte & a tergo : ut, *Rex erat*
Aeneas. Cum genitivo possessive : ut, *virtus est hominis.*
 Cum dativo acquisitive : ut, *tu es mihi praepceptor.* Cum
 duobus etiam construitur dativis non sine gratia &
 venustate linguae Latinae ; in qua quidem dicendi for-
 mula, auctore Riccio, illud est observandum maxi-
 me, hoc tantum scilicet in nominibus substantivis ad-
 mitti, neque adiectivum recipi umquam, nisi tertio
 quodam in loco substantivo suo pro epitheto adhae-
 rens hoc modo : *quod mihi argumento fuit ; quod mihi*
magno argumento fuit. Nam quum substantivum fit
 per genus tertium, iam adiectivum esse desiit : sed nec
 hoc in omnibus substantivis fit ; nam *mihi memoriae*
fuit, nobis omnibus menti est, nisi plane barbarus di-
 cet. Cum ablativo per excellentiam quamdam : ut, *est*
vir singulari ingenio. (* sed nunc vide quam varios
 vultus verbum *est* sibi vindicat, quia *) cum duobus
 iungitur dativis ex substantivis etiam utrumque sibi
 petit ; cum vero duplici ablativo adhaeret, alterum sub-

R

stan-

stantivum exigit, alterum adiectivum amat: ut, *puer est bonis moribus*. Animadvertendum est, aliud multo esse, *magni animi est*, quam *magno animo est*, nam esse magni animi, pertinere, interesse, convenire significat: animo vero magno esse, est habere magnum animum. Proinde absit ut dicas *magno animo est facere*, scilicet *aliquid*: sed *magno animo Caesar semper fuit*, & *magni animi est facere*, scilicet *aliquid*. Sed rursus (* ostendamus quomodo tamquam empusa alia se se nobis specie offerat. quod quisnam melius quam Iacobus Spirensis nobis velut digito indicare poterit, qui in suis *Collataneis* sic habet: *) Verbum substantivum nunc cum genitivo & infinitivo iungitur. Quintilianus lib. 1. *Romanorum epulis fides ac tibus adhibere moris fuit*. Nunc cum dativo & infinitivo. Cicero: *Quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit*. Nunc cum ablativo & infinitivo. Quintilianus: *Nec tamen in animo est omnia, quae pro his aut dici, aut contradici solent complecti*. Dicimus praeterea *ab re est* cum infinitivo: cuius significatio est, praeter rem & quasi indecens esse: non autem temere esse, ut Bartholomaeus Faccius temere & voluit & dixit. Quid quod verbum *Sum* tertiis personis singularibus sine ullo supposito casuali locatum, cum infinitivo etiam construitur: atque pro *contingit* sive *datur* accipitur, idque fere per negationem apud scriptores non poetas, licet contra sentiat Laurentius Valla in Raudensem scribens; neque

que id quidem sine calumniae vitio: inquit enim, id esse figurae Graecae, magis quam Latinae: unde fit, ut multa huiusmodi non politi interpretes effundant. Sed usus est in contrarium doctissimorum virorum, quos ipse se se habituros pro lege passim depraedicat. Plin. lib. 8. cap. 23. *Non est fateri rerum natura largius mala, an remedia genuerit*. Idem in eodem lib. cap. 37. *Aliter non est occidere, & errori parcere*. Idem lib. 17. cap. 2. *Vestire teneras in torto stramento in silvestribus non est*. Budaeus lib. 4. *de Asse: Ex quo coniecturam facere est*. (* ecce ut iam velut Vertumnus vertat fortunam. *) Iungitur praeterea his praepositionibus *a, ab, ad, apud, cum, de, e, ex, extra, in, infra, inter, penes, per, post, pro, sub*. (* sub quibus omnibus vel sexcentas exemplorum chiliades adfert Bartholom. Riccius. *) De *A* Cicero: *sumus enim flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia*. De *Ab* Terentius: *Chreme, tantumne est ab re tua otii*. De *Ad* Cicero: *nihil ad rem est*. De *Apud* Terent. *proin tu fac apud te sis*. De *Cum* Terent. *ut cum matre una plus esset*. De *De* Terent. *de grege illo est*. De *E* Cic. *Ea si dicam non esse e republica*. De *Ex* Terent. *Ex Aethiopia est usque haec*. De *Extra* Terent. *Extra noxam sum*. De *In*: *quantum in me erit*. De *Infra* Terentius: *Tace tu, quem ego infra omnes infimos homines esse puto*. De *Inter* Terentius: *Irae sunt inter Glycerium & gnatum*. De *Penes* Terent. *Quid isthaec iam penes vos psaltria est*. De *Per* Sallustius: *aes alienum per*

omnes terras ingens erat. De Post; Sallustius: *Invidia & superbia post fuere.* De Pro; Cicero: *Quid Cato ille noster, qui unus est pro centum millibus?* De Sub Terentius *sub cuius imperio est.* Nec praepositionibus solum, sed cum adverbis etiam iungitur. (* haud dissimile speculo, quod in foro frequentissimo suspensum, huc & illuc discursante turba, figuris innumeris varietur. *) *Fortasse; Terentius: Est fortasse quod minitare. Frustra; Plinius: Frustra est homo. Obviam; Plin. Cras, quaeso, in convivio stote obviam. Satis; Plinius: Sed satis verborum est: cura quae iussi, atque abi. Praesto aliquando pro favere; Cicero: Ius civile dixit, multum laboravit, multum vigilavit, praesto multis fuit, id est, multorum causas defendit. Eo loci; ut: Eo loci erat res. Quum; ut: Sic est, ut velit reducere uxorem. Cum caussativa esse quod; Terentius: Nam est quod me transire forum iam oportet. Cum adverbis rursum & infinito construitur; ut Plinius: *Audire eos tamen palam est.* Nec non cum gerundio nominativi: ut, *Moriendum est.* Et gerundio dativi *solvendo*: ut, *non sum solvendo.* Restat nunc, ut paucis dicamus, quonam pacto cum hoc nomine *opus* omnibus fere casibus iungi possit, quod ut luculentius fiat, illud in primis considerandum est, nomen scilicet *opus* & adiective & substantive a grammaticis capi. Quum substantivum est, per tertias dumtaxat inflectitur personas: ut, *opus est, opus erat, opus fuit:* nec alios praeter dativum & ablativum recipit.*

Non

Nonnumquam vero accusativum, media praepositione *ad*, in suum consortium admittit, ita ut dativus casus rem indigentem significet: ablativus vero rem, cuius patimur indigentiam: accusativus autem usum aut finem propter quem res expetitur: ut Terentius: *Nunc opus est mihi ad hanc rem expromta memoria atque astutia.* Idem: *Non opus est isthac arte ad hanc rem, quam paro.* Diomedes autem grammaticus lib. 1. suae *Artis* cap. 2. inquit: *apud veteres hoc dici per omnes casus praeter vocativum: veluti, Est opus mihi haec res, & huius rei, & huic rei, & hanc rem, & hac re.* Huc quadrat Badius Ascensius in expositione illius loci Terentiani: *Quia si forte opus sit ad herum iusiurandum, habet enim sic: Dicitur, haec res est mihi opus, vel est mihi opus hanc rem: item est mihi huius rei opus; sed frequentius & magis oratorie dicitur: est mihi opus hac re.* Sed nescio an satis intellexit Badius locum illum Terentianum, ubi nomen *opus* non substantivum (ut ille putavit) sed adiectivum plane est. Significat namque id quod *necessarius, a, um.* Convenit etiam cum substantivo in tribus illis accidentibus, genere videlicet, numero & casu; si non voce, certe significatione. Unde sic exponendus est mea sententia locus Terentianus: *Quia si forte opus sit ad herum iusiurandum, id est, si forte necessarium sit iusiurandum.* Item & hic alius: *Revertor, postquam, quae opus fuere ad nuptias gnatae, paravi, id est, postquam, quae necessaria fue-*

fuerunt. Rursum & hic alius: *At tu hercle haud quidquam mihi, nisi ea quae nihil opus sunt scire*, id est ea, quae non sunt necessaria sciri. Quo fit, ut quum *opus* fuerit nomen adiectivum, omnibus casibus praeter vocativum iungatur, quum vero substantivum, dativo & ablativo tantum, sed eo modo quo paullo superius declaravi. Nascuntur praeterea ex hoc verbo *esse* undecim verba; ea enim sunt, *adsum, absum, insum, intersum, obsum, desum, prosum, praesum, possum, subsum, supersum*: omnia construuntur cum dativo praeter *possum*, quod regit accusativum: ut Virgilius: *Non omnia possumus omnes*.

(* Habes, studiose adolescens, monstrum hoc utcumque a me depictum, quod ita per se linguam Latinam exornat & amplificat, ut nullus paene sensus sit, qui vel proprie per hoc proferri, vel extrinsecus aliquando ad hoc ipsum admitti non possit. Sed heus tu, iam scio quid subrides, quid roabis? me videlicet non Zeuxidem, sed Timanthem potius imitatum fuisse, qui quod penicillo exprimere non potui, velo contexerim. *)

CATHOLICA VERBORVM.

Omnia verba, quae dicuntur *substantiva*, qualia sunt *exsisto, exsto, maneo, vivo*, reciprocantur, id est, desiderant post se similem casum praecedenti: ut, *existit inutilis; exstat incorruptus; manet immortalis; vivit felix*
&

& similia. Omnia item verba *neutra* motum prae se ferentia reciprocantur, hoc est, similes & a fronte & a tergo casus desiderant: ut, *incedo tristis: ambulo laetus: evado doctus: pergo tristis*. Quamquam multa etiam quietem importantia reciprocari velint: ut, *sto rectus: dormio supinus: iaceo ebrius*.

Praeterea verba illa, quae dicuntur a Prisciano *neutra transitiva*, imera activa sunt, auctore Nebrissensi. Vnde ne posthac metue ad hunc modum loqui: *ego aror: ego manducor: ego bibor*. Ceterum ne me interim pigebit hic velut obiter exarare verba ipsa Prisciani, ut, quid hic auctor sibi voluerit, rectius intelligas. „ Inveniuntur tamen etiam, *inquit Priscianus*, quaedam verba, „ quae quamvis activam habent significationem, passivam tamen non habent: quia nec in homines eorum „ actus transit, nec semper egent supradictis casibus „ necessario, quod proprie est activorum: ut, *prandeo, coeno, curro, ambulo*: eorum enim prolatione transgressionem fieri non est necesse ad aliquid rationale animal, quae est sola causa, ob quam nascuntur verba passiva in prima & secunda persona. haec enim de se vel ad se loquuntur, quod suum est animalium, quibus natura sermonem dedit. In tertia „ vero persona saepe passivum solet inveniri, etiam „ ex huiusmodi verbis, sed ad muta & carentia animalia pertinens: dicimus enim *conditur olus, aratur terra, inseritur arbor, curritur spatium*. “ Haecenus Prisc-

Priscianus, cui ego non adsentior, (* adolescens Pal-
ladis alumne, *) tum ne sermo Latinus sit inops, mu-
tilus & mancus, tum quia meum non est discutere, sint
ne axiomata vera, an non; pugnantiane rursum pro-
nuntiata, nec ne; hoc enim ad dialecticos spectat.
Proin si sermo tuus repugnauerit naturae, susque de-
que feras, modo omnes grammaticas praeeptiones
serues.

Praeterea verba illa, quae dicuntur ad solam natu-
ram pertinere, omnes numeros & personas recipiunt;
aut negative in hunc modum; *ego non sereno: ego non
grandino*; aut poetica conformatione, id est, per pro-
sopoeiam; ut, *ego pluo: ego sereno: ego grandino* in per-
sona Iovis.

Praeterea omne verbum activum fit absolutum & ex
consequenti neutrum, si post se cum nullo casu con-
struatur: ut si dixeris, *ego amo*.

Praeterea verba neutra possunt regere accusativum
ex seipsis prognatum, & in activa hoc ipso de nomine
abire: ut, *vivo vitam: eo iter: ambulo viam*; quae per
passivam non inepte sic vertes: *vita vivitur a me: iter
itur a me*.

Praeterea nullum esse verbum, quod non accusati-
vo vel ablativo significante tempus indifferenter con-
strui possit: quod de tempore continuato & interrup-
to velim intelligas. Nam Laurentius Valla vehementer
invehitur in eos, qui volunt per accusativum signifi-
ca-

cari tempus continuatum; per ablativum vero tem-
pus interruptum. Quod quam abhorreat a linguae La-
tinae candore, vel duabus ex multis auctoritatibus, al-
tera Ciceronis, altera Virgilii colligere possumus. Ci-
cero pro lege Manilia: „ At hercule aliquot annos
„ continuos ante legem Gabiniam ille populus Ro-
„ manus, cuius usque ad meam memoriam nomen in-
„ victum in navalibus pugnis permanserat, magna
„ ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed di-
„ gnitatis imperio caruit.“ Quod si tempus continua-
tum per accusativum significatur, quid attinebat ad-
dere *continuos*, si citra hoc adiectivum significabatur
continuum tempus: quale est apud Virgilium: *Hic iam
tercentum totos regnabitur annos*. Ergo utebantur illi,
immo & ipsi utimur, indifferenter ablativo quidem
tamquam Latino more, accusativo autem tamquam
Graeco, unde ex maxima parte lingua nostra fluxit: nam
Graeca ablativo caret. Dicimus tamen commodius,
quum de parte & non de toto tempore loquimur, per
ablativum, quale est, *ego hoc anno veniam ad te*, id est,
aliquo tempore istius anni, pro quo non recte dicas,
hunc annum ad te veniam. haec Laurentius.

Praeterea sunt complura verba neutra absoluta,
quae virtute transsumtae significationis accusativo iun-
guntur: ut, *stillo* pro guttatim mittere: quum proprie
sit, instar stillae decidere defluereque. Plin. lib. 12. cap.
23. *Africa Ammoniaci lacrimarum stillat in arenis suis:*

S

E

Emano pro fundendo emittere: quum proprie sit fluere: Plin. lib. 37. c. 13. *in attritu sudorem purpurzum emanat.* *Frago* pro rei alicuius odorem spargere: quum proprie sit odoriferum esse. Solinus: *idem si aquae mixtus conteratur, fragat vinum.* *Sudo* pro humoris aliquid eiacere: quum proprie sit sudore madescere. Solinus: *ut iam nobis latissimi colles sudent balsama.* *Sitio* pro avide & ardenter expetere: quum proprie sit sitim concipere. Lactantius lib. 2. cap. 23. *Pateant modo aures, & pectus sapientiam sitiatur.* *Olere* pro repraesentare vel odorem de se iacere: quum sit proprie bonum & malum odorem habere. Quintilianus lib. 8. *Quare si fieri potest, & verba omnia & vox huius alumnum verbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.* Plinius lib. 35. *dum fumat, odorem malum is olet.* *Inundo* pro ablueri: itemque pro late, omnique ex parte operire atque complere: quum proprie sit excrescere & extra alveum versari. Q. Curtius lib. 8. *iamque aestus totos circa flumen campos inundaverat.* Idem lib. 4. *multitudo inundaverat campos.* Plinius senior: *agros & sata omnia inundavit.* Haec cum accusativo figuratim construi Nebrissensis adfirmat: quod aliud nihil mea sententia est, quam virtute transsumtae significationis accusativum regere: ut Virgilius: *Corydon ardebat Alexim,* id est, vehementer amabat: ad quem modum non verebor & illa reducere, quae ex idiomate sermonis Latini cum accusativo construi idem contendit Nebrissensis.

brissensis: hoc latet me: hoc praeterit me: hoc fallit me: hoc fugit me: nescio quis me manet exitus, & similia, quae virtute novae significationis, quam usurpant, accusativum regunt.

Practerea verba illa, quae ad sensum exteriorem, vel ad actum animae interiorem pertinent, accusativo iungi possunt: ut, *olet unguentum: sapit piscem: lingua mea exultat iustitiam tuam.* Omnia etiam verba neutra posse iungi dativo, damni aut commodi gratia, quis dubitat? ut Virgilius: *Cui pendere sua patereris in arbore poma.* Omnia verba personalia cuiuscumque generis sint, quae spatii, distantiae vel cuiusvis motus localis significativa sunt, Latine possunt & eleganter adiungi accusativo spatium mensuramve significanti; perquam raro ablativo, quod & ipsum fieri comperitur utrobique sine praepositione: ut, *domus mea mille passus distat ab oppido.* Q. Curtius lib. 5. *aedificata non sunt, sed fere spatium unius iugeris distant.*

SCHOLIA

In verbum Deponens.

DEponens verbum est illud; quod desinit in *or*, & non habet activum in *o*, & tantum retinet activi significationem: ut, *gratulor, opinor.* ,, Deponentia autem ,, (finitore Diomede) sunt, quae in *r* litteram desinunt, ut passiva, sed, ea demta, Latina non sunt. unde ,, per *antiphrasim* aut ex contrario sic appellantur, quia

„ verbum r littera finitum deponere eam non potest,
 „ ut: loquor, nascor, sequor. Non enim dicimus: lo quo,
 „ nasco, sequo: & quum sit passiva species, activam
 „ non habet: itaque nec passiva sunt, quia activa non
 „ reddunt: nec communia esse possunt, quia commu-
 „ nia sub uno genere declinationis utramque conti-
 „ nent significationem. Placuit itaque aliis ea depo-
 „ nentia dici, quod, una significatione deposita, a com-
 „ muni separatur, vel quia deponit ambiguitatem ser-
 „ monis. “ Ceterum multa adhuc sunt apud perfectos
 illos auctores, quae in participiis praeteritis plerumque
 passive ponuntur, quorum vel pauca de multis colle-
 git Hadrianus Cardinalis: ut palam sit, nullam aliam
 esse Grammaticam, quam modum loquendi, quem aut
 observare & imitari necesse sit eum, qui Latinus dici
 cupit, aut si id neglexerit, in sua barbarie contabe-
 scere. Cicero Attico: *sed ea omnia mihi sunt patienda:*
 Idem: *te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum*
suscipias. Idem pro M. Coelio: *magnum crimen vel in*
legatis insidiandis. Idem pro Cornelio Balbo: *huius vir-*
tus praesens experta. Ibidem: *illud conceptum atque me-*
ditatum est in Antonium: de laude silebo, quae gratis-
sima memoria omnium civium inclusa, nondum auctori-
tate publica testificata est. Idem de Senectute: *Agro bene*
culto nihil potest esse uberius, specie ornatus: ad quem
fruendum non modo non tardat, verum etiam invitat at-
que adlectat senectus. Idem in Paradoxis: *An quisquam*
 in

in potiundis voluptatibus gloria se & praedicatione ef-
 fert. Idem in Familiaribus: *Etsi egomet, qui te con-*
solari cupio, consolandus ipse sum. Idem Attico: *& abs*
te aliquando testificata tua voluntas. Horatius: *Oblitus-*
que meorum, obliviscendus & illis.

SCHOLIA

In verbum Commune.

Commune verbum est illud, quod desinit in or, & non
 habet activum in o, & retinet activi & passivi signi-
 ficationem: vt, amplector, eris. Idem de his verbis Dona-
 tus ait: *Communia sunt, quae r littera terminantur: &*
in duas formas cadunt, patientis & agentis: ut, scrutor,
criminator. Dicimus enim scrutor te & scrutor a te: cri-
minor te & criminator a te. Gellius sic de verbis com-
 munitibus habet: *Vtor & vereor & hortor communia*
verba sunt, ac dici utroqueversum possunt: vereor te &
vereor abs te, id est, tu me vereris: utor te & utor abs
te, id est, tu me uteris: horto te, & hortor abs te, id est,
tu me hortaris: consolor te, & consolor abs te, id est,
tu me consolaris. Testor quoque & interpretor signifi-
 catione reciproca dicuntur. Sunt autem haec omnia ex
 altera parte inusitata, & an dicta sint in eam quoque
 partem quaeri solet.

Solent hic argutuli nescio quam notam inurere ver-
 bis communibus, quamobrem ab arte exacta velint:
 amphibologiam enim parere proclamant si absolute
 po-

ponantur. Quibus tu paucis respondeto, adolescens studiose: eos male mereri de lingua Latina, quorum sermo amphibologiam gignit: proinde qui per verba communia loqui volunt, caveant ne non coniungant casus, quibus amphibologia omnis tollatur.

SCHOLIA

In verbum Impersonale vocis activae.

(* Scio plerosque grammaticorum multa de verbis *impersonalibus*, quasi arcana quaedam sapientiae ex altissima mente protulisse. E quorum numero unus idemque primus fuit nostet ille *Scobarius*, cui Hispani omnes, atque adeo universa grammaticorum turba non parum debet. Ceterum quia vel subtilius vel verbosius, quam pro addiscentium captu de his tractavit; non gravabor ego grammaticam hanc structuram compendiosa quadam via exquisitave ratione, velut mathematicis gnomonibus in quadrum redigere; non ut sperem ex auctorum recondita doctrina lac, ut dicitur, gallinaeceum haurire: nam non tam insanio, ut quae possim minime norim. sed idcirco id negotii capiam, ut, quae alioqui perdificilia intellectu puerulis viderentur, plana mea industria faciam.

Ac ne forte roges quo me duce, quo lare tuter:

Nullius addictus iurare in verba magistri,

Quo me cumque rapit tempestas deferor hospes.

Quod vel eo, medius fidius, dico, quod videam non
pau-

paucos ludimagistros tamquam pro aris & focus adversus eos pugnantes, qui vel digitum, quod aiunt, latum a Nebrissensi aut Despauterio discedunt, quasi posteriores omnes quarta luna essemus nati, quibus ne quidquam belle dicere facereve liceat: sed abeant isti cum suis superstitiosis praeceptiunculis ad corvos, qui glande barbarica adhuc distenti sunt, ne dicam, ab imis unguibus ad summum verticem totos ex ignorantia concretos. Nam quo non dignus ille erit supplicio, qui ita per omnia Despauterium auctorem, si non malum, certe non emunctum, non politum, non lynceum mordicus teneat, ut prae uno auctore ceteri sibi sordeant, vilescant, tantum non nauseam moveant? Rursum nec omnia tu, mi Baetice, cuias ego sum, putes velut Apollinis oracula ex tripodeve dicta a nostro Nebrissensi. Qui quamvis unus omnium grammaticorum palmam citra controversiam retulerit, primasque in re Grammatica (modo absit iniuria verbo) habuerit; tamen alicubi potuit cum Homero dormire, ut verum illud tandem sit: *nihil ab omni parte beatum*. Itaque ut rem iam aggrediamur: *)

Verbum *impersonale* dicitur, quantum ex vi vocabuli adsequi possumus ab *in*, quod est *non*, & *personale*, quasi non personale: non quod omnino personis careat, sed quod in voce, sive activa sive passiva, nullam praeter tertiam personam & eam singularem habeat. Hoc duplex esse testatur Nebrissensis, alterum
qui-

quidem activae vocis, quod est simile tertiis personis verbi activae vocis: ut, *miseret, pudet*: alterum vero passivae vocis, quod est simile tertiis personis verbi passivae vocis: ut, *itur, curritur*: utrumque actionem significat. Sed impersonale activae vocis in species quinque distrahitur. De quibus disserendum est.

SCHOLIA

In primam verborum Impersonalium speciem.

Verba impersonalia primae classis sunt duo, *interest* videlicet & *refert*, quibus verbum est solet etiam iungi. Quamquam paullo diversius construatur atque duo illa priora, quae genitivum casum, eumque ratione suppositi, a fronte exigunt. At non omnem genitivum, si eorum naturam penitus contempleris, a parte anteriori recipiunt; sed possessivum tantum. Triplex siquidem est genitivus, auctore Valla lib. 2. *Elegant. cap. 1.* aut *activus*: ut, *providentia Dei: bonitas Dei.* hic enim *Deus* providet & benigne agit: non autem providetur & benigne fit: aut *passivus*: ut, *timor Dei: cultus Dei*: hic vero timetur & colitur; non timet, nec colit: aut *possessivus*: ut, *sedes Dei: regnum Dei*, cuius intellectus apertus est. Itaque in his orationibus: *praeceptoris interest legere: senatoris refert administrare rempub.* genitivi illi *praeceptoris* & *senatoris* possessive capiuntur, quasi vero dicas; officium praeceptoris est legere lectionem: & senatoris munus administrare rempubli-

blicam. Vbi quis non videt genitivos illos *praeceptoris* & *senatoris* possessive capi? Ceterum quum ventum fuerit ad pronomina possessiva *meus, tuus, suus, noster, vester*, quibus additur & *cuius*, iam non genitivum, sed ablativum potius generis feminini, numeri singularis exposcunt: ut, *mea interest amare: tua refert parentibus morem gerere.* & sic de reliquis. Quod vel eo de nomine praesertim fit, ut salebras illas odiosas amphibologiae declinemus, in quas passim prolaberemur, si per genitivos ad hunc modum loqui contenderemus: *mei interest legere: tui refert audire.* Nam qui posset auditor lectorve dignoscere, an genitivus ille esset pronominis primitivi *ego*, an derivativi *meus, a, um*? Tollenda fuit igitur haec *amphibologia* e sermone Latino, & per ablativos pronominum possessivorum loquendum, quae antiquorum genitivorum *mis, tis, sis*, actionem, seu potius possessionem significantium, vices nunc gerunt: per ablativum autem loquimur, non per alium casum; quia nullus est genitivo significatione saltim similior, quam ablativus. Cur potius in feminina terminatione, quam in masculina, aliorum esto iudicium: (* ego enim manum non moverim.*) parvi quidem refert, sive enim dixeris suavitatis gratia, ne durum videretur *meo, tuo, suo*, sive tamquam medio trium generum, sive propter aliam causam, modo unum quod sentio, palam hic pronuntiem, hos scilicet ablativos *mea, tua, sua, nostra, vestra* substantive & non

T

ad

adiective, ut Sipontinus, quem insequitur Nebrissensis, existimavit, hac (quantum coniectura duco) persuasus ratione, quod illos, de quibus loquor, ablativos cum nomine substantivo *res, rei*, in verbis *interest & refert*, latenter convenire putaverit: quod quidem fieri nequaquam potest, vel hac una de re, quod pars composita adiectivum recipere nequeat; secus enim liceret sic dicere: *agricola boni: lucrifacio plurimi*, quod quam longe abhorreat a germana veraque Grammatica ipse videris. Porro autem ne nimis morosa ac redundans videatur addiscentibus haec mea de impersonalibus tractatio, distribuam quam fieri poterit brevissime, quae de his verbis tractanda restant, idque per regulas aliquot commodius me scripsisse putavi. Proinde haec esto

I. regula: Si cum his ablativis *mea, tua, sua* venerit nomen substantivum; illud in nominativo collocato cum relativo *quis* vel *qui*: ut, *mea, qui sum Antonius, interest litteras colere.*

II. regula: Si substantivum nomen simul & adiectivum cum his possessivis intervenerint, in nominativo nihilominus utrumque ponito: ut, *mea, qui sum vir fortis, refert mortem obire pro patria.*

III. regula: Quoties autem nomen adiectivum solum cum his possessivis coire contigerit, aut illud est universale: quod Despauterius pulchre scilicet, ut omnia solet, adiectivum non plenum solus appellavit:

qua-

qualia sunt *omnis, cunctus, universus*; & tum in genitivo plurativo licet huiusmodi nomen collocare: ut, *nostra omnium interest litteris operam dare*: aut est numerale, ut *tres & tria*: & in genitivo eodem modo ponetur: ut, *vestra duorum vel trium refert mitiores Musas colere*: aut denique est aliud quodvis adiectivum, quod vacuum aut non plenum idem auctor vocat, qualia sunt *bonus, a, um: malus, a, um*; atque tunc non in genitivo plurativo, sed nominativo potius cum *quis* vel *qui* iungetur: ut, *vestra, qui boni estis, interest Deo servire.*

IV. regula: Iunguntur his etiam possessivis genitivi illi *unius, ipsius, solius*: ut, *mea unius refert administrare rempublicam.*

V. regula: Non licet per numerum pluralem sic loqui: *nostra solorum*, vel *ipsorum interest iuri intendere*; sed per adverbia ad hunc modum: *nostra solum*, vel *nostra tantum interest iuri intendere.*

VI. regula: Recipiunt praeterea haec possessiva hos genitivos *magni, parvi, maximi, quanti*, aliosque istius modi: ut, *magni mea refert.*

VII. regula: Nec item a se depellunt haec nomina aut (si mavis) adverbia: *parum, aliquid, nihil*, & id genus alia: ut, *parum tua refert.*

VIII. regula: Admittunt rursus hi ablativi hoc nomen collectivum *uterque*: & tunc praerogativa quadam nominis abeunt in genitivos simul cum colectivo: ut,

T 2

utrius-

utriusque nostrum interest; non nostra utriusque.

IX. regula: Quoties *cuius, a, um, & quis vel qui* cum verbis *interest & refert* venerint; nomen *cuius, a, um* ab ablativo excidit & in genitivum abit; ut, *quid cuius intersit scio; non quid cuia.* Postremo non inepte iunges cum his ablativis genitivos participiorum: ut, *mea clamantis, mea legentis interest verba exprimere.*

X. Verbum *est*, quod simile quiddam habere diximus impersonalium naturae, longe diversam habet constructionem atque *interest & refert*: vult enim possessiva illa in nominativo, & non in ablativo casu: idque in neutra terminatione poni: ut, *meum est; non nostra est, tua est*: reliqua vero nomina, sive illa substantiva sint sive adiectiva, in genitivo more *interest & refert* collocare exposcit: ut, *sapientis est mutare consilium.*

SCHOLIA.

In secundam, tertiam & quartam Impersonalium activae vocis speciem.

Verba impersonalia secundae classis pro anteriori constructione dativum postulant, qui suppositi vicem gerit. Nam id ego puto apprime esse notandum in verbis impersonalibus, nulla videlicet impersonalia esse, quae suppositum rectum habeant, ni iam mutes eorum naturam & personalia appelles. Sed hanc quaestiunculam latius fortasse in quinta specie tractabo. Nunc autem hoc unum scito *ellipsim* fieri in horum
ver-

verborum constructione: nam subicitur alius casus, nempe accusativus, qui verbo infinito reddit suppositum. Quam ob rem huiusmodi orationes, quales sunt: *accidit mihi febrile: contigit tibi valere*, ad hunc modum sunt exponendae: *accidit mihi me febrile; contigit tibi te valere.* Sed iam hic paucis subiungam constructionem & naturam horum verborum *deceat, iuvat & conducit* pro utile est: quae teste Valla lib. 3. *Elegantiar. cap. 142.* nec personalia sunt plane, nec impersonalia: quia habent numeros: ut, *haec vestes decent nos: illi tibi iuvant te: studia secreta maxime conducunt.* At vero quoties impersonalia volueris appellare, accusativum a parte anteriori, infinitivum autem a posteriori, auctore Nebrissensi, fac reddas: ut, *deceat me legere: iuvat me cantare. Conducit* ad secundam potius impersonalium speciem pertinet, ut quod dativum velit: ut, *conducit mihi legere. Oportet & delectat* inter verba impersonalia tertiae classis numerantur, quibus etiam addi solent *attinet, pertinet, spectat.* Sed ita ut accusativum media praepositione recipiant: ut, *ad me attinet legere.* De verbo *oportet*, si plura desideras, legito Vallam lib. 3. *Elegant. cap. 150.* Atqui novam aliam rationem regendi quorundam impersonalium operae pretium me hercle est videre: quippe quae monstrosam quamdam naturam circumferre videntur: coalescunt enim ex infinitis verborum impersonalium & verbis personalibus:

bus: quasi ex duabus speciebus una resultans natura novam verborum impersonalium formam constituat. *Coepit eum poenitere: potest te pigere: desinet me taedere* saepius dicimus, inquit Valla, quam *coepit ille poenitere: potes pigere: desinam taedere*. Quintilianus in milite Mariano: *Neque si sit cupidissimus vitae, poenitere eum sui facti potest*. Cicero de petendo consulatione: *Si hic civis liber est, cuius auctoritas neminem posset poenitere*.

SCHOLIA

In quintam verborum Impersonalium speciem.

Verba impersonalia quintae classis ante se construuntur cum accusativo, post se cum genitivo vel infinitivo: ut, *miseret me tui: pudet te mei: miseret illum sui: mei* autem & *tui* & *sui* genitivos hic intelligimus primitivorum, auctore Prisciano. Construuntur rursus cum infinitivo: ut, *poenitet me vivere*. Sunt autem numero quinque, quae quintam impersonalium speciem constituunt: *poenitet, piget, pudet, miseret, taedet*, quorum tria dumtaxat auctoritate Diomedis praeterita habent, *piguit, pudit, poenituit*: alia autem duo in has voces exeunt, *miseretum est, pertaesum est*. Sed non ab re fuerit hoc loco tractare, sintne ulla verba impersonalia, nec ne, quod quam per sacras Musas inane hoc sit ac frivolum non omnino me latet; at mos gerendus est clamoris istis scholasticis, qui huiusmodi naeniis & nugis solent oblectare otium: qui, quando ita volunt,

(* &

(* & quo iure, quave iniuria, nobis reluctantes, (quorsum obsecro bonas horas horas male collocabimus?) haec extorquent, *) paucis accipiant, animumque simul advertant, me, quantum mens mea potest respicere spatium praeteriti temporis & pueritiae memoriam recordasse ultimam, *) nulla umquam verba impersonalia vocis activae reperisse, quae mere impersonalia essent. Huic meae sententiae suffragatur Valla, linguae Latinae vir peritissimus, si quis alius, qui non unam aut alteram auctoritatem, sed multas quidem, easque (* ex perenni illo eloquentiae fonte & totius litteraturae Romanae parente *) Cicerone derivatas in huius rei fidem adducit. Huic Antonius noster Nebrissensis adstipulatur, cuius auctoritatem, praesertim hoc in loco, detrectare mihi religio est. Sed audi iam unam aut alteram auctoritatem ex multis, quas hi summi viri citant. Cicero pro Plancio: *si quid me minus interest, id te forte magis delectat*. Et pro eodem: *Non summa integritate & elegantia vixistis, hoc maxime interest*. Similium auctoritatum iustam centuriam adferre poteram. Tum auctoritate Terentii propalam fit, verbum *pudet*, quod maxime videtur impersonale, esse plane personale: *non te haec pudet*. Iam si penitus rem introspecies, omnia ad unum personalia diiudicabis, si verbum finitum pro nomine usurpes. quid enim vetat, quominus sic exponas? *accidit mihi febrile*, id est, febricitatio accidit mihi: &

ad

ad hunc modum de reliquis. Quare quum suppositum habeant, nihil mirum videri debet alicui, si personalia vocentur. Sed quia, teste philosopho, loquendum est ut plures, sentiendum vero ut pauci; non audeam ego palam dicere, haec non esse verba impersonalia, (* quemadmodum grammaticus quidam olim audacissime contendit, *) sed aut voces illas *multum*, *parum*, *aliquid* adverbia dicerem potius, vel in huiusmodi orationibus idiomata quaedam sermonis Latini inesse: qualia sunt alia multa, quae grammaticorum legibus non adstringuntur. Vnde si rogaveris, quamobrem cum verbis *interest* & *refert* ponuntur *quid*, *aliquid*, *hoc*; respondebo, non ratione suppositi, sed adverbialiter, aut auctoritate potius excellentissimorum virorum, & ex proprietate quadam & idiomate Romani sermonis. Quod si non adriserit, dic per me ut velis, modo Ciceronis aliorumque illustrium virorum syntaxim & phrasim imiteris.

SCHOLIA

In verbum Impersonale passivae vocis.

DE *impersonalibus* passivae vocis (* multo aliter mihi visus est sensisse Antonius ille Nebrissensis, atque omnes alii cum antiquiores, tum recentiores grammatici: quae una quidem res quantas apud litteratores istos excitarit tragoedias (vix hercle) sine stomacho

cho possem hic ego recensere, & docti homines sine odio & taedio ex me audire: proin nemini insuavium rerum recordatione stomachum movere est animus, quin committamus grammatistas istos & litteratores, qui quum ab imis unguibus ad verticem usque toti sint barbarie concreti, nihil iucundius suaviusve ducunt, quam in sua perpetuo barbarie contabescere, & glande barbarica ad ultimum lucis usque diem victitare: nec ita rursus ex omni parte lynceum circumspectumve existimo fuisse Nebrissensem, ut nefas putem digitum latum ab homine oculatissimo dissentire: etenim *quandoque bonus dormitat Homerus*. Itaque ne longius, quam par est, prooemiari videamur, ubi fortasse quae diximus non admodum necessaria erant, *) quatuor me polliceor ordine tractaturum. Primum, quid significant verba impersonalia passivae vocis: mox unde orientur: deinde quomodo construuntur: postremo ut resolvantur. Iam ut primum absolvamus, praemonemus in primis pueros, fugiant antiquorum praeposteram opinionem, existimantium, & (quod gravius est) praecipientium, impersonalia vocis passivae rem minime generalem significare: hocque errore imbuti, non reformidabant dicere: *curritur a me*: *statitur a te*. Atqui melius multo hic noster sensit, qui actionem cum quadam generalitate significare, contra nitentibus barbaris, adseruit. Vnde non ut illi, quorum unus idemque primus fuit Priscianus, dicemus: *curri-*

Y

tur

tur a me : statur a te : sed verius: curritur a nobis: statur a vobis. Nec te moveat, quod legas apud Terentium: *quid agitur? statur*, quum verbum ad unum Parmenonem referatur, quia una hirundo non facit ver; nec pulchra dies aestatem. Habes de primo. Accipe nunc de secundo, ut fidem nostram liberemus. Bifariam oriuntur verba *impersonalia*, proprie scilicet & improprie: proprie a verbis neutris absolutis quinti ordinis, ut *curritur*, *statur*, *pugnatur*: improprie a verbis neutris secundae speciei, quae dativum casum regunt in serie orationis: ut *servitur*, *sedetur*. Hic solet a multis quaestio illa agitari, an etiam *impersonalia* vocis passivae ducant originem a verbis activis, quae ne nobis, ut multa solent huiusmodi, & quidem nimis morose, a grammaticis exigatur, & meam ipse appingam sententiam. Quae, ut protinus ad rem conferatur, audacter nobis persuasum habemus: verba *impersonalia* ab activis trahi posse, ita ut liceat sic loqui, *legitur*, *emittur*, *venditur*. habemus enim auctores classicos, quos piaculum esset detrectare, quibus hanc meam sententiam, ac non meam quidem, sed potius omnium grammaticorum, quotquot (praeter unum Antonium) legi, facile tueri possum. Nam praetereo antiquos grammaticos, qui omnes uno ore *impersonalia* vocis passivae ab activis progigni fatentur. Ceterum ad recentiores venio, qui hoc ipsum adfirmare non verentur, inter quos est Erasmus. Idem Germanus quidam

dam rei grammaticae peritissimus, (parco eius nomini, ne pias fortasse offendam aures) idemtidem inculcat. Tum quid in hac re senserit Ioannes Ludovicus Vives (* unicum litteratorum ornamentum, & Musarum columen *) argumento nobis erit libellus ille, cui titulum fecit *de bello Turcico*, ubi sic habet: *Quid fit apud superos, Polypragmon? P. Estur, potatur, emittur quam fieri potest vilissimo; venditur quam fieri potest carissimo*: ubi quis non videt verba *impersonalia* *estur, potatur, emittur, venditur* ab activis pari & formari? Iam ex antiquis. Pli. lib. 10. cap. 70. *Cum plausu congregari feros ad cibum consuetudine, in quibusdam vivariis spectetur*: ubi *spectetur* *impersonali* ter capitur. Pli. li. 17. c. 23. *Ob id protinus a vindemia putari lassas etiamnum fructu edito, improbatur*. Beatissimus etiam Hilarius in Psalm. cap. 2. inquit: *Neque enim ambigitur Prophetam, ea quae impietati huius populi imminerent, scire potuisse*: hic, vel teste Iacobo Spirensi, *ambigitur* *impersonale* est vocis passivae. Sed quid ego multis moror, quum pleni sint huiusmodi exemplorum libri? Quare non deberet tantopere Antonius Nebrissensis reformidare auctoritatem illam Virgilianam: *totis usque adeo turbatur agris*; quum nec illa una sit, nec sola in lingua Latina. Dicit autem dupliciter ab activis formari *impersonalia* vocis passivae, aut inserta neutris: ut, *pugnatur, amatur, itur, legitur*: aut quum neutraliter capiuntur: ut, *legitur de*

Grammatica: disputatur de Dialectica: quae omnia hic tandem recidunt, ut fateatur impersonalia passiva posse originem trahere ab activis, non quidem ut activis, sed ut regimine activo, id est, accusativo privativis. Qua quidem in re mire consentit cum illis, quos dudum nominavi. nam nullus eorum auderet dicere: *Matthaeum legitur, Grammaticam auditur*, ni Alexander, hominem plane barbarum, aliosque eiusdem farinae auctores imitari vellet. Iam ut, quod attinet ad eorum constructionem, expediam, hoc in primis est animadvertendum, perfectiora tunc esse impersonalia, quum regimine carent. unde raro cum casu aut regimine invenias apud idoneos probatosque auctores: ut, *certatur cominus armis: Itur in antiquam silvam;* non quod habere non possent (* ut quod lippis & tonsoribus notum est ipse nesciam *) sed quod multo perfectiora mihi videntur absolute prolata. At vero, si casum lubet dare, nullum praeter ablativum, atque eum in plurali, recipiunt: ut, *reclamatur ab omnibus.* Nam quod Priscianus dicit, quod haec verba iunguntur more passivorum ablativo vel dativo: ut, *curritur a me vel mihi*, vel doctissimorum calculis fidem non habet. Adde quod iunguntur aliquando ablativo singulari, sed nominis collectivi: ut, *curritur ab utroque: certatur a populo.* Quin & dativo plurali: sed ea quae *transfigurantur*, id est, improprie descendunt: ut, *servitur nobis.* Qui quidem casus con-

struun-

struuntur ab eisdem verbis in ratione suppositi. Iunguntur ad haec casibus generalibus, quales sunt casus praepositionum, & effectivus: ut, *Itur in antiquam silvam:* ubi accusativus regitur ex vi praepositionis: *certatur cominus armis:* hic effectivum ex vi instrumenti recipiunt. Praeterea accusativum adverbialiter: ut, *itur Romam:* & quoque ratione temporis: ut, *decem annos a Graecis cum Troianis certatum est.* Transitive autem accusativum regere nequeunt, ut indocti existimaverunt, qui recte dici, *Matthaeum legitur*, consimilesque orationes, contendebant, quibus ineptius aut dici, aut scribi nihil umquam potuit. (* Sed ut ad umbilicos impersonalium iam veniamus, postremum paucis expediam; ne, dum multis immoror, videar cuique tricis & nugis nimium oblectari, quas semper mehercle quoad fieri potuit, declinavi.*)
 Resolvuntur praeterea verba impersonalia per verbum activum numeri pluralis: ut generalitas illa explicetur: ut, *reclamatur ab omnibus*, hoc est, quod omnes reclamant. Quamquam non me latet, quod Priscianus dicit, quod potest scilicet ipsa res intelligi voce passiva: ut, *curritur cursus: & bellatur bellum*, quod fortasse non admodum improbarem, ni me Nebrissensis auctoritas invitum cogeret.

SCHO-

SCHOLIA

In verba infinitiva.

(* **A**deo per se dubia sunt & imperfecta infinitiva omnia, ut diu a multis vehementer dubitatum sit, an verba haec essent, nec ne; & inter adverbia magis ponenda censuerunt, quod nec numeros, nec personas, nec adfectus animi certos habent: & egent semper aliis verbis, sicut adverbia. Sed quam hic aberraverint ab scopo, res ipsa indicat. propterea nolo, ut est in adagio, lucem adhibere in meridie, & in re clarissima probanda oleum & operam perdere. *)

Infinitivus est verbum, quod & personis & numeris deficit: unde & nomen accipit infinitivi, quod nec personas nec numeros diffinit: & eget uno ex quatuor supradictis modis, ut significet aliquid perfectum: ut, *legere propero: legere propera: utinam legere properarem: quum legere properarem. Personale* autem verbum sui cuiusdam est significationis, nec eget alio verbo, quo perfecti quippiam significet, si personis & numeris careat. Est duplex *infinitivus*, nempe generalis, qui ex verbis adiectivis originem trahit: ut, *amare, docere, legere, audire*; particularis, qui a substantivo dimanat: ut, *esse*. ex his prior accusativum, sive expressum sive subauditum, pro casu anteriori perpetuo vult habere: & pro posteriori casum verbi,

a

a quo descendit: ut, *me amare Deum bonum est, & carere voluptatibus, & inservire amicis iucundum*: sed danda interim opera est, ut *amphibologiam* modis omnibus vitemus: in quam, ni advertimus, passim dum per infinitiva loquimur, nimis verecunde incidemus; quemadmodum in his orationibus videre est: *scio Petrum Ioannem verberare: dubito praeceptorem discipulum amare*; quae si per passivum fierent, omnis e medio tolleretur statim amphibologia: ut, *scio Ioannem verberari a Petro: & discipulum amari a praeceptore*. Nunc pulchrum est videre, quam adiuvet copiam & decoret linguam Romanam verbum hoc personis & numeris defectivum. Nam praeter vulgarem illam ac valde notam significationem, quam a maioribus accipit, sex alias obtinuit, non sine venustate quadam & gratia Romani oris. Nam usurpatur I. pro *indicativo*: quod frequens est apud poetas & historicos: ut Terentius: *Omnes mihi invidere & mordere clanculum*. II. loco nominis. Horatius: *Virtus est vitium fugere, id est, fuga vitiorum*. III. pro *gerundio* genitivi: ut Virgilius in II. Aen. *Sed si tantus amor casus cognoscere nostros, pro, cognoscedi*. IV. pro *gerundio* in *dum*: ut, *Et cantare pares, & respondere parati*, id est, *& ad cantandum & respondendum*. Hac dicendi figura totum Instrumentum Novum plenum est, quam magis a Graecis, quam ex Latinis accepit: idcirco politi auctores hunc dicendi characterem vehementer fastidiunt. V. pro *supi-*

pi-

pino in um: quod etiam ex Graecis ad Ecclesiasticos scriptores dimanavit: ut, *Non veni solvere legem*, id est, *solutum*: idem de hoc dictum volo. VI. pro participio, ut quibusdam placet: Virgilius: *Phyllida amo ante omnes, quia me discedere flevit*, id est, *me discedente*. Posterior infinitivus, quem particularem appellamus, quatuor modis construitur. I. praecedente nominativo, sequitur nominativus: ut, *volo esse poeta*. II. praecedente genitivo, sequitur genitivus: ut, *miseror iuvenis cupientis esse boni*; licet non auderem dicere: *Petri interest esse boni*, sed *bonum*. Praecedente dativo, itidem dativus exigitur: ut, *Natura dedit omnibus esse beatos*, potest hic & accusativus non inepte per *ellipsis* hoc pacto poni: *Natura dedit omnibus esse beatos*: quemadmodum dicimus: *procuratorem tibi esse non licet*. IV. praecedente accusativo, non licet alium casum praeter accusativum huic infinitivo tribuere: ut, *volo me esse poetam*. Determinantur praeterea verba infinitiva, ut ex incertis certantur: idque tum a verbis, tum a nominibus & participiis. A verbis autem, maxime a voluntariis, qualia sunt, *volo, cupio, opto, debeo, habeo*. Taceo alias verborum species, a quibus infinitiva determinantur; quae tam multae sunt, ut vix numero complecti posses. Ceterum, ut quod ad aliam terminationis partem spectat, breviter attingamus, diligenter advertas oportet, quasdam orationes infinitivum magis

po-

postulare, ut auctor est Valla I. lib. *Eleg. cap. 26*. quam gerundium. Nam adiectiva magis infinitivum, sive activum sive passivum, exigunt: ut, *tu es dignus habere opes*; *tu es dignus honorari*. Deinde participia iuncta infinitivis servant vim participiorum; iuncta gerundio vim nominum. Itaque utramque formam sibi vindicant; sed diverso modo: ut verba, iunguntur infinitivis; ut nomina, gerundiis: ut, *timidus navigare & navigandi*; *cupiens discere & discendi*; *doctus, peritus, consuetus cantare & cantandi*; *timidus, cupidus navigare & navigandi*. Illud rursus admonitione non indiget, *optima res est agricolare*, recte dici; *optima res est agricolandi*, dici non recte; quemadmodum male dicitur: *non est mihi opus respondendi*; quum dicendum sit, *respondere*. Item, *mandatum habeo a patre convenire te*; Latine dicitur: *mandatum est mihi a patre conveniendi te*; dicitur non Latine. Dicimus praeterea *iussi te arare*; non, ad arandum: *cogito insidiari*; non, ad insidiandum: *timeo aedificare*; non, ad aedificandum. Si plura desideras, ipse Vallam videro loco a me adlegato.

SCHOLIA

In Circumloquia infinitivi modi.

Nullum (quod ego sciam) futurum infinitivi sermo Latinus novit, praeterquam in hoc verbo defe-

X

ti-

ctivo *forem*, *fores*, *fore*, pro *futurum esse*. unde necessitate coacti illud tribus modis circumloquimur. Primo modo, per primum supinum & hoc verbum *ire* in activa: ut, *spero me amatum ire Deum*. In passiva vero & impersonali per hoc verbum *iri* & idem supinum: ut, *spero me amatum iri a Deo*. Vtrumque autem futurum tempus significat, etsi contra nitatur Valla qui I. lib. *Elegant.* cap. 30. miris modis contendit, alterum esse praesentis temporis; alterum vero (contra veterum opinionem) futuri. Adserit enim (quod mirandum utique est) *coenatum ire* & *oratum ire* praesentis esse temporis; neque idem quod *coenaturum esse* & *oraturum esse* significare. Sed praeponderat sane hac in parte Nebrissensis auctoritas atque adeo veterum omnium: quibus etiam adstipulatur (* promus ille condus totius Romanae litteraturae *) Erasmus in aureis illis Commentariis de *Verborum copia* cap. 68. *Ad futuri*, inquit, *significationem pertinent & illa: confido commentarium*, hoc studiosis probatum *iri*, & *perspicio te perditum ire filium*. Sed ecce iam aliud non minus diversum occurrit de significatione circumloquii primae vocis passivae. Anton. namque Nebrissensis vehementer pugnat, hoc futurum non passionem, sed potius actionem significare: quod ex duabus partibus actionem significantibus conflatum sit. conficitur enim ex primo supino & verbo *iri*, quae seorsim acti-

activam significationem gerunt; hucque demum evadit, ut orationem hanc: *spero me amatum iri a Deo*, recte dici neget, propterea quod non servatur generalitas illa, quam *impersonale verbum* postulat. plurativum numerum iungas necesse est hisce circumloquiis: quia verbum *iri* impersonale est. (* Sed quod sancte deirare audeam, & quod citra invidiam dictum velim, dictoque rursus abesse invidiam, *) ego vero nunquam hanc Antonii Nebrissensis opinionem probavi admodum: callida nimis fuisset & summorum virorum auctoritatibus contraveniret; tum quod non deberet ita mirum videri Nebrissensi, si ex duabus partibus actionem significantibus una resultaret pars activa pollens significatione, quum duriora quotidie usuveniant in lingua Latina. Quare multo, medius fidius, praeclarius Valla sentit: sic enim par pari vicissim referemus: *damnandum esse* & *damnatum iri* eadem gaudere significatione dicit. Sed heus tu, cave ne circumloquaris huiusmodi futurum in verbis neutris passivis: non enim dicimus *exsulatum esse*, sed *exsulaturum esse*: *vapulandum esse* non dicimus, sed *vapulaturum esse*: rursus non *vapulatum iri*, sed *ire*: non *exsulatum iri*, sed *ire*; ne duo passiva, teste Valla, coniungamus, qui nec *amaturum fore* dici patitur, sed *amantem fore*; ne duo itidem copulemus futura. Secundo modo, circumloquimur idem futurum per participium futuri in *rus* & hoc verbum *esse* in activa, &

participium futuri in *du*s & idem verbum in passiva: idque per omnia genera, numeros & personas, servato semper eodem casu, hoc est, accusativo: ut, *spero me amaturum esse Deum*, vel *Deum amandum esse a me*. Tertio, est & alia circumloquii forma, quod sive participium (ut vult Nebrissensis) appelles, sive verbum infinitum cum Gellio, parum refert: dum id, quod maioris momenti est, non ignores, nimirum, circumloquium hoc non ineleganter, & quidem frequentissime a summis viris usurpari: illud autem circumloquimur (ut auctor est Antonius) per participium futuri in *ru*s, quum pro verbo infinitivo ponitur in accusativo: iungiturque omnibus generibus utriusque numeri: ut, *spero virginem nupturum tibi*: & *virgines nupturum viris*.

SCHOLIA

In Gerundia.

QVam inexplicabilis fuerit antiquorum error, atque adeo recentiorum fere omnium in tractatione huius novae partis, mira inter eos sententiarum varietas argumento esse poterit. quot enim capita, tot sententiae fuerunt. Itaque suam quisque viam munivit, ne aliorum vestigiis insisteret. Hinc *gerundium* quidam verbis adnumerant, quia regunt casus, inter quos est Despauterius Ninivita (* qui nescio quibus lar-

larvis exagitatus, noluit Antonio, viro eruditissimo, fidem habere. *) Hunc ego cum sua opinione refellendum existimo; si *gerundium* non significare cum differentia temporis, quod praecipuum habet verbum, dixerit. Nam aut cum differentia temporis praesentis, aut praeteriti, aut futuri significat. Quod *gerundium* minime habet: idque in causa est, ut verbum non sit. Alii nomina esse putant, eo seducti, quod *gerundia* inchoantur per casus: sed ii toto plane errant caelo, quia nulli nomini accidit casum sui verbi regere. Alii participalia nomina esse affirmant: quod in quibusdam participio, in quibusdam nomini similia sunt. nomini, quia carent tempore; participio, quia regunt casum verbi, a quo derivantur. Mirum etiam est, quam hic caligavit Laurentius Valla, vir alioqui oculatissimus, qui quum praeclara multa de *gerundiis* disseruisset, illo uno (meo iudicio) defecit, quod *gerundium* participium praesentis temporis esse putaverit, hoc victus argumento, quod *gerundium* non per tempus futurum resolvitur, sed per tempus praesens: ut, *volvenda dies*, id est, *quae volvitur*, non *quae volvetur*. Sed non deberet vir eruditus tam levi ratione *gerundium* a participio temporis praesentis natura non discernere: tum quod in confesso sit, participia praesentis temporis activam gerere significationem, non passivam: quam quum non habeant, qui (obsecro) passive exponi poterunt, ut *gerun-*

rundia adiectiva solent? tum quod gerundia nulla eorum temporis differentia significare diximus. Participium autem praesentis temporis iam suam temporis differentiam praefert. Dicamus igitur gerundium esse aliam orationis partem distinctam ab illis octo; quae adeo ipsi nomini similis est, ut, si casum verbi non regeret, nihil quidquam praeter nomen esset. Scobarus quidam (* homo approbe doctus & vigilans *) sic finit: *Gerundium* est pars orationis declinabilis per casus sine tempore, casum sui verbi regens, & rei administrationem significans. Satis meo iudicio declarat gerundii naturam, dicitur gerundium a *gero*, *is*, hoc est, *administro*: ut qui amplissimum magistratum gerunt, id est, administrant; non autem a *gero*, quia verbi constructionem gerit, ut Despauterius dicit, nam & hoc pacto & supina & participia gerundia essent, quod verbi constructionem gerant. Tolerabilius esset, si (ut inquit Sipontinus) a gerenda duplici significatione *gerundia* appellarentur; quod de participiis dici non potest: quippe sub una voce unam tantum significationem gerunt. Sed missa isthaec faciamus, quae parum profutura sunt addiscentibus, ubi ad unguem perspecta habuerint. Ad id, quod potissimum est, veniamus, quodque magis usui futurum est Grammaticae studiosis. Itaque de gerundii constructione, partitione & significatione, qua poterimus brevitate disseremus. Atque ut pollicita statim praeste-

stemus, pro comperto in primis habendum est, gerundia ante se casum non regere. Nam teste Valla lib. I. *Elegant.* cap. 29. huiusmodi loquutio qualis est: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, inaudita est. Graeci enim infinitivum hoc loco habent, quod vult accusativum: quod multis modis transferri poterat, vel sic: *dum converteret Dominus captivitatem Sion*; vel sic: *converte, Domine, captivitatem Sion*: & aliis, ut dixi, multis modis. Quidam imperiti (inquit Valla) aiunt, casum pro casu poni: quale est illud: *In deficiendo ex me spiritum meum*. & alibi: *In conueniendo populos in unum, ut seruiant domino*. Sed ut ostendi, ante se non habent casum. Quod si argutulus quispiam obiecerit, casum ante se gerundia debere regere; utpote quae actum significant, quum fieri nequeat, ut actus sit, quin ab agente aut supposito quopiam promanet; hinc, meo consilio, sic respondeo: abi hinc in malam rem cum istis tuis cavillis tam illepidis: quibus non modo factum est, ut facultas haec litteraria paene suam ingenuitatem amisisset; sed reliquae liberales artes proprio expellerentur regno. Post se vero regunt casum verbi a quo descendunt: ut, *tempus est carendi voluptatibus*. Habent praeterea gerundia duplicem significationem, activam scilicet & passivam. Gerundia quum sociata sunt substantivis, passive capiuntur; disiuncta vero, modo active, modo passive. Sed pas-

passive, quum sine praepositione, & sine genere, & in casu ablativi, & quasi absoluta ponuntur. Virgil. *Alitur vitium crescitque tegendo*. Idem: *aegrescit que medendo; uritque videndo* *Femina*, idem est quod, *quum tegitur vitium: quum aeger curatur: quum videtur femina*. Quintilianus: *Sed memoria excolendo, sicut omnia alia, augetur*, hoc est, dum excolitur. Salustius: *Pauca supra repetam, quod ad cognoscendum omnia illustria, magis magisque in aperto sint*. hic accusativo usus est: *ad cognoscendum* inquit, hoc est, ut cognoscantur. Hinc duplex esse gerundium colligitur, alterum adiectivum, quod alij *gerundivum* appellant, alterum substantivum. Gerundivum adiectivum omnia genera & numeros & casus habet: & iungitur substantivis in tribus illis accidentibus, genere, numero & casu, significatque semper passionem: ut, *volvenda dies en attulit ultro*, id est, quae volvitur: *iurandum*, hoc est, quod iuratur. *Est mihi cura iuris dicundi*, & *do operam iuri dicundo*, & *veni ad ius dicundum*, & *delector iure dicundo*. Gerundia substantiva tantummodo reperiuntur in genitivo, accusativo & ablativo generis neutrius & numeri singularis: ut, *est mihi cura solvendi pecunias*, & *veni ad solvendum pecunias*, & *delector solvendo pecunias*. de singulis tractandum est.

(* Sed duo hoc in loco praemonendi mihi sunt adolentes, quae ego dum textum hunc de gerundii par-

partitione interpretarer, adnotavi: alterum quidem, expunctam me reperisse dictionem illam *substantivata* ab Arte, quae Granatinis excusa typis, nuper ad nos venit. Nec id sine ratione factum arbitror: nam quorsum attinet dicere gerundia substantiva reperi substantivata? Si enim substantiva sunt; qui poterunt substantivari, quum adiectivi sit plane substantivari, non substantivi? nam quod quis habet quid sperat? Alterum vero, quod non mediocres excitavit olim in scholis tragoedias, est, quod in codicibus Lugduni nuper etiam excusis oblitterata est & expuncta oratio illa: *quorum nominativus est amare, quum pro nomine usurpatur*. pulchre mehercule factum. Nam diu torsit nos difficilis locus, aut egregium (audacius dixerim) aenigma, quod vel Oedipus ipse non explicaret. *)

Gerundium nominativi principio nec esse adseruit plane Nebrissensis, nec palam ausus est negare. Valla vero aperte negavit. Despauterius nihil minus veritus est, quam gerundium nominativi admittere: cui ego Virgiliana auctoritate impulsus (*Et pacem Troiano a rege petendum*) adsentior: ubi si aequa lance omnes orationis partes earumque syntaxim perpendas, nullam earum profecto invenies, cui dictionem *petendum* tuto audeas adscribere: excogitanda igitur fuit alia orationis pars, quae gerundium nominativi appellaretur. Hoc quidem actionem cum quadam

Y

dam

dam necessitate significare dicimus: tum quod in *um* terminatur, & casus omnes regit praeter accusativum, quem si aliquando regit, id fit perquam raro: ut, *carendum est voluptatum: serviendum est Deo: utendum est virtute*. At, me auctore, non dices: *legendum est Ciceronem*. Postremo declaratur per *opus est*, vel per *oportet*: ut, *moriendum est semel*, id est *oportet aut opus est semel mori*. Haec de gerundio nominativi.

Consequens est, ut nunc de gerundio genitivi disseramus: de quo tria accipe, ingenue adolescens. I. quidem quod vult determinari a nominibus substantivis: qualia sunt *tempus, hora, locus, occasio, oportunitas, ansa studendi*. II. vero activam gerit significationem, eamque, auctore Nebrissensi, perpetuam. Sed elegans illustrium auctorum usus passivam etiam habere declarat. Suetonius in Claudio: *Cui lectica per urbem vehendi, spectaculaque edendi ius tribuit*. Hic *vehendi* passive accipitur; *edendi* active. Lactantius de Opificio Dei: *Pascendi tamen facultatem dentes adimerent*, id est, *ut pascerentur*. Iustinus: *Athenas erudiendi causa missus: quanto doctior maioribus suis, tanto & gratior populo fuit*, id est, *ut erudiretur*. Idem lib. I. *Quod ad te non tam cognoscendi, quam emendandi causa cognosceres: non tam ut cognosceres, quam ut emendares*. Huiusmodi orationes non est quod reprehendas, ac velut barbaras ex-

plo-

plodas, quia praecipuis Latinae linguae cultoribus receptae sunt: sed quia paucae admodum sunt, raro parcissimeque utere. *Essendi, essendo, essendum* ab *sum, es, fui* Valla, omni saeculorum memoria dignus, nequaquam reperiri adfirmat. Vnde absit, ut quisquam dicat: *laboro causa essendi rex aut essendi regis*. Quod si reperiantur, non regerent casum, sicut *manendi, vivendi, existendi*. III. autem bifariam construitur, regit casum verbi, a quo descendit, ut *hora est repetendi lectionem*. Deinde cum plurali numero singulari voce iungitur in eodem casu, ut Plin. *quum illorum videndi gratia me in forum contulisset*. Plaut. *Nominandi tibi istorum erit magis, quam edundi copia*. Haec de gerundio substantivo dico: nam gerundium cum substantivo copulatur in genere, numero & casu: ut, *cura dotis numerandae tenet me*. Verum quoties oportet loqui per relativum, necesse est loqui per gerundium substantivum: ut, *hic dies attulit initium dicendi quae vellem: non autem dicendorum eorum, quae vellem*. Gerundium dativi cum accusativo construere non potest, absurdum namque est dicere: *do operam colendo agrum, & legendo librum*. Sed per dativum sic: *do operam colendo agro, vineae pastinandae, nemori succindendo*: itaque dativum, non alium casum regit. quo fit, ut ab aliis nolit determinari verbis, quam ab his, quae dativum casum in serie orationis regunt: ut, *vaco, do operam, incumbo, solvendo non sum,*

Y 2

num-

numquam patitur secum substantivum: ideo dubitari potest, an datus sit, an ablativus. Significat autem *satisfacere*, sive pecunia sive remuneratione. vult tamen post se semper dativum, licet non semper apponatur: ut, *tibi solvendo non sum*.

Gerundium accusativi determinatur a verbis tum motum, tum quietem significantibus: ut, *eo ad legendum*; *sedeo ad scribendum*: regit post se casum verbi, a quo descendit: ut, *eo ad salutandum sororem*: quod multo elegantius diceretur sine regimine, hoc est, per gerundium sic: *ad salutandam sororem*: *ad salutandum sidus*: *ad salutandos fratres*. Quod de gerundio accusativi dico, idem de gerundio genitivi & ablativi dictum volo. Gerundium accusativi iungitur his praepositionibus frequenter *ad*, *ob*, *propter*, *inter*, *ante*: ut, *ad numerandum*, vel *propter numerandum pecunias veni*. Sed *inter* raro habet cum gerundio substantivum, rarius regimen. Planius exemplo fiet: *veni inter legendam lectionem* raro dicitur: *veni inter legendum lectionem* rarius. *Ante* cum gerundio fere etiam sine regimine ponitur: *Ante domandum ingentes tollent animos*. Significat etiam passionem gerundium accusativi, de substantivo loquor: ut *D. Hieron. in Isai. lib. 1. cap. 13. Legi in cuiusdam commentariis, iram Dei posse intelligi contrariam fortitudinem, cui tradimur ob puniendum*, id est, *ut puniamur*. Sallustius in *Iugurtino* (ut supra dixi) *Pauca,*
ut

ut supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. Illud etiam silentio non est praetereundum, gerundia adiectiva in accusativo iungi praepositionibus illis: ut, *ad numerandas*, vel *propter numerandas pecunias veni*: praeterquam cum his verbis *loco*, *conduco*, *mando*, *curo*, *habeo* pro *debeo*: ut, *ego locavi hominem faciendam sepulturam*, non autem *ad faciendam sepulturam*: *cura libros mittendos ad me*, non *ad mittendos ad me*. Gerundium ablativi & activam & passivam gerit significationem: quum active significat, gaudet regimine; sed modo absque praepositione: ut, *hos accusando*, *illos defendendo*, *tantam civitatem labefactasti*: modo cum praepositione: ut, *in tribuendo suum cuique*. Iungitur vero his praepositionibus *in*, *de*, *ex*, *ab*: ut, *in navigando venti posuerunt*: & *ex defendendo potius, quam ex accusando maior gloria comparatur*: per *ex* vel *e*: & *a* vel *ab*: *Nescio*, inquit Valla, *an liceat dare tali gerundio regimen*. Passive accipitur, cum sociatur substantivis: ut, *legendis nostris orationem Latinam efficies plenior*. Finem faciemus, si unum hic adnotaverimus, quod Diomedes grammaticus, aliique magni nominis auctores litteris celebrarunt: gerundium videlicet hoc absolute capi, etiam cum praepositione & absque praepositione, & activa tantum significatione. Huius frequens est apud illustres Latinae linguae auctores usus, Plin. lib. 12. cap. 2. *Melior*

lior, quo brevior & crassior; lentus in frangendo, id est, dum frangatur: Plin. lib. 12. cap. 25. Lacrimae probatio, ut sit pinguis, tenuis, ac modice rufa, & in fricando odorata: Plin. lib. 34. cap. 12. Color est caeruleus, perquam spectabili nitore utrumque esse creditur; diluendo fit atramentum tingendis coriis, id est, quando diluitur, loquitur de chalcantio in Hispania. Plin. lib. 34. cap. 15. Ferrum accensum igni, nisi durentur icibus, corrumpitur: rubens non est habile tundendo, id est, ut tundatur. Plin. lib. 14. cap. 1. Huius proprietates ut ventiletur in coquendo, donec desinat olere, id est, dum coquitur.

SCHOLIA

In verba Supina.

S*upina, quae (auctore Antonio) aliam orationis partem ab illis octo constituunt, inter verba potius referre quidam probaverunt, quibus eloquentiae & doctrinae tributa est auctoritas. Sed sive mera verba appelles, sive aliam esse orationis partem adfirmes, parum, mea quidem sententia, refert: modo, quod pluris aestimatur, non te fugiat, nepotes scilicet verbi esse, maiorumque significationem & constructionem velut hereditario quodam iure sibi obvenisse. Vnde si prius supinum a verbis activis prognatum fuerit, activam scias, velut paternam heredi-*

ditatem, accipere significationem. Si vero a neutris ortum habeat, eorum quoque naturam & proprietatem sequitur. Passivam etenim significationem a neutropassivis mutuatur. Vult praeterea determinari a verbis significantibus motum, aut explicitum aut latentem: ut, eo salutatum praeceptorem: propero lectum lectionem: hic motus explicitus significatur; in his vero, expectatum admisi: do servos venum, & filiam nuptum, motus latens est, quem verba admittito & do in recessu habent. Cavendum autem ne a verbis quietem significantibus determinetur: nam hoc potissimum a gerundio accusativi secernitur: quia supinum numquam fere est sine verbo significante motum ad locum, ut eo, ut venio. Gerundium vero accusativi iungitur etiam verbis quiete & otio pollentibus: ut sto, sedeo, iaceo. Non poenitebit in coronide adnotationis huius, illud (quod paullo superius admonuimus) iterum in memoriam redigere: nempe quod venum iri non dicitur, nec vapulatum iri, sed ire: quia in ceteris, quae ambigua sunt, quae active & passive accipi possunt, ad distinguendum sensum accommodamus infinitivum hoc, vel activum vel passivum: ut, video te amatum, doctum, lectum, auditum ire vel iri: talia enim supina ambiguae, sive ancipitis significationis sunt. At venum, vapulatum, & si qua sunt alia, non sunt ancipitis, sed semper passivae significationis: ideo non potest addi utrumque,

que, sed alterius infinitum, hoc est, *ire*, non *iri* ne duo passiva copulentur.

SCHOLIA

In Supinum posterius.

S*Vpinum posterius* quinque maxime conditionibus constat, quibus ab omni barbariei nota adseritur, quam improbi isti grammatae (qua sunt ignorantia referti) non sine Romanae linguae detrimento inurebant. Sed ingentes dedere poenas Laurentio Valae, qui I. libro *Elegant.* cap. 3. plane probavit, supinum in *u* nec determinari a verbo: ut, *venio lectu*; nec usurpari pro nomine: ut, *venio venatu*, pro *de venatione*: nec recipere in suo contubernio adiectivum: ut, *dignus magno gubernatu*; nec admittere praepositionem: ut, *recessit ex gubernatu*; nec casum postremo regere: ut, *dignus gubernatu reipublicae*, quem admodum indocti isti deblatterant: qui, si proprius supini huius naturam & usum inspexissent, mutarent indubie sententiam; nec tam prodidissent nobis suam infantiam, & contradixissent, semper iungi nomini adiectivo, non tamquam substantivum, sed tamquam verbum, ab eoque regi & passionem significare: ut, *est res horrenda dictu*, id est, *ut dicatur*. hoc postremum facit, ut a verbis absolutis supina in *u* rara sint inventu, ut *flatu*, *cursu*, *sessu*; nisi quis velit imper-

so-

sonaliter eis uti: ut, *iucundum est hic sessu*, id est, *ut sedeatur*: *cursu*, id est *ut curratur*: quae quia a doctis usurpata non sunt, nemo, me quidem auctore, usurpaverit. A verbis item neutropassivis supina in *u* non trahuntur, quum prius supinum passive significet: sed quia non tam facile esset puerulis rudibus supinum hoc posterius ab ablativis nominum quartae declinationis, quibus voce persimile est, sciungere; faciendum fuit, ut qui possent eorum differentiam internoscere, hic etiam doceremus. Nam quis non putaret *peccatu*, *adlegatu*, *fretu*, *tributu* non esse supina? quae tamen Gellius ille, antiquae litteraturae peritus, in suis *Noctibus Atticis* lib. 18. cap. 19. nomina esse dicit, ab illustribus viris usurpata. Proinde haec & similia, quum nomina sunt, coniunguntur cum adiectivis, regunt casus, reguntur etiam a verbo & participio, subserviente quoque praepositione: ut, *careo toto visu oculorum*, *antea privatus auditu aurium*, *nonnihil etiam ex odoratu*: haec omnia absunt a supino.

SCHOLIA

In Participium.

P*articipium* (teste Diomede) est pars orationis, dicta, quod duarum partium, quae sunt eximiae in toto sermone, verbi & nominis, vim participet. Caput enim a nomine genus & casum, a verbo autem

Z

si-

significationem, qualitatem & tempus: ab utroque numerum & figuram. Significationes participiorum quinque sunt, quemadmodum in verbo: *activa*, *passiva*, *neutra*, *deponens*, *communis*. *Activa* est, ut, *vocans*, *docens*. *Passiva*, ut, *vocatus*, *doctus*. *Neutra*, ut, *navigans*, *volans*. *Deponens*, ut, *luctans*, *sequens*. *Communis*, ut, *consolans*, *criminans*. Duo participia trahuntur a verbo activo, quae praesentis temporis & futuri sunt: ut, *docens* & *docturus*. A passivo duo, praeteriti & futuri: ut, *doctus* & *docendus*: A neutro duo, praesentis temporis & futuri, *currens*, *cursurus*: interdum tria, quum declinatio passiva miscetur: ut, *gaudens*, *gavisus* & *gavisurus*. A deponenti tria, *luctans*, *luctatus* & *luctaturus*: interdum quatuor: ut, *sequens*, *sequutus* & *sequuturus* & *sequendus*. A communi semper quatuor, secundum formam quidem activam praesentis temporis & futuri: ut, *criminans* & *criminaturus*; secundum passivam autem formam, praeteriti & futuri: ut, *criminatus* & *criminandus*. Ab impersonali vero participia, nisi usurpata fuerint, non veniunt. Rursus sunt quaedam nomina speciem participiorum habentia: ut, *tunicatus*, *galeatus*, *umbellatus*: quae quia a verbo non veniunt, non sunt participia appellanda. Ex quibus autem non sunt illa, quae Diomedii & Donato nomina visa sunt: ut, *pransus*, *coenatus*, *placita*, *nupta*, *triumphata*, *regnata*; quod *prandeor*, *coenor*, *placeor*, *nubor*, *triumphor*,

phor, *regnor*, non dicitur. Quin potius vera sunt participia sub voce passiva, activam habentia significationem: quemadmodum sunt alia prope infinita, quae sub voce praeteriti significant actionem, & praesentis passionem. nam *circumspectus*, *consideratus*, *disertus*, *cautus*, *tutus*, *ignotus*, *argutus*, *falsus*, *contentus*, *tacitus*, *profusus*, *fluxus*, *scitus*, & (quo nonnulli utuntur) *discretus*, omnia (auctore Valla) active sunt exponenda, quia sub voce passiva activam significationem gerunt: ut, *evidens* & *indulgens* passive sub voce activa accipiuntur. Est etiam aliud considerandum, participium praesentis substitui nonnumquam pro participio praeteriti: ut Cicero in *Bruto*: *Quum e Sicilia discedens Rhodum venissem*. hic *discedens* pro *profectus* ponitur, quod participium praeteriti est: hoc solum licet, quum participium praeteriti deest; secus autem non permittitur: ut, *quum e Sicilia proficiscens, Rhodum venissem*: dicendum est, *quum e Sicilia profectus, Rhodum venissem*. Est & aliud notatu dignum, participia videlicet praesentis temporis substantiva, si pro certo accipiantur substantivo, illius sunt generis, cuius & illud; si pro incerto, ad neutrum transeunt, quod in ceteris quoque fieri solet: verbi gratia, quia, quum dicitur *oriens* & *occidens*, intelligitur *sol*; quum *fluens* & *confluens*, *fluvius*, ideo masculina sunt. Sicut, quum dicitur *consonans*, intelligitur *littera*; dum *continens*, *terra*; dum

praegnans aut *laclans*, femella, & dum *bidens*, ovis, ideo sunt feminina. Sed si *bidens* capitur pro duplici dente, aut pro instrumento bidente, erit masculinum: ut, *tridens*; *animans* autem, si subaudiatur natura animata, femininum est; sin absolute ponatur, neutrum. unde *animantia*, sicut & alia multa, neutra: ut, *continens* pro *firmamento* rationis; *impertinens*, *accidens*; *continens* vero pro terra, quae non est insula, feminini est. Quod quum hoc ita sit, quid non praemonebo nostrates dialecticos, ut paullo diligentius posthac advertant circa voces illas *consequens*, *antecedens*: quas si absolute capiunt, pulchre quidem illi faciunt, dum per genus neutrum ad hunc modum pronuntiant: *nego antecedens*; *distinguo consequens*: verum si pro certa propositione participi illa sumant, non ex usu linguae Latinae faciunt, si eodem modo per genus neutrum loquantur; quum potius per genus femininum loquendum sit: ut, *nego antecedentem*; *distinguo consequentem*. Sunt praeterea quaedam, quae & participia & nomina communiter esse possunt: ut, *passus*, *visus*, *cultus*, quae genitivo casu discernuntur. Nam si nomina fuerint, genitivum casum in *us*, longam syllabam mittunt: ut, *huius passus*, *visus*, *cultus*: participia autem in *i* mittunt: *huius passi*, *visi*, *culti*. Potest autem participium abire in nomen modis quinque: aut amissione constructionis, quum proprio relicto casu genitivum si-

sibi adsciscit: ut, *amans uxoris*; aut comparatione: ut, *amantior*, quod non ab *amante*, ut participio formatur (nam sub hac forma non recipit comparationem) sed, ut nomen est, potius legitime deducitur; aut compositione, quoties aliter componitur, quam verbum: ut, *illaesus*, *innocens*, *indecens*, *incautus*, *incontinens*; aut amissione temporis: ut, *Palleanat omnis amans*; aut amissione significationis: ut, *indictus* pro non dictus, quia *indico* non significat *non dico*. Insuper illo uno Laurentii dicto finem faciam, quod habet participium talem tantamque nonnumquam gratiam, ut sine eo non sit plane Latina oratio: ut, *mulieres ornant se, ne visae irrideantur ab hominibus*: pro quo foedum dictu esset: *mulieres ornant se, ne videantur & irrideantur ab hominibus*. itaque facit participium compendio illo pulcherrimo multo venustiorē orationem: nec minorem item habet gratiam, quum his verbis coniungitur, *volo, do, curo*: ut, *velim te oratum: dabo tibi hodie inventum Davum: curabo inventum servum*. Haecenus de participio.

SCHOLIA

In caput duodecimum de Nominis constructione.

POSTEA quam de verbo eiusque nepotibus, ut vires nostrae tulere, tractavimus, pretium nos operae facturos existimavimus, si de *nominis constructione* pau-

pauca disseramus. (* quae non minus quidem negotii, quam quae hactenus a nobis tractata sunt, plerisque grammaticorum facessunt; quin (si fas est dicere) *Maius opus moveo... maior rerum mihi nascitur ordo.* dum nominum variam naturam diversamque constructionem in animo est aggredi. quid non ita loquar, quum videam, perpauca grammatices studiosos plene atque ad unguem (quod aiunt) comparativa & superlativa nomina, ut interim relativa & diminutiva praeteream, intelligere? *) Ceterum ante quam accedam ad comparativa nomina (& ea quae limatulum sane ingenium postulant) nonnulla hic, velut iugatim, adiectiva adnotabo, quae praeter ea, quae Nebrissensis commemoravit, apud idoneos auctores cum genitivo casu construi reperiuntur: ut *Fertilis*, Solinus; *Celtiberiae latus plumbi fertilis*. *Inobservans*, Hieronymus: *Honestatis immemor est, amicitiae inobservans, humanitatis fugax*. *Anxius*, Plinius: *Nepotum securitatisque anxius*. *Irritus*, Q. Curtius: *Petere perseverabat, ne se irritam spei pateretur abire*. *Profugus*, Plinius: *Vix vinculorum eius profugus*. *Capax*, Hilarius: *Et humanum sensum tantarum rerum intelligentiae incapacem*. *Largus*: *Altrinsecus, qua septentrionem paritur, aquarum larga*. *Clarus*, Ambrosius: *Alius avis atavisque nobilis, & maiorum honestatis infulis prosapiae veteris clarus*. *Foecundus*, Plinius: *Alioqui nulla*
foe-

foecundior metallorum erat quoque tellus. *Sciens*, Lactantius: *Tamquam non possent tam dispositae, tam ordinate moveri, nisi sensus illis inesset sui sciens*. *Gerulus*, Solinus: *Navis Phrygia gerula sacrorum*. *Sciens*, Lactantius: *Daemones aiunt peritos ac rerum scios*. *Copiosus*, soli ager. *Creticus silvestrium caprarum copiosus*. Haec ad verbum mutuati sumus ex Iacobo Spirensi. Haec omnia, compluraque alia cum genitivo construuntur ex vi naturae propriae: non autem possessionis, quod substantivorum solum est. quae, quia facilia sunt inventu, omisi, ne copia legentibus fastidio essem

SCHOLIA

In nomina Comparativa.

(* **L** Egi viginti fere Grammaticae auctores, qui de comparativis & superlativis nominibus multa, non tam elaborata illa quidem ac limae labore coercita, praeceperunt, quam contentiosa & tumultuaria; ne dicam fictitia pleraque ac prodigiosa. e quorum numero, vel me tacente, iam tu lector erudite, illos Romanae linguae architectos, Vallam & Nebrissensem, non iniuria excipis, qui ita emuncta omnia, recta & egregie candida tradiderunt, ut ex illius capite Minervam prodiisse non perperam dixeris, quae postea ad huius femur per aliquantulum temporis adligata, ut Bacchus olim ad Iovis crura revinctus, insigniter suc-

succevisse fertur. Proinde haec duo grammatici fulmina belli, hos summae iuventae moderatores & gloriam Romanae togae, quoad potero, imitabor. Modo per eos liceat (licebit certe, quae sunt innata modestia homines) in aliis auctoribus quae pulchra inveniunt, libere sequi. sed iam hinc, Musis iuvantibus, rem aggrediamur. *)

Comparationis gradus sunt tres: positivus, qui & absolutus, comparativus, superlativus. *Absolutio*, auctore Diomede, est elatio sine comparatione: ut, *fortis*; aut, finitore Aldo Manutio, *positivus* est, omne id, unde comparativa ac superlativa formantur. *Comparatio* est elatio cum relatione ad alium, aut (si mavis) est rei ad rem collatio: ut, *Cicero eloquentior fuit Hortensio*. *Superlatio* est enuntiatio cum superlatione ad omnes: ut, *Hector fuit Graecorum fortissimus*: in his duobus postremis proprie est comparatio nominum. Comparantur illae demum partes, quae aut qualitatem aut quantitatem significant: quo fit, ut quatuor orationis partes comparisonem tantum recipiant: haec sunt *nomen adiectivum, verbum, adverbium, praepositio*, quia horum significationes tantum augeri aut minui possunt. Nec omnia adiectiva comparari possunt, sed ea tantum, quorum significatio potest incrementum diminutionemve suscipere: ut, *doctus, peritus*: quamquam aliquando pronomen comparatur, ut apud Comicum, *ipsissimus*. & nomen item pro-

proprium: ut, *Neronior*. Sed hoc magis licentia poetica factum est, quam aut ulla grammatica ratione, aut doctorum auctoritate. Hinc provenit, ut haec nomina, *ingens, supremus, infimus, summus, intimus, omnipotens*, comparari nequeant. Sed illud iam advertite, quaedam non amplecti omnes gradus, id est, non per tres gradus fieri. Nam omnia qualitatum nomina sex retinent formas, quas inferendas putavimus. Aut enim incipiunt, aut sunt, aut veniunt, aut adiacentur, aut inveniuntur, aut exeunt. Incipiunt cum comparativo, deficiente gradu superlativo. Sunt quae ex positivi imagine per omnes gradus formantur: ut, *fortis, fortior, fortissimus*. Veniunt, quae post positivum & gradus ceteros, imaginem alteram sumunt: ut, *bonus, melior, optimus: malus, peior, pessimus*. Adiacentur, quum extrinsecus positivo tantum adverbia quaedam adiecta (vice secundi gradus) ponuntur, *tam, aut minus, aut magis, aut minime, aut maxime*. dicimus enim *tam bonus, tam malus, magis bonus, magis malus*. Inveniuntur, quae trifariam ordinantur, in hunc modum: uno scilicet, deficiente quolibet gradu, positivo, comparativo, superlativo. Positivo: ut, *veterior, ultimus: ocior, ocissimus*. Comparativo: ut, *pius, piissimus*. Superlativo: ut, *senex, senior*. Exeunt, quae superlativum tantum habent: ut, *novissimus*. Porro comparativa formantur ex positivis primae & secundae inflexionis a genitivo singulari

generis masculini, addita *or*: ut, *albi, albior*. A positivis vero tertiae declinationis a dativo singulari, addita *or*: ut *brevi, brevior*. Non formant autem in usu frequenti comparativa, quae ante *us* vel *is* vocalem habent: ut *pious, tenuis*. Et hoc aiunt quidam propter duas regulas. Regulae autem haec sunt. Prima, *i* positum inter duas vocales efficitur consonans, praeterquam in paucis quibusdam: ut, *Aeneius, Rhodopeius, Troius, Priameius, Peneius*. Item, comparativum superare debet positivum suum una syllaba. Si igitur *pior, egregior*, & huiusmodi dices, contra alteram harum necesse est facias. Nam si voles, *piior* esse dissyllabum, ubi *i* sit consonans, erit contra eam regulam, quae vult, positivum a comparativo superari: quod non fiet, si *piior* erit dissyllabum, ut positivum *pious*. Rursus, si voles *piior* esse trisyllabum, ubi *i* inter duas vocales *i* & *o* sit vocalis; non servabitur regula, quae vult, inter duas vocales esse consonantem. Atqui non erit, si *piior* trisyllabum fuerit. Ob has igitur contrarias regulas non formare, aiunt, Grammaticen ab huiusmodi nominibus comparativa, sed adsumere magis adverbium, & complere usum comparativi: ut, *magis pius, magis tenuis*. Sed ego cum Aldo Manutio id fieri existimo *euphoniae*, id est, boni soni gratia. nam inveniuntur saepissime apud bonos auctores ab huiusmodi adiectivis comparativa. Marcus Tullius
Rhe-

Rhetoricorum lib.2. *Sed illae tenuius & acutius & subtilius tractantur*. Plinius Secundus: *vinum omne dulce, quo tenuius, eo odoratius*. Iuvenalis: *Egregius coenat, meliusque miserrimus horum: egregius dixit pro magis egregie, detracta i*, ut sit trisyllabum propter metrum. Vnde leviculae sunt sane ac nullius pae ne momenti rationes illae grammaticorum, quum huiusmodi auctoritatum pleni sint bonorum auctorum codices. Nec est, quod sonus eruditas aures offendat, propterea quod doctis usu mire suavis, ac egregie iucundus effectus sit: quae enim non molliuntur usu & consuetudine?

Praeterea comparatio potest esse duplex: aut propria, in qua res comparata, & ea cui comparatur, eadem sunt notata qualitate, in qua comparantur: ut, *homo est fortior leone*: aut impropria, in qua dictiones comparationis contraria & dissimili qualitate inter se distant: ut, *Cygnus est albior corvo*. Ad bonam comparationem quinque requiruntur: res comparata: ut, *Erasmus*: res cui comparetur: ut, *Beta*: accidens: ut, *doctior*: & quod uterque terminus sit accidentis particeps: quare mala comparatio est: *Cygnus est albior corvo*. Item quod alter sit magis particeps accidentis; quia omnis comparatio id agit, ut alterum praeferat. Quae aequat, similitudo est potius, quam comparatio. auctores sunt Servius & Diomedes. Comparatio impropria fit tribus modis: con-

structione, quando partitive ponuntur, nec construuntur more comparativorum: ut, *maior horum est caritas*, quamvis contra sentiat Volaterranus, eoque de nomine Vallam, virum alioqui Latinissimum, ignorantiae arguat: inquit enim, comparativa aliis, quam ablativo, interdum iungi casibus: ut Sallustius: *Nulla arte cuiquam inferior*. ex quo, inquit, indocte Valla Hieronymum reprehendit: *Horum autem maior est caritas*; id est, *ex his tribus*. Sed nolumus vicem maledictorum Volaterrano reddere, quippe Christianum non sit, retaliare iniuriam: illo uno contenti erimus, si dixerimus, huiusmodi orationes esse improprias aut parum Latinas. Formatione etiam fit abusio, quum substantiva & pronomina comparantur: ut, *Neronior, senior, iunior, ipsior*, unde etiam *ipsissimus*. Significatione, quum tantum significant, quantum positivum suum: ut, *senior* pro *senex*; vel minus: ut, *tristior*, parum tristis; vel contrarium: ut, *dulcior*, id est, minus amarus: ut, *mare Ponticum dulcius est, quam cetera maria*, id est, *minus-amarum*. Porro autem comparatio omnis fit modis quinque. Aut ad plures eiusdem generis, ubi superlativo tantum uti licet, modo sint tres gradus: ut, *Cicero est Latinorum eloquentissimus*. Aut ab uno ad plures alterius generis, ubi comparativo tum locus est: ut, *homo est fortior leonibus*. Aut ab uno ad alterum per genitivum utrumque significantem:

&

& tunc comparativo utimur genitivum exigenti: ut, *manuum dextera est fortior*. Aut a pluribus ad plures: hic rursus comparativo utendum est: ut, *Graeci doctiores fuerunt Romanis*. Aut a pluribus ad unum: ut, *nos sumus te doctiores*.

Haecenus comparativo laxamus habenas, & proprio uti iure permittimus. Sed non ab re fuerit, si antequam longius progrediamur, comparativi finitionem exposuerim, quam ad hunc modum tradit Antonius Nebrissensis. *Comparativum* nomen est, quod cum intellectu positivi, vel aliquo participi sensus positivi, significat, quantum positivum & hoc adverbium *magis*: ut, *albior*, id est, *magis albus*. Praeclare mehercle Antonius: nam omnem vim & naturam comparativi tribus verbis explicavit. *Comparativum enim intellectum positivi & adverbium magis in se continet*; vel aliquid, quod positivi imaginem nobis praestet cum eodem adverbio: quemadmodum sunt *verbum, adverbium & praepositio*, quae positivi vicem gerunt. Nec est quod dictione illa *participi sensus positivi* intelligas, participium innui ac subindicari, ut grammatici indocti dicunt: quasi vero a participio traheretur comparativum. Rationem autem, qua compellimur a participio comparativum non formare, hanc esse puto, quod comparativum regit omnem casum sui positivi, unde si ab eo, quod est *amans Deum*, derivaretur; liceret utique

que dicere, *sum amantior Deum*: atqui istud negant docti omnes; sed potius, *sum amantior Dei*: igitur constat comparativum non a participio formari, sed ab eo quod est, *amans Dei*, id est, a nomine: ut, Ovidius: *Non illo melior quisquam, nec amantior aequi Vir fuit: aut illa reverentior ulla deorum*. Ad haec autem non uno eodemque modo a Latinis usquequaque comparativum usurpatur; sed varie ac diversis modis: nam modo capitur mere *adiective*, si regimen dimoveas: ut, *homo doctior*: modo *positive*, quum positivi casu tantum gaudet: ut, *aptior bello, quam paci*: modo *partitive*, dum genitivum plurativum exigit: ut, *Aiacum fortior fuit Telamonius*: modo *comparative*, quum ablativo, velut proprio casu, decoratur: ut, *Cicero eloquentior fuit Caio Hortensio*. Comparativum rursus varie lateque constructur cum genitivo *partitive*: ut, *manuum dexterae est fortior*: cum casu positivi: ut, *doctior pilae, quam Grammaticae*: cum nominativo, interposita particula *quam*: ut, *ingeniosior sum quam tu*. Qui tamen non semper post comparativum sequitur cum particula *quam*. Primum, quum inter duo fit comparatio: ut, *manuum aptior dexterae*; & non *quam manus*: deinde cum *qui, quae, quod, vel* negativa dictio regitur a comparativo: ut, *Pompeius, quo Caesar fuit felicitior, vicit multos reges*; & non *quam qui*: & *nullo homine sis peior*; & non *quam nullus*; nisi quum sic dicimus: *longe equidem sunt maiora ani-*

animalia, quae in aquis degunt, quam quae in terris. & hoc, quia ante *quae* subauditur *ea vel illa*: Marcus Tullius in Epistolis: *Quum leviora non multo essent, quae audirentur, quam quae viderentur*, id est, *quam ea, quae viderentur*: cum ablativo ratione comparationis: ut, *Gellius venustior est Macrobio*: cum ablativo item ratione excessus: ut, *triplo & quadruplo sum doctior te*; *quamvis tribus digitis sis me maior*. Postremo cum his ablativis *aequo, iusto, opinione, fide, solito, dicto*: ut, *doctior solito est Petrus*. Solet praeterea exponi nomen comparativum per positivum cum adverbis *magis & quam*: ut, *iustior*, id est, *magis iustus*. Adde etiam, *pervalidius & fortius*, ne Vallae auctoritatem subterfugere videamur. Atqui putamus illud quoque ex usu tuo fore, iuvenis studiose, si te simul admonuerimus, inveniri quaedam nomina significatione comparativa, intellectu diminutiva: ut, *grandiusculus, maiusculus, meliusculus*: nec hinc protinus colligas, *senior & iunior* comparativa quoque esse per imminutionem, ut Servio olim placuit. Nam non committam utriquam, ut haec nomina *grandiusculus, maiusculus* comparativa per imminutionem appellem, quod nec ipse Diomedes, a quo eadem mutuatus sum, concedit: nulla etenim istiusmodi inveniuntur comparativa, auctore Valla, si ad vim nominis comparativi respiciamus, cuius natura est, superare in qualitate, quam obtinet positivus: quae

superatio quoties incolumis est, non potest tunc dicere, factam esse per diminutionem. Ponamus exemplum huic rei simillimum: *antiquior te ego sum*, id est, *maior te natu sum*. Item: *adolescentior te ego sum*, id est, *minor te natu sum*: ita, *iunior te sum*, id est, *minoris aetatis, quam tu*, videlicet, *supero te parvitate aetatis*. Praeterea hoc uno comparativis finem imponimus: quod sunt comparativa fictitia, quae per *magis* sive *minus* ab auctoribus fiunt: etiam ab his sunt positivis, quae legitima faciunt comparativa: idque fere ab idoneis scriptoribus usurpari comperitur, aut *euphoniae*, aut *varietatis gratia*. Quintilianus lib. 12. *In omnibus gentibus alius alio facundior habetur, & in eloquendo dulcis magis.*

SCHOLIA

In nomina Superlativa.

(* NON aliunde commodius superlativi tractationem aggredi poterimus, quam ab eius finitione, quae paucis omnem vim & naturam huiusce nominis nobis explicabit. *) Nomen *superlativum* est, quod ad plures sui generis comparatum, omnibus superponitur: vel per se prolatum, significat quantum positivum & hoc adverbium *valde*. Ex qua quidem finitione bifariam posse in oratione superlativum constitui colligimus: aut comparative, quando fit

com-

comparatio ad plures eiusdem generis, dum sint tres gradus, & regit genitivum pluralem ratione comparationis: ut, *Marcus Varro doctissimus fuit Romanorum*: aut ponitur absolute, hoc est, quod nec exigit casum in oratione, nec comparationem nobis significat: idque nobis indicatur a Nebrissensi per fragmentum illud finitionis, *vel per se prolatum*. Superlativi autem vis ea est, ut quoties superlative capiatur, tres gradus complecti debeat; alioqui non utendum erit superlativo, sed comparativo. unde si inter plura vascula, aut plura navigia, ad unam magnitudinem facta, aliquod sit longe capacius & grandius, non recte dicas: *hoc est omnium maximum*; sed *hoc est his maius*: itaque numquam citra tertium numerum fit superlatio: necesse est enim, ubi est superlatio, ibi sit & comparatio; ut aliquid sit maius aliquo, & iterum alterum maius hoc, quod erit iam maximum omnium: ut, *in Troianis aliqui fortes, & his alii fortiores: atque ex his alii, qui vocantur fortissimi*. Hoc quum ita sit, nescio quaenam fuerit opinio ista Aldi Manutii, viri quidem (nec nego) doctissimi, contra ingeniosissimum Vallam obfirmate contendendi comparativa posse ad plures sui generis referri, quum inter comparativum & superlativum hoc intersit, ut comparativum inter duo sit, superlativum inter plura, si modo tria sint imparia. Quod si una aut altera auctoritate Aldus Ma-

Bb

nu-

nutius Vallae contra nitatur, contemnendus profecto erit, longeque cum suis auctoritatibus ablegandus, ut qui poetas tantum citet, a quibus (auctore Fabio) non est semper petenda auctoritas. Perottus autem Sipontinus (praestabilis homo scientiae) observate curioseque hanc Vallae differentiam animadvertit, quam mirum in modum probavit; tantum abest, ut inscite aut maligne vellicaret. *Quoties*, inquit, *comparatio fit apud Graecos ad unum sui generis, comparativo utuntur; quoties vero ad plures sui generis, superlativo: in quo nos cum illis convenimus.* Et hoc ab eis dictum est, ut sensum comparativi a sensu superlativi distinguerent: qui utrique, hoc est, comparativo & superlativo genitivum tribuunt, quum careant ablativo. Apud nos vero illa ambiguitas non est, qui comparativo ablativum damus, sive ad unum, sive ad plura diversi generis referatur. Tamen illa Graecorum ratio tanti est momenti, ut iam Latini, ad formam Graecae constructionis, comparativo genitivum addiderint utique inter duo: sic, *Aiacum fortior fuit Telamonius*: si tres fuissent Aiaces non *fortior*; sed *fortissimus* diceremus. Et Horatius in *Arte Poetica*: *O maior iuvenum*, ad duos enim Pisones, filios Lucii Calpurnii Pisonis scribebat. Comparativum igitur inter duo ponitur; superlativum inter plura. Quod manifestissime ostendit Cicero, quum ait in *Pisonem*: *Me*

aedi-

aedilem priorem, praetorem primum: quippe aediles duo tantum erant, sicut duo censores & duo consules. Satis esse potuit nudum Vallae praeceptum dixisse, sed propter agrestes quoque & indomitos certatores, qui nisi vel rationibus vel auctoritatibus adhibitis non comprimuntur, longius aequo producti sumus: nam non magnifice mihi illi artium professores probantur, qui omnia nuda & concisa, semotis procul rationibus & orationis nitore, velint tradere. Monitore enim Fabio Quintiliano, nec quid studiosi requirant, etiam si quid erit, quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non est omitendum. sed ad rem.

Nomen superlativum quatuor modis a grammaticis usurpatur. Primo *adiective*: ut, *doctissimi viri sic praeceperant*. Deinde *positive*, quum casum tantum positivi exigit: ut, *Grammaticae peritissimus fuit Antonius*. Tertio *substantive*: ut, *frigidissimum hominis est cerebrum*. Postremo *superlative*: ut, *Antonius Hispanorum fuit doctissimus*. Hinc illud liquido constat, tripliciter superlativum posse construi. In primis cum casu positivi: ut, *Grammaticae doctissimus bello aptissimus*. Mox cum genitivo tantum numeri pluralis: ut, *Erasmus fuit Latinorum eloquentissimus*. Deinde cum genitivo singulari nominis collectivi: ut, *fortissimus gentis Danaum: doctissimus plebis*. Cavendum est praeterea, ne comparationes fingamus

Bb 2

prae-

praelicenter. nam nimis opicus & agrestis esset, qui ad hunc modum loqueretur: *Tigris est luporum velocissima*: huius rei caussa est, quia quum superlativum redoleat naturam partitionis, in qua semper pars trahitur a toto, quod esse debet cum parte eiusdem generis vel speciei, sequeretur tigram eiusdem speciei cum lupo, quod est falsum: aut sic, *haec est pulcherrima suarum sororum*, quia sequeretur, hanc se esse pulchriorem. Rursus superlativum exponi potest tribus modis; aut per positivum & hoc adverbium *valde*: ut, *Antonius est doctissimus*, id est, *valde doctus*; aut per comparativum ipsiusmet & relativum diversitatis: ut, *Budaeus est Gallorum doctissimus*, id est, *ceteris Gallis doctior*; aut per positivum (quod adlubescit magis) & adverbium *maxime*: ut, *Vives est Valentinorum eloquentissimus*, id est, *maxime eloquens*. Item istae orationes: *iunior es magistratu*, aut, *maiorem vestem adfers corpore tuo*, non possunt dici; sed ita dices, *iunior es, quam ut magistratum geras*: aut *maiorem vestem geris, quam pro corpore*. Formantur autem superlativa a primo casu desinente in *i*, addita *s* & *simus*: ut, *docti, doctissimus*. A nominibus vero desinentibus in *er* & *ur*, formantur superlativa a nominativo addita *rimus*, ut *pulcher, pulcherrimus, matur, maturrimus; vetus item veterrimus facit*. Sunt & nonnulla anomala, quae partim ex his, quae in comparativis di-

diximus est invenire, partim ex non legitima formatione deprehendes. Frequentissime autem terminationes relativorum sunt octo, *limus, ximus, rimus, simus, nimus*. Porro comparativum & superlativum quinque modis differunt. Primum *significatione*, quia uberiore sensu & ampliore praeceminet significatione superlativum; etsi aliquando usuveniat comparativo superari, dum superlativo postponitur: ut, *Vives est Latinorum eloquentissimus; at Erasmus est eloquentior*. Deinde *comparatione*: nam comparativum ad unum sui generis, aut ad plures alieni refertur; superlativum vero eiusdem generis vel speciei. Mox *construptione*: comparativum enim ablativum, ut diximus, ratione comparisonis construit. atqui superlativum uno insignitur genitivo, eodemque plurativo in orationis serie. Praeterea *expositione*: comparativum namque per positivum & adverbium *magis* exponitur; at superlativum per positivum & adverbium *maxime*. adde aliquando per adverbium *valde*. Postremo *resolutione*: nam superlativum per comparativum licet haud invenuste explicari, at non e contrario. Iam res ipsa videtur exposcere, ut de adverbiiis, quae cum gradibus iungantur, dicamus. (* nam eo producti sumus in eorum tractatione, ut ingratos admodum Misis futuros nos existimemus, si verbum amplius addiderimus. *) Proinde sic habe. Positiva, auctore Erasmo, augentur compositione harum

rum dictionum *perquam*, *prae*: *perdifficile*, *perquam difficile*, *praelongus*, *praevalidus*. Idem contingit in verbis: *perquam velim*, *percupio*. Praeterea his adverbis positiva intenduntur, *oppido quam*, *sane quam*, *nimis quam*: atque haec non repudiantur & a verbis: *perquam velim*, *perquam cupio*, *sane quam*. Item adverbia illa omnia *epitasis* significantia, *admodum*, *valde*, *egregie*, *insigniter*, *insignite*, *magnopere*, *maximopere*, *summopere*, *tantopere* & *quantopere*, figurate, *adeo* (pro *valde*) *maiolem in modum*, *mirum in modum*, *supra modum*, *praeter modum*, *singulariter*, *unice*, *eximie*, *impendio*, *impense*, *effuse*: atque alia innumeraabilia. *plusquam* item vim augendi obtinet, cui finitimum est *non tantum*: ut, *homo non tantum vino temulentior*. Minuitur e regione positivus; sed non tam adverbis quidem, quam praepositionibus: ut, *subtristis*, *subrusticus*: minuitur & adverbis appositis: *non nimis molestum est*, *utcumque iucundum est*. Comparativum peculiariter his adverbis amplificatur, *longe*, *multo*, *nimio*, *in infinitum*, *in inmensum*, *in finitibus*, *multis partibus*: *Erasmus est doctior Despauterio*. *Tanto & quanto* figurate idem efficiunt: *tanto corpore praestantior est animus*, id est, *multo*. *Papae!* *quanto satius est amicis*, *quam pecuniis abundare*. Minuitur e regione comparativum his adverbis, *paulo*, *aliquanto*, *nihilo*, *minimo*, *quantulo*, figurate, *tantillo*: *Gellius venustior est*, *quam Macrobius*. Super-

perlativum eisdem fere augetur adverbis, quibus comparativum: ut, *tanto & quanto*, *multo & longe* pro *valde*, & *facile* pro *non dubie*: ut & *ita*, *Tam*, & *quam* superlativo frequentissime iunguntur. Amant etiam iungi cum *alius*, *aliter*, *secus*, *ante*, *post*, & ceteris, quae superlationem quamdam significant, quaeque diversitatem: ut, *praecipuus*, *dissimilis*, *alienus*, ut docet Laurentius Valla. nec fuerit necesse citare maiorem auctorem, ut fidelem faceremus. Praedictis gradibus potest nomen *quisque* iungi. Primum positivo, ex quo non licet formare comparativum aut superlativum: ut, *idoneus quisque*, *pius quisque*, aut sic per numerale: *tertio quoque die*, *quarto quoque mense*; aut per nomen *quotus*, idque interrogative: ut, *quotus quisque istud fecisset?* Deinde positivo adhibitis illis particulis *eo* & *quo*: ut, *quo quisque ditior est*, *eo avarior*. Postremo superlativo, cui semper postponitur: ut, *sapientissimus quisque*. quod in adverbis superlativis non semper observatum animadverti. Neque est praetereundum silentio, particulam *quam* superlativo tantum iungi, dum significationem huius adverbii *valde* gerit, quae (si Laurentio credimus) superlativo iuncta, regimen respicit. Nec enim recte dixeris: *Zazius est quam doctissimus iuris peritorum*; sed *quam doctissimus*. Atqui si dictionem *quantum* nobis repraesentet, positivo iungitur: ut, *quam morosi sunt*, *qui amant*, id est,

est, *quantum*. Cum his autem verbis *possum*, *valeo*, *queo*, superlativo iungatur pro *quantum*: ut, *dicam quam brevissime potero*. Hinc plane constat, recte dici non posse *perdoctus*, *perdoctior*, *perdoctissimus*: *quam per* nec iungitur comparativo, nec superlativo, sicut *quam* pro *valde* numquam positivo iungitur, nisi post *per*: ut *perquam doctus*; post *oppido*, *sane*, *admodum*: ut, *oppido quam eruditus*, *sane quam pulcher*, *admodum quam elegans*.

(* Haec felicius ac copiosius multo ex Laurentio Valla & Erasmo subducere poteris. Nec enim nos latet, quam celeri & inaequabili filo centones istos consuerimus, finem alioqui facturi numquam, si hinc indelectos centones tereti & mire candido contexere laboraremus. *)

S C H O L I A

In nomina Relativa.

(* **P**leraque sunt nomina, quibus vulgo utimur. Neque tamen liquido scimus, quid ea proprie, atque vere significant. Sed incompetam & vulgariam traditionem rei non exploratae sequuti videmur magis dicere quod volumus, quam dicimus. Neque id solum usuvenit, ut Gellius refert, in his quae disuetudo a nobis alienavit; sed in his etiam, quae in sermonibus celebria atque obvia sunt, quod quum
hoc

hoc in plerisque nominibus saepe accidat, tum maxime quidem in relativis appellationibus, quae quam multa sunt, & frequentia in grammaticorum sermonibus, tam a paucis sane intellecta, periculo facto, deprehendes. Hoc porro non sic te accipere vellem, ut tractatores horum nominum, viros alioqui haud sane indoctos, neque ignobiles, tamquam in re varia & multiplici parum fuisse eloquutos, aut materiae destinatae prorsus exstitisse ignaros me sentire putes. Nam pleraque, lepide mehercle & scite, de relativis appellationibus ab Aldo Manutio & Iacobo Spirensi tradita negari non potest, a quibus bonam huius nostrae de relativis tractationis partem me accepisse ingenue fateor. Sed vulgus istud potius grammaticorum imperitum carpo, quod quum veram ac germanam vocabulorum significationem numquam calluerint, non verentur tamen, proh nefas! quam non intelligunt scientiam, profiteri. Proinde, qua poterimus industria & diligentia, dabimus operam, ne quod in opicis istis & agrestibus hominibus notamus, nobis aliquando dari vitio possit. Idque tum optime fieri putavimus, si quidquid de relativis praeceperimus, rationibus & excellentium virorum auctoritatibus confirmaverimus. Atque, ne multis te morer, candidate litterarum puer, hoc dictum in primis tolle memor: *)

Relativa alia sunt dialecta, alia grammatica. Re-

Cc

la-

lativa enim dialecta substantiva sunt: ut *pater* & *filius*: *dominus* & *servus*. Relativa vero grammatica adiectiva potius habentur, qualia sunt *quis* vel *qui*, *alius*, *alia*, *aliud*, & id genus multa. De relativo dialecto dialectici disserant: nostra autem intererit de relativo grammatico tractare. quod sic a grammaticis finitur: *Relativum* est quod rem ante dictam refert: hoc in relativum substantiae & accidentis distribuitur. Substantiae illud est, quod refert antecedens substantivum. Accidentis vero, quod antecedens adiectivum meminit. Relativum rursus substantiae in duas prolabitur partes, hoc est, in substantiam similitudinis, & diversitatis. Relativum substantiae similitudinis idem cum suo refert antecedente. Huius generis sunt, *qui*, *quae*, *quod*, *suus*, *sua*, *suum*, *ipse*, *sui*, *ille*, *idem*; ut, *Plato qui fuit doctissimus suae ipsius aetatis philosophorum, docuit Aristotelem: & is idem Socratis discipulus fuit*. Relativum diversitatis est, quod refert antecedens diversum a consequente, cum quo concordat, sed sub eodem genere vel specie; quamvis enim discordet ab antecedente, tamen eiusdem esse vel generis vel speciei cum consequente refert. Nam si dico: *amo laurum. & ceteras arbores*, significo quidem *laurum* esse arborem, sed diversam a ceteris arboribus: non enim idem *laurus*, quod ceterae arbores. Item, *placet mihi accipenser & alii pisces*: ostendo quidem acci-

accipenserem esse piscem; sed differre a ceteris specie. Nec dicas igitur, *Iudaei, crucifixerunt Christum inter duos alios latrones*: quia sic loquens diceres, Christum fuisse latronem. Cave igitur ne decipiaris in huiusmodi relativis substantiae diversitatis, nec unquam eis utaris, nisi antecedens eiusdem esse generis vel speciei cum eo, quod consequitur, velis ostendere. Atqui relativa haec substantiae diversitatis sunt *alius*, *alter*, *reliquus*, & *cetera*, *ceterum*. Nam *ceter* vel *ceterus* non memini me legisse. Considerandum praeterea est, relativum accidentis in nullo accidente cum antecedente congruere, sed cum consequente potius concordare in numero & in genere & in casu: ut, *Polyphemus erat altus, quanta est turris Hispalensis*. Relativum vero substantiae in duobus cum antecedente concordat, in numero & in genere, praeter *suus*, *sua*, *suum*, & relativa substantiae diversitatis, quae cum consequente concordant, quemadmodum ea, quae sunt accidentis: ut, *cliens rogat patronum causam suam*. Antecedens huius relativi *suam* est *cliens*, & tamen congruit cum substantivo sequente, quod est *causam*, in numero, casu & genere. Sallustius: *leones & alias feras*: antecedens huius relativi *alias* est *leones*, & congruit cum *feras*: ex quo infertur leonem esse feram. Sic apud Virgilium: *Tunc casia, atque aliis intexens suavibus herbis*: infertur *casiam* esse herbam.

bam. Est & illud etiam observatione dignum, *qui, quae, quod* non semper cum antecedente convenire: quoties enim inter duo substantiva ponitur, quorum sequens sit proprium nomen, sequenti (ut Serrivius docet) accommodatur: ut apud Sallustium: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur; & in sacra Pagina: Semini tuo, qui est Christus.* Si vero consequens fuerit appellativum nomen, potest tam cum consequente, quam cum antecedente congruere: ut, *Rosa, quae vel qui est flos candidissimus, mihi admodum placet.* Marcus Tullius: *Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur: iisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera & stellas vocatis.* Sed invenitur etiam antecedenti respondere relativum, quando sequens substantivum sit proprium nomen: Val. Maximus: *Ante senatus adsiduam stationem eo loci peragebat, qui hodie coenaculum appellatur.* Tullius. 2. Rhet. ad Her. *Argumentationes, quas Graeci enthymemata appellant.* Ceterum de his fortasse plura in calce Scholiorum in relativa, qui unus mihi locus tractandis nominum concordantiis, velut huic negotio magis appositus, est destinatus.

Nunc de relativis accidentis dicendum est, qualia sunt quae sequuntur, *qualis, quantus, quot, quotus, quotennis, quotennus, quotuplus, quotuplex, cuius,*

ius, cuius. Sed *quotuplus* numquam Aldus se legisse recordatur: *quotuplex* tamen perquam raro. Porro autem relativum *qualis* habet antecedentia *bonus, malus, sapiens, demens, stultus, intelligens, doctus, indoctus, pulcher, turpis, albus, niger, & cetera* significantia qualitatem: ut, *virtutem, vitium, colorem & similia*: ut, *Tui crines sunt nigri; quales sunt pennae corvorum: tui crines sunt nigri, qualia Aethiopicorum corpora*: eius relativum est *talis*. *Quantus* habet antecedentia *magnus, parvus, longus, brevis, latus, angustus, altus, profundus, & id genus cetera*: ut, *Formica est parva, quantus est culex.* eius redditivum est *tantus*. *Quot* habet antecedentia *duo, tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem, decem, viginti, centum, mille, & reliqua numeralia.* eius redditivum est *tot*. dicimus & *totidem*. *Quotus* habet antecedentia *primus, secundus, tertius, quartus, quintus, decimus, quinquagesimus, centesimus, millesimus*: ut, *Tu es primus in hac urbe, quotus ego domi meae.* Ponitur etiam *quotus* pro *quot*: Martialis: *Dic quotus es, quanti cupias coenare, pro quot estis.* Sed proprie ordinem refert, quod indicant nomina ordinem significantia, per quae respondemus interroganti: ut, *quota hora est? prima, aut secunda, aut tertia*: sic igitur respondeamus necesse est. Quare si haec nomina praecesserint, licet ea referre per *quotus*: ut, *Eo cubitum hora tertia, quota vadis tu.*

Nam

Nam quemadmodum ei, qui dixerit, *quotum annum agebat Cato, quando Graecas discebat litteras?* licet respondere, *sexagesimum, & per huiusmodi nomina*; sic etiam licere arbitror ex contrario haec eadem nomina per *quotus* referre sic: *Incipio hieme lucubrare ab hora octava, quota Plinius Secundus, quum tardissime surgeret cubitu, incipiebat: non tamen etiam sexta, quota ille saepe; incipiebat autem lucubrare a Vulcanalibus.* Haecenus & quidem pulchre Aldus Manutius. Sed his non gravabor etiam addere, quod apud Hadrianum scite admodum & diligenter adnotatum de natura huius particulae inveni. *Quotus*, inquit, quandoque simpliciter interrogat, & numerum petit: ut, *quota hora est? dic quotus esse velis? quotus erit iste denarius?* Horatius, *quota hora est?* Idem, *Tu quotus esse velis, rescribe.* Cicero in Verrem: *Quotus erit iste denarius, qui non sit deserendus?* & quandoque sine interrogatione: ut, *quota pars ex eo deducetur, ea pars tibi sit profutura.* Quandoque *quota pars* significat minimam partem: ut Ovidius: *Exstet in Atridis pars quota laudis erat.* Idem. *Qui quota terris pars solet esse mei.* Quandoque *quotus* iungitur cum quisque interrogative: ut, *quisque bonus est? quotus quisque est, qui teneat artem numerorum?* quasi dicat nullus aut rarus. *Quotennus*, quo usus est Tullius ad Atticum, dicens: *In ripa nescio quotennorum iugerum, ha-*
bet

bet antecedentia *singuli, bini, terni* vel *trini, quaterni* vel *quatrini, quini, seni, septeni, octoni, noveni, deni, biseni, quinquageni, centum, milleni.* Est autem *quatennus* relativum divisum in pares numeros: ut, *boves bini & quaterni trahunt aratrum, quotenni equi carrucam.* Vtimur etiam his nominibus sic: *Julius Caesar legavit viritim trecentos sextertios*, ait Tranquillus, hoc est, *trecentos viris singulis*; *Augustus vero cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecentos nummos*: hoc est, *singulis quingentos & trecentos.* Nam si dixisset: *Legavit populo trecento sextertios*, tantum *trecentos* toti populo esse legatos intelligeremus: sed quia *trecentos* dixit singulis, *trecentos* significabit legatos. Item: *viri sobrii ac modesti, quum discumbunt, bibunt ad summum trinos cyathos vini*, hoc est, *tres singuli.* Praeterea nomina, quae tantum in numero multitudinis declinantur, his nominibus iunguntur: ut, *dedi ad te binas, aut quaternas litteras, quum tu unas tantum miseris*, pro *duas* aut *tres* aut *quatuor* epistolas: sic *binas aedes, ternas nuptias*, pro *duas domos, tria connubia* dicendo. *Quotuplus* habet antecedentia *simplus, duplus, triplus, quadruplus, centuplus*: ut, *si dedisti obolium mendico propter Deum, accipies centuplum: quotuplum non accipies, si pro te impendisti.* Sed hunc postremum dicendi modum ego cum Aldo non meminini legere, nec puto inveniri apud illustres auctores. *Quotuplex*
ha-

habet antecedentia *duplex, quadruplex*: ut, *habeo triplicem vestem* (id est, trium generum) *quotuplex non est tibi*. Sed nec hoc apud illustres se legisse Aldus fatetur. *Cuius, cuia, cuium* habet antecedentia nomina, vel pronomina possessiva, vel genitivos substantivorum: ut, *Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? Aeneium? vel meum? vel Aegonis? Cuia est haec domus? tua? aut reipublicae? vel Herculea? Cuium putas fuisse hunc ensem, Hectorum? vel Hectoris? vel tuum?* sed sic non sunt relativa, sed interrogativa. Essent autem relativa, si sic diceres: *hic ager est meus, vel Caesaris, cuia est ancilla*. hic & haec *cuia* & hoc *cuias* habet antecedentia nomina patriae: ut, *Romanus, Valentinus, Hispalensis*, vel gentis: ut, *Castellanus, Italus, Gallus*: ut, *sum Romanus, cuiates erant Catones, & Latinus, cuias fuit Marcus Tullius*. Ponuntur autem praedicta nomina multis modis in oratione: sed frequenter tribus, interrogative: *Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? & Quod genus hoc hominum?* Relative: ut, *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates Classe veho mecum, fama super aethera notus*. Infinite: ut, *qui sint veri amici plane ignoro, & sic qualis, & cetera relativa accidentia*. Hoc ad extremum advertendum est, neminem quemquam dixisse *animal quid, & Virgilius quis*; quia *quis & quid* numquam relative, sed vel infinite, vel interrogative ponuntur.

DE

De Interrogativis.

NON ab re erit paucula de *interrogativis* nominibus hoc loco differere, quando nihil arti grammaticae alienum putamus, sine quo fieri non posse grammaticum fatendum est. (* Nec cum huiusmodi expositionis genere, quale nos aggressi sumus, nimis pugnat, quum interrogativa ipsa relativis nominibus valde adfinia sint. *) Igitur *interrogativum* est, finitore Aldo, quod rei dubiae, aut tamquam dubiae postulativum est. Hoc in duas partes dividitur: *interrogativum substantiae & interrogativum accidentis*. Interrogativa *substantiae* sunt *qui, quae, quod, & quid, & uter*. Interrogativa *accidentis* sunt *qualis, quantus, quot, quotus, & cetera relativa accidentis*. Inter *quis & uter* haec est differentia: quod, si duo fuerint, dices *quis* vel *uter*, tuo arbitratu: ut, *quis* vel *uter oculorum tuorum melius videt*. Si vero plures, *quis* tantum: ut, *quis ex tuis digitis est longior?* non etiam *uter*. Facit etiam hoc ad interrogativorum concinnitatem & venerem, ut per eundem casum respondere oporteat, per quem interrogatio facta fuerit, ut: *Quam puellam amavit Achilles in Troia provincia? Polyxenam. Quis tibi videor? aequè miser atque ego. Cui invidebat Trhaso miles? Phaedriae rivali. A quo amata fuit Galatea? ab Aci & Cyclo-*

Dd

clo-

clope. Quarum rerum non est umquam sacietas? divinarum. interdum tamen non licet respondere per eundem casum: ut si roges: *quotennis es?* respondeas potius *centum annorum*, quam *centennis*, quod nusquam legitur. Item: *quanti emtae?* *parvo*; & *cuium pecus?* *Aegonis* aut *Philondae*: cuius dicis esse hos libros? meos.

De Distributivis.

POST interrogativa visum etiam mihi fuit de *distributivis* & *partivis* nonnihil dicere; partim, ut in omnibus, quae ad relativa spectant, Aldi vestigia sequar: partim, quod videam horum etiam nominum tractationem oppido quam iucundam, ac non minus utilem addiscentibus fore. Itaque *distributivum* nomen est, quod est *distributionis* nota seu signum: atque in duas distribuitur partes, in *affirmativum* & *negativum*; & sunt haec, *quisque*, *ambo*. Adfirmant *quicumque* atque *omnis*, *uterque*; *nullus*, *nemo* negant. etiam coniungito *neuter*. Construuntur autem cum genitivo pluralis, vel ablativo vel accusativo cum praepositione: ut, *nullus discipulorum*, vel *ex discipulis*, vel *inter discipulos legit*. Dicimus etiam *nullus discipulus*: sic *uterque parentum* & *uterque parens*.

DE

De Partitivis.

Partitivum nomen est, quod partem trahit a toto, cum quo partitur, & cum eo debet in genere concordare: ut, *hominum aliquis*: *alieni appetens*: *aliquis sui profusus*: & sunt haec *quilibet* & *quidam*, *aliquis*, *quicumque*, *alius*, *quis*, *alter*, *uter*. numeralia, ut *unus*. In partitione debent esse tria, *pars*, *totum*, & quod pars regat totum: ut, *litterarum tuarum unae sunt eloquentiae*, *alterae humanitatis & amoris plenae*. Fit etiam partitio per *prolepsim*, de qua in figuris alias fortasse multa. *Quilibet* (velint, nolint sophistae) non idem quod *omnis* sive *cunctus*, significat, sed unumquemvis de multis, nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, sed quidvis perpeti patiar, modo vos, iuvenes studiosi, ne decipiamini. Quid enim non discriminis subeundum est, ut cum lacte nutricis (quod aiunt) errorem etiam pueri ignari non sugant: proinde quoties dialectici offenderint huiusmodi orationes: *accipe quemlibet horum librorum*, exponant sic mea sententia, ac non quidem mea tantum, sed eruditorum omnium; sive rhetores exigas, sive dialecticos requiras, id est, *unumquemvis*; & non *quemque*: etiam si fatendum sit a poetis pro *omnis* aliquando usurpari. Ovidius: *Pollicitis dives quilibet esse potest, qui-*

Dd 2

li-

libet, id est, *unusquisque*, sed proprie particularis est dictio. Hinc hoc unum colligimus contra dialecticos aetatis nostrae, has duas dictiones *quilibet* & *nullus* non esse contrarias; sed *omnis* & *nullus*.

SCHOLIA

In Diminutiva.

D*iminutivum* nomen est illud, quod primitivi significationem habet extenuatam & pressam, ut *regulus*, qui regem plane significat; tenuem illum quidem & minutum nobis repraesentat. quae una (mercede) res facit, ut rite diminutiva formentur, si genus & inclinatio fuerint: quippe, si significatio primitivi adfuerit diminuta, nec res ipsa principalis contractior fuerit, diminutivum appellari non meretur. Servant autem ut in plurimum nomina diminutiva tria, genus primitivi, significationem cum accessione imminutionis, & formam. Genus servant *hic pisciculus*, *haec avicula*, *hoc vasculum*, a primitivis *hic piscis*, *haec avis*, *hoc vas*. Genus autem non servant *pulvisculum* a *pulvere*, *ranunculus* a *rana*, *curriculum* a *curru*: quae tamen vera sunt diminutiva, quia significationem servant; cuius defectu, auctore Valla, haec diminutiva non sunt, *avunculus*, *cuniculus*, *musculus*, *pediculus*, *cuculus*, *ciceracula*, *novacula*, *lenticula*, *acicula*, *aniculus*, *rediculus*.

culus, *vernaculus*, longe enim alia significant, atque primitiva unde trahuntur, aut formari potius videntur. Quae formationem non servant, plura sunt, quam ut hic referre liceat, quae tam varia ac multiplex est, ut nemo sit, qui certa formationis lege, ut belle inquit Nebrissensis, haec nomina comprehendere possit: quippe quae in varias terminationes exeunt. Nam alia in *ulus*, *ula*, *ulum*: ut, *frater*, *fraterculus*, *soror*, *sororcula*, *munus*, *munusculum*; alia in *io*: ut, *homo*, *homuncio*, *senex*, *senecio*; alia in *olus*: ut, *Sergius*, *Sergiolus*; alia in *ellus*: ut, *tener*, *tenellus*, *a*, *um*; alia in *illus*: ut, *tantus*, *a*, *um*, *tantillus*, *a*, *um*; alia in *leus*: ut, *equus*, *equuleus*; alia in *iscus*: ut, *pan*, *paniscus*; alia in *aster*, *astra*, *astrum*: ut, *pinus*, *pinaster*, *filiola*, *filiastra*, *apium*, *apiastrum*. Quamquam Valla recte sentiat, nomina in *aster* nequaquam esse diminutiva: quippe quae imitationem potius significant, quam diminutionem: praeter duo haec *recalvaster*, & *surdaster*, quorum alterum significat diminutionem *surditatis*, alterum *calvitii*: atqui non est plane surdus *surdaster*, sed (ut sic dicam) *surdulus*; *recalvaster* qui fronte calvus est, non toto capite, quasi *recalvatulus*, quod est diminutivum. Cetera autem eiusdem formae non sunt diminutiva, ni (ut Valla dicit) velis, imitationem esse diminutionem quamdam perfectionis, ut alia certe

es-

essent diminutiva significationis, alia perfectionis. Liceat per me cuius diminutiva in plures species secare, & nova rerum vocabula fingere, modo rem ipsam non variet aut confundat. Nam parum quidem refert, appelles diminutiva nomina in *aster*, si exponendo nominum significationem tecum sentis, sic videlicet, ut *apiastrum*, *mentastrum*, *silicestrum* non parvam *oleam*, parvam *silicam* appelles; sed *oleam* potius, *pinum*, *apium*, *mentam*, *silicam* imitantia. Laurentius Valla, quo praeceptum hoc firmiter corroboraret, attulit Comici auctoritatem: *Est hic parasitaster parvulus*, hinc colligens *parasitaster* diminutionem non significare, quod diminutivo, scilicet *parvulus*, coniungeretur, aliter a Comico numquam committendum, ut sic loqueretur: quasi illud non frequenter fiat a praecellentibus linguae Latinae auctoribus, ut diminutivis substantivis Latine, & sine vitio superfluae inculcationis, adiungant adiectiva, exiguitatem aut diminutionem significantia. Quintilianus lib. 3. *Non est necesse per tam minutas particulas rationem dicendi concidere.* Plinius lib. 11. cap. 31. *Inde oritur vermiculus parvus.* Plautus: *Gurguliunculos minutos fabulare.* Solinus in Collectaneis: *Ut sexaginta gemmarum colores in parvo eius orbiculo deprehendantur.* Plinius lib. 11. cap. 26. *Omnium cerebro medio insunt ossicula parva.* Plinius Iunior Epistola VI. lib. 2. *Vinum etiam*

etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat. Plinius lib. 35. cap. 4. *Parvis gloriabatur tabellis.* Sunt postremo inventa diminutiva triplici de causa: aut necessitatis, ut *regulus*, ne aliud quidem nomen est, quo id muneris, sive magistratus aequae possemus explicare: aut adulationis gratia, ut *corculum*, *animula*, *filiolus*: & alia non pauca, quae adulationi apta sunt: aut contemptus causa, ut *homunculus*, *homulus*, *argutulus*, *nasutulus*. his enim uti solemus, dum quemquam per fastidium & contemptum nominamus.

SCHOLIA

In Adverbia localia.

Quatuor sunt adverbia interrogativa locorum, hoc est, *ubi* & *ubinam*, *quo* & *quorsum*, *unde* & *qua*. His omnem loci differentiam interrogando comprehendimus. Nam si de loco *in quo* quaerendum sit, appositissime utimur adverbio *ubi*, ad id officii praeter cetera cum composito *ubinam* invento, ut, *ubi est Petrus?* Si vero de loco *ad quem*, habemus adverbium *quo* & huius compositum *quorsum*: quorum partes sunt quaerere de loco *ad quem*: ut, *quo proficisceris?* Si autem de loco *a quo*, est nobis adverbium *unde*, quo de huius loci differentia percontemur: ut, *unde venis?* Si denique de lo-

loco *per quem*, iam huiusce rei usum nobis praestabit adverbium *qua*: ut, *qua iturus es*? Nunc qui debeamus percontantibus per haec adverbia respondere, strictim contingemus.

*Vt respondendum sit percontantibus per
per adverbium Vbi.*

Percontanti autem per adverbium *ubi*, bifariam respondere licet: aut aequè per adverbia, aut nomina propria locorum adverbialiter posita. Si respondere lubet per nomina propria locorum, considerandum in primis est, inclinenturne illa per primam vel secundam nominis declinationem, an per tertiam? Si per primam vel secundam, nunc in genitivo ponuntur numeri singularis, cum his etiam appellativis *militiae, belli, domi, humi, terrae, togae*: ut, *Est Salmanticae, est Toleti, est domi, est militiae*. Inde signata sunt nomina pluraliter tantum declinata, quae non in genitivo, sed ablativo potius aut dativo collocantur: ut si quaeratur, *ubi est Petrus*? optime respondebis, *est Athenis, est Parisiis*. Si vero per tertiam declinantur, ponuntur in ablativo; sive, ut Servius vult, in dativo cum appellativis: ut, *Est Hispali, est Saetabi, est Bilbili, est Carthagini vel Carthagine, est Arpinati vel Arpinato*, sed venustius per dativum. Si porro aequè per adverbia respon-

dere magis placet, querenti; *Vbi est Antonius*? sic respondebis: *hic adest Saetabi: ubi ego sum? isthic*, id est, *Lovanii: ubi tu es? illic*, id est, *Segobricae, ubi meus Laurentius Valentinus est? ubi*, id est, in loco ubi aliquis est. *Sicubi*, id est, si in aliquo loco aliquis est. Hoc, ut iam praemonui, de nominibus propriis urbium, oppidorum, pagorum: & sic de reliqui, *municipiis, sive castellis, sive vicis*, tantum praecceptum volo. Quippe si appellativa fuerint, ponentur in ablativo cum praepositione *in*: ut, *Honoratus ille Ioannius Latine & Graece doctus, est in curia Caesaris; Vives est in Germania; Budaeus in Gallia*.

*Vt respondendum sit percontantibus per
adverbium Quo.*

Percontanti per adverbium *quo*, si per nomina propria locorum respondemus, illa ponimus in ablativo cum appellativis *domus & rus*: ut si quis roget, *quo eas?* respondebis, *eo Valentiam, Saetabim, Athenas, Burgos, domum, rus*. Si autem per appellativa aequè per accusativum, sed addita praepositione *ap* vel *in* respondemus: ut, *Eo ad civitatem, ad agrum, in silvam, in nemus*: nec nego, quin praeccepta haec e contrario aliquando ab auctoribus usurpentur: ut Cicero: *Eo die Verres ad Messanam venturus erat*. ecce nunc tibi nomen proprium loci cum praepo

Ec si

sitione *in*. Suetonius in Augusto: *Quum Sanium insulam in hiberna se recepisset. Caesar: Varro quum, itinere converso, se Italiam venturum promisisset. Ecce* rursum e regione appellativum sine praepositione: sed quia haec in usu frequenti non sunt, raro etiam pueros usurpare admonuerim, dignos utique venia si quando utantur. Per adverbia respondemus *huc*, id est, *Salmanticam*, ubi ego sum: *istuc* id est, *Hispalim*, ubi tu es: *illuc*, id est, *Valentiam*, ubi aliquis est.

Quomodo respondendum sit percontantibus per adverbium Vnde.

DVm interrogatio fit per *unde*, si respondemus per nomina propria *locorum* aut *pagorum*, illa ponimus pro adverbis loci in ablativo sine praepositione cum duobus appellativis *rus* & *domus*: ut, *Vnde venis? Saetabi, Bilbili, Roma, Valentia, Hispali, rure, domo*: verum appellativis addimus respondendo praepositionem: ut, *Venio ex agro, ex silva, ex curia, de foro, de Academia*. Quod si per adverbia velis respondere, dices: *hinc venio*, id est, ab eo loco, ubi ego sum: *istinc*, id est, ab eo loco, ubi tu es: *illinc*, id est, ab eo loco, ubi aliquis est.

Quo-

Quomodo percontantibus per adverbium Qua respondendum sit.

INterroganti per adverbium *qua*, si per nomina propria *locorum* respondemus, illa aequae ponimus in ablativo, remota praepositione: ut, *Qua iturus es? iturus sum*, inquires, *Salmantica, Valentia, Caesar-augusta, Septimancis, Burgis, Tralibus, rure, domo*. Si autem per appellativa respondemus, in accusativo illa ponimus cum praepositione *per*: ut, *Iturus sum per Galliam, Italiam, Germaniam, per nemus, silvam, & per viam publicam*. Quod si per nomina respondere minus placuerit, sed per adverbia, tunc sic dices; *hac*, id est, per locum, ubi ego sum: *istac*, id est, per locum ubi tu es: *illac*, id est, per locum, ubi aliquis est.

Pulchra de nominum convenientiis.

HIC locus mihi destinatus est, ut de variis nominum *concordantiis* ageremus, & de eleganti scriptorum usu in copulandis in oratione *adiectivis* cum *substantivis*, & *relativis* cum *antecedentibus*. Sed ut commodius hoc a me tractari possit, praemitendae sunt elementariae illae praeceptiones de nominum inter se convenientiis, ut quae, praeter haec,

Ec 2

tam-

tamquam insignia & illustria postea adduxerimus, exiguo negotio cognosci possint. Tria sint in unum, quae in copulando adiectivo cum substantivo servare debet grammaticus. haec sunt *genus*, *numerus*, *casus*; quibus accidentibus debent maxime inter se *adiectivum* & *substantivum* convenire: ut, *vir bonus*. Sed contingit aliquando, nec id sine magno Latinitatis sacramento, ut magni nominis auctores adiectivum a substantivo, modo genere, modo casu, modo numero divellant. Seiungitur autem adiectivum a substantivo *genere*, his fere modis. Primum, quando adiectivum usurpat obliqui genus: Gellius. *Leaena est acerrimum animalium*. Deinde, interpositis pronomibus possessivis, non cohaeret substantivum cum adiectivo *genere*: ut, *mea unius diligentia liberata est respublica*. Mox ob figuram *synthesim*. Sallustius: *Pars in carcerem acti, pars bestiis obiecti*. Praeterea de idiomate sermonis Latini: ut, *ad quartum kalendas*. Rursum, quum adiectivum substantivatur: Cicero: *Malum mihi non videtur mors*. Postremo, quando nomina verbalia cum substantivis copulantur: ut, *vinum luctator, aurum consolator, tempus veritatis repertor*. Haec quamquam voce substantivorum imaginem repraesentent, significatione tamen adiectivorum officio funguntur.

De

De Casus discordantia.

EST praeterea inter adiectivum & substantivum *casus* seiunctio. Primum propter tacitum regimen: ut, *Huic procuratorem esse non licet*. Deinde ob peculiarem verborum accusandi constructionem: ut, *Accusa te furti, sacrilegii, & utroque*. Postremo quum pronomina possessiva intervenirent: ut, *mea ipsius diligentia*.

De Numeri discordantia.

NUmERO fit etiam inter adiectivum & substantivum velut divorcium quoddam, idque modis quinque contingit. I. Terentius: *Aperite aliquis astutum ostium*. Et illud ex eadem figura: *Pars in carcerem acti, pars bestiis obiecti*, ad primum modum pertinere dicimus. II. modo propter interposita participia *absenti* & *praesenti*. Terentius: *Nescio qui, absente nobis, turbatum est domi*. Pomponius: *Apud forum, praesente testibus, vendidisti mihi*. III. ex circumloquio infinito, participii in *rus*, in neutro genere: ut Gellius: *Aruspices dixerunt omnia ex sententia processurum*. IV. ratione pronominis *sui*, *sua*, *suum*, & *quisque*: ut, *Oculi suam uterque pupillam habent. Hirundines vere ineunte redeunt in suum*
pri-

pristinum unaquaeque nidum migrantes. V. quando genitium genitivi singularis iungitur substantivo pluralis: ut Plautus: *Nominandi tibi istorum.* Haec tenus ostendimus quemadmodum prima adiectivi convenientia in tribus accidentibus, videlicet *genere, numero & casu*, fallat multis modis: quamquam mirasit harum dictionum significatione copulatio; unde voce tantum adiectivum a substantivo auctores se creverunt: quippe duplex sit convenientia *voce* videlicet & *significatione*: haec perpetua & necessaria; illa vertibilis semper & inconstans habetur. Itaque voce contingit fieri inter adiectivum & substantivum se iunctionem, non autem significatione. Ceterum quia tantum de unius adiectivi cum uno itidem substantivo convenientia & discordantia diximus, est in animo subsequenter describere constructiones aliquot; & elegantes illustrium virorum observationes, quo variam simplicis adiectivi cum multis ac diversis substantivis convenientiam plenius cognoscamus.

De unius adiectivi cum variis substantivis convenientia. Et primum de Protozeumate adiectivali.

IN Protozeumate adiectivali possunt substantiva haud dubie animal significare: idque non tantum in toto, verum etiam in parte; & tunc sufficit adiectivum

vum

vum praecedens convenire in numero, genere & casu cum viciniore substantivo, licet cum sequente altero vel pluribus non congruat. Laurentii Vallae contra nitens auctoritas viribus caret. Suetonius in Galba: *Verum amissa uxore Lepida, duabusque ex ea filiis, remansit in caelibatu.* Martialis lib. 2. Epig. *Salva est & uxor, sarcinaeque servi.* Titus Liv. lib. 2. Decadis I. *Aegre sedata ab Quinctio plebe, multo aegrius consul alter a patribus:* Quinctilianus lib. 3: *Qualis est primus Iudaicae superstitionis auctor, & Gracchorum leges invisae.* Hic qualis etiam refertur ad *leges*, licet ore blasphemus Fabius Divinam legem suggillet. Suetonius in Caligula: *Elisi per eum tumultum viginti amplius equites, totidem matronae super innumeram turbam ceteram.* Hieron. in Mich. lib. 1. cap. 4. *Relicta nave, & patre, & fluctibus saeculi.* Rursus in protozeumate adiectivali, si substantiva nullum animal, nullamque intellectualem substantiam significant, sintque diversi generis vel numeri, potest adiectivum praecedens dupliciter poni, id est, vel cum viciniore tantum substantivo congruere, vel in plurali in neutro genere collocari. Si substantiva talia sint eiusdem generis, adiectivum neutro genere & pluraliter poni potest. Idque longe frequentius & elegantius, quam si pari genere proferretur, quod & ipsum fieri posse manifestum est, & probatione non indiget.

Vbi

Vbi adiectivum viciniore substantivo congruit.

Plinius lib. 7. cap. 37. *Vbi vero sensere venantem, contracto ore pedibusque, ac parte omni inferiore, qua raram innocuam habent lanuginem, qua volvuntur in forma pilae.* Hilarius in Psalm. 67. *Referendus ergo ab his omnibus & sensus & studium est.* Lactantius lib. 3. cap. 17. *Vario, inquit, ordine ac positione conveniunt.* Plin. lib. 12. cap. 26. *Excipitur succus, inciso caule, messibus, radice in autumnno.* Idem lib. 27. cap. 12. *Addita muria & oleo.* Plin. lib. 27. cap. 8. *Ad exinanendas alvosque mensesque mulierum.* Lactantius lib. 6. cap. 6. *Pertinent enim non ad vitam homini comparandam; sed ad quaerendas vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam.* Lactant. lib. 4. cap. 28. *Abiectis vanitatibus & errore miserabili Deum cognoscat.*

Vbi adiectivum in plurali & neutro genere positum ad substantiva diversi generis refertur.

Quintilianus lib. 3. *Proinde intuenda sexus, dignitas, aetas.* Plin. lib. 12. cap. 13. *Principalia ergo in illa thus & myrrha.* Hieron. contra Rufin. *Fuganda sunt omnibus modis & abscondenda languor a corpore imperitia ab animo, luxuria a ventre, a civitate sedi-*

ditio, a domo discordia, & in commune a cunctis rebus intemperantia. Fulgentius in Sermone de S. Stephano: *Neque enim parvi pendenda sunt talis victoriae talisque triumphus.*

Vbi adiectivum plurale & neutrum ad substantiva unius generis refertur.

Lactantius de Ira Dei: *Quum diversa & repugnantia sint ira & gratia.* Idem lib. 5. cap. 20: *Longe diversa sunt carnificina & pietas.* Idem lib. 4. cap. 4: *Quibus rebus apparet, quam inter se coniuncta sine sapientia & religio.*

De Appositione & varia eius elegantia.

Quam lepida (Deus bone!) & elegans est haec praeceptio, quam ex Iacobo Spirensi ad verbum subduximus cum tribus etiam superioribus; & eo quidem studiosius, quo addiscentibus iucundio rem fore intelligebamus. Sed ne multa, sic habet: Adiectivum, quod adiungitur substantivis diversi generis vel numeri per appositionem constructis, solet fere cum eo substantivo convenire, quod est vel maioris momenti, vel amplioris significantiae, vel magis usitatae appellationis; quamvis hoc ipsum vicinius non sit; aut etiam, quod mirabilius est, sub-

Ff

au-

audiatur. eadem quoque adiectivi constructio & substantivi subauditio in relativis & antecedentibus fieri Latine comperitur: qui subaudiendi modus plurimam annis magnos peperit errores in trivialibus scholis de plerisque nominibus *gemmarum, lapidum, pillorum, herbarum & florum.*

Vbi exprimuntur substantiva.

Plinius lib. 5. cap. 26: *Ephesus Amazonum opus, multis ante expetita nominibus exempla.* Plin. lib. 26. cap. 7: *Herba melandryum odorata.* Idem ibid: *Herba chalcetum e vineis contrita imponitur.* Idem lib. 7. cap. 24: *Memoria necessarium maxime vitae bonum, cui praecipua haud facile dictu est, tam multis gloriam eius adeptis.* (* Idem lib. 4. cap. 26: *Municipium civium Romanorum Olisipo, Felicitas Iulia cognominatum.* Idem lib. 6. cap. 21: *Item Astacanos, gentem vicinis, & lauri, & buxi, pomorumque omnium in Graecia nascentium fertilem.* Idem lib. 4. cap. 5: *Primae ibi, quas diximus Lecheae Corinthiorum portus.* Idem lib. 3. cap. 20: *Rhaetos Thuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos duce Rhaeto.*);*

DE

De Subauditione substantivi, quod expressum refert adiectivum.

Plinius lib. 4. cap. 12. *In ora Carcinite oppida: Taphrae, in ipsis angustiis peninsulae: mox Heraclea Cherronesus libertate a Romanis donatum: hic donatum refertur ad oppidum, quod subauditur in Heraclea, idque pereleganter, quum paullo ante posuisset oppida.* Plin. lib. 26. cap. 7. *Centaurium, Gentiana, ex aqua potae (scilicet) stomachum corroborant: potae, subaudi herbae.* Idem lib. 26. cap. 11. *Et centunculus trita in aceto; aut melle, aut in aqua calida: trita (subaudi herba) sanat comitiales.* Idem lib. 26. cap. 8. *Laver quoque nascens in rivis condita & cocta, torminibus medetur: subaudi herba, nam laver haud dubie neutrum est.* Idem hoc eodem in cap. *Seu laver erutium.* Idem lib. 26. cap. 14. *Dictamnium pota sagittas pellit, & alia tela extrahit illita. Proxime pseudodictamnium, utraque etiam suppurationes discutit: pota, illita, utraque, subaudi herba.*

De Relativi & Antecedentis discordantia genere.

Relativum autem, quantum legendo consequi potuimus, secretum etiam genere ab antecedente modis quinque invenimus. Primum, quum rei substan-

Ff 2

tia

tia subauditur. Persius: *Non curo esse quod fuit Ar-
cesilas*. Terentius: *qui habet salem, quod in te est*.
Praecedente siquidem vel masculino, vel femenino,
collibitum fuit Latinis per neutrum referre. Dein-
de, quando sub pronomine derivativo intelligitur
primitivum. Cicero ad Lentulum: *Ad arbitrium tuum,*
qui haec amasti. Terentius: *Omnes laudare fortunas*
meas, qui talem gnatum haberem. Mox quando quis
vel qui venit inter duo substantiva: ut, *est locus in*
carcere, quod Tullianum appellatur. Praeterea, quan-
do tota oratio praecedens pro antecedente ponitur:
ut, *Vxorem numquam habui, quod fortunatum isti pu-*
tant. Postremo, quando, praecedente feminino vel
masculino, relativum neutrius generis reddimus.
Plin. *Quum publicos mores atque leges civitatis intueor,*
quae vel in primis sensus hominum spectandos arbi-
trantur.

Vbi numero differant.

Boetius: *nihil imbecillius homine, quos morsus mu-*
scarum necat. Cicero in *Familiaribus*: *Habes sacerdo-*
tes, alium alio nequiores,

Vbi differant persona.

Virgilius: *Vivite felices, quibus est fortuna peracta*
Iam sua.

De

*De Subauditione antecedentis, cum quo expressum
convenit relativum, relicto altero antecedente.*

Plinius lib. 26. cap. 6. *Ante omnes potandum dode-*
catheum, de qua diximus, profecto longinquis morbis
medetur: de qua, scilicet herba. Idem lib. 37. c. 6. *Ori-*
ens & hanc mittit: sed Indica nulla praefertur: hanc,
subaudi gemmam: loquitur autem Plin. de crystallo,
quod nomen apud Graecos masculini generis est non
dubie. Sequenti quoque 9. cap. *crystallus* item femi-
nino genere profertur, ubi simul est subauditio ser-
vanda. Idem lib. 37. cap. 1. *Iudicato in Cypro sex au-*
reis denariis smaragdo, in qua fuerat sculpta Amymo-
ne. Vide lector, quemadmodum in masculino ge-
nere pariter & in feminino Plinius ponit *smaragdus,*
quod tamen Graecis masculinum est: ergo in qua
subaudi *gemma*. Idem etiam Plin. lib. 37. cap. 9.
scribit *amethystum Indicam, & sapphirum caeruleam.*
quae tamen nomina gemmarum non dubitamus apud
Graecos masculini generis esse. Itidem observa, le-
ctor, in aliis Graecis nominibus, cuius modi sunt
beryllus, amaracus, amarantus, raphanus, quibus
Latinitas utitur, quae Graecis proculdubio sunt
masculina: ut si quando feminino genere posita
compereris, quid legitime subaudiendum sit, scias.

FINIS.

DE

De Antecedentibus expressis cum Relativo.

Cicero IV. Verr. *Oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant, quod fuerat in primis Siciliae clarum & ornatum.* Suetonius: *Consequutusque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciae eius finis erat, paulum constitit.* Plin. Iunior ad Maximum, Epistola quae incipit: *Et gaudium, cet. Itaque & infirmitate uxoris & meorum periculo, quorumdam vero etiam morte turbatus, ad unum doloris levamentum, studia confugi, quae praestant, ut adversa magis intelligam; sed patientius feram.*

De Antecedentis & Relativi convenientia casu.

Non est hoc praetereundum silentio, *relativum* scilicet, si praecedat, cum *antecedente* casu convenire. Terentius: *Populo ut placerent, quas fecisset fabulas, id est, fabulae.* Idem: *Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae: has posuit pro hae.* Quintilianus: *Timeo, ne quos porrexerim cibos, venena fiant.*

De Nominativi & Verbi discordantia numero.

Solvitur utique interdum mutua illa inter nominativum & verbum casus coniunctio, quoties *syn-*
the-

thesis evenit. Nam attributio proprietatis cum significato, non quidem cum voce concordat. Horatius: *Maxima pars vatum decipimur specie reſti.* Virg. *Pars in frustra secant.* Hoc autem fit non una nec simplici causa, sed varia ac multiplici. Nam accidit etiam haec casus discordia inter suppositum & verbum, quoties suppositum est nomen collectivum, aut id demum, quod aequè amplam sub utroque numero significationem gerat: cuiusmodi generis sunt *omnis, quisque, uterque, & similia.* Horatius: *Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum:* Quintus Curtius: *Pro se quisque grates agebant.* Terentius in *Adelphis: Verum, Demea, curemus aequam uterque partem.* Incidimus praeterea in hanc discordiam per *syllapsim*, id est, *conceptionem*, ubi proprietates concordat cum dictione concipiente, mediante sive conjunctione copulativa, sive praepositione: Virgilius lib. 2. *Remo cum fratre Quirinus Iura dabant:* Cicero ad Caesarem: *Sustulimus manus & ego & Balbus.* Terentius: *Haec si neque ego, neque tu fecimus, non sivit egestas.* Dissident postremo inter se numero, vel causa illa pulcherrima, quam Servius grammaticus super Virgiliano versu, *Hic illius arma, hic currus fuit,* non in eleganter adfert: sic illa habet: Quoties sunt diversorum numerorum nomina, verbum viciniore respondet: cuiusmodi illud Horatii est: *Ego & vos scimus.* Cic. in *Familiaribus: Pri-*
mum

mum hic te nos, quam istic tu nos videbis. Nec hoc ita in universum praeceptum sit, ut non liceat interdum cum remotiore nomine verbum copulare, quod fecisse non semel celebris doctrinae auctores reperimus. Quintilianus II. *Sed aliquot auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt.* Virgilius VIII. *Aeneid. Undique gentes Includere cavi, & nigra nemus abiete cingunt.* (Adde his si placet) verbum non cohaerere numero cum supposito, tum quidem propter prolepsim implicitam, ut Sallustius in Iugurt. *Alius alium in suas domos mittant:* tum vero propter prolepsim explicitam. Persius: *Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.*

De Nominativi & Verbi discordantia in persona.

EVenit porro, ut duplici de causa verbum suppositi personam non sequatur: altera quidem ob evocationem figuram: ut Horatius: *Cur ego poeta saluator?* Virgilius: *Ast ego, quae divum regina incedo,* non autem, *poeta salutat, regina incedit.* Quippe evocans adsciscit sibi personam evocatam. Altera vero, quoties verbum, posthabito supposito proximo, amat nobilioris suppositi personam: ut Cicero: *Quid est quod tu, aut illa cum fortuna quaeri possis.* Horatius: *Quibus ipse meique vescor, pro mei familiares vescuntur.*

AD

AD PERMAGNIFICVM VIRVM

FREDENANDVM BARIOVERVM

Insignis D. Illefonsi Collegii Rectorem ac praestantissimos Collegas Complutensis Scholae Moderatores

ALFONSI GARSIAE MATAMORI

HISPALENSIS

EPISTOLA NVNCVPATORIA.



Requenter a me efflagitastis, Rector permagnifice, Collegae virtute & nomine sapientiae praestantissimi, ut quae de artificio dicendi in florentissimo Compluti Collegio iam per annos septem publice alios docuissem, posteritati & gloriae inserviens, litteris mandarem. Huic ego petitioni sive imperio vestro, fateor me diu fuisse vehementer reluctatum, quod didicerim equidem a divino Platone, beatum eum esse hominem, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones adsequi possit. Nec credebam, eum esse me, qui hoc nomine rhetor, nedum beatus essem appellandus. Sed id vos tandem quotidianis exhortationibus & auctoritate vestra apud me effecistis, quod numquam ipsa illa, quae a bono poeta dicta est *flexamina*, impetrare potuisset. Nam fama & gloria, quam

Gg

quam

quam plerique susceptis laboribus & periculis quaerunt, & quasi mercedem desiderant rerum gestarum, parum ego commovebar; quod semper mihi persuaserim, non Christiani, sed Romani hominis esse, contra vitae brevitatem velle memoriam suam quam longissimam efficere, quae non solum inter homines non potest esse aeterna, sed ne quidem diuturna. Fuerit Ciceronis & Sallustii, & eorum qui in hoc mundo nobilitari voluerunt, propria ista laus (melius dixerim ambitionis labor) dum nobis in caelo definitus sit locus a Servatore nostro Christo Iesu, ubi sempiterno aevo eius conspectu fruamur, in quo vera & solida gloria consistit. Itaque non posteritatis aut inanis gloriae cupiditas ad virtutis decus me adlexit, sed amplitudo nominis tui, Rector aequissime, & istius magistratus non contemnenda dignitas, quem pro doctis omnibus & studiosis in hac republ. litteraria doctissimus ipse iuxta atque studiosus geris, me invitum & repugnantem pertraxerunt. Quamquam aequiori quidem animo fui, posteaquam coepi bene feliciterque sperare de studiis humanitatis, sublatis nuper (ut audio) honorum designationibus, quas vulgo *licentias* appellant. quod si harum interitum sophisticarum artium proptinus sequeretur ablegatio; non dubitarem equidem, quin brevi tempore ingens futura esset huius Academiae celebritas. Sed nescio profecto quid vos quotidie

die consultantes retardat & ancipites sententiae versat, quum inutilis ista & spinosa Dialectica iam diu e Lovanio Lutetiaeque Parisiorum, ex tota etiam Italia & Germania sit pulsa, & in multis quoque Hispaniae locis vehementer profligata? Vos tamen ceteris mortalibus prudentiores adhuc mordicus retinetis. Quod sane non habeo, quo possim referre; nisi putatis fortassis, hanc egregiam scilicet divinamque artem cum honore sepeliri oportere, perinde atque veterem illam venerabilemque synagogam. Pudeat viros graves & magni nominis Theologos, ea prorsus negligere, quae tantopere decere intelligitis; aut si a Musaeo vestro corruptam artem, omnium eruditorum consensu & iudicio damnatam, relegari minime placet, facite per Deum immortalem, ut principi philosophorum Aristoteli Complutensis Academiae fores posthac minime occludantur: quo inter lautas suavesque epulas huius incomparabilis viri barbarorum amaritudo fraudata delicatis palatis minus in reliquam aetatem noceat. Illud simul e re dignitateque vestra erit, quando sacrosanctae Theologiae laurea estis inaugurati & huius doctrinae titulis illustres effecti, ut duae quidem philosophorum sectae uno in stadio ex aequo currant, quemadmodum lex olim Mosaica cum Christi Evangelio pariter cucurrisset fertur. Hoc autem duritiae cordis vestri tantisper condonamus, donec quod non a vobis solum, sed a caelitibus etiam

omnibus & Deo ipso Optimo Maximo summis votis deprecandum est, post tot annorum saecula impetremus, ut inamoenae illae, ferales inauspicataeque voces minime insonent in posterum auribus nostris: *Cuiuslibet hominis oculus non est oculus; & Equus non requiritur ad equitandum; & putidiores aliae*, quibus perdiscendis totam aetatem misere conficitis. Durius fortassis loquor, neque ego plane inficior: verum cogitate, graves morbos non sanari levibus pharmacis; aequiusque profecto esset illis indignari, quorum pudenda immoderataque doctrina fecit, ut haec propemodum in os vestrum dicere non puderet. Tum ipsius caussae honestas me audacem reddit, cui illud multum etiam diuque consideranti accessit, quod huius garrulitatis (ut Plato vocat) magnam sane amoris partem, si non ab scholis, certe ex animis vestris divulsam esse viderem. Cuius sane rei cum aliis multis, tum etiam praestantissimo viro Ludovico Catenae, istius sacri collegii Cancellario, summa gratia habenda est, qui quum eloquentissimus sit & in omnium disciplinarum genere summa cum laude & admiratione versatus, frequentissimis exhortationibus & consiliis imbutam inveteratamque persuasionem vestram magna ex parte iam infregit; persuasurus breviter id, quod exoptamus, si in ea re ex animo perstiterit. Quare nullam iustam excusationem studiosis discendi oppo-

ponere potui, quin praecepta quaedam & quasi vias, quae ad eloquentiam ferent (te, Rector, hortante maxime) traderem, quando ea iam iniecta spes sit, quae, de scholis & mentibus vestris expulsa barbarie, totius Academiae vestrae possessionem reginae tradat eloquentiae. Atque quum animadverterem, nullam unam exstare artem, si multae emittantur quotidie, quae in summa brevitate absolutam contineret rationem praeceptorum; admovi ego manum: non electus unus, qui maximo ingenio, sed ex omnibus relictus, qui minimo periculo possem scribere. En igitur commentariolum *De ratione dicendi* tutelae fideique vestrae committo, haud secus quidem typis vulgaturus, nisi putarem auctoritate vestra & patrocinio tuto perventurum in manus studiosorum. Cum invidis praeterea & malevolis nullam mihi duxi suscipiendam esse dimicationem, quamlibet mea sugillent scripta, insectentur, exagitent; quod intellexerim equidem insitam esse mortalibus naturam recentem felicitatem aegris oculis introspicendi, modumque fortunae a nullo alio exigendi magis, quam quos in aequo & bono constitutos esse viderunt. Bene vale, Rector permagnifice iuxta atque doctissime, cum sacro isto Collegiarum senatu. Ad Nonas Octobris. Compluti.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

CVM ex aliis, tum ex me ipso saepissime compe-
ri, candide lector, omnes homines natos esse ad a-
gendum. Qui si optime nati institutique sint, esse
omnino nolint in vita, si gerendis negotiis orbat,
possint paratissimis uti voluptatibus. Nam aut pri-
vatim (ut princeps ille eloquentiae refert Marcus
Tullius) aliquid gerere malunt : aut qui altiore ani-
mo sunt, capessunt rempublicam honoribus, imperiis-
que adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinae
conferunt. Qua in vita tantum abest, ut volupta-
tes consequantur, ut etiam curas, sollicitudines, vi-
gilias perferant, optimaque parte hominis, quae
in nobis divina ducenda est, ingenii & mentis acie
fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugien-
tes laborem. Mihi quidem ea vitae ratio ab ipsa iam
inde adolescentia in hanc usque aetatem gravio-
rem semper constitit, ut si non in reipublicae negotiis
versata, secretioribus tamen studiis, rerumque con-
templatione occupata, honesto otio numquam an-
te hoc tempus caruerit. Nam quum ego virtutis con-
scientia possem esse contentus, quae magnum est
per sese & amplum theatrum, volui equidem mea
hac qualicumque studiorum industria etiam prodes-
se quamplurimis, quando inest in omni virtute cu-
ra

ra quaedam, quasi foras spectans, aliosque appe-
tens atque complectens. Dedi itaque olim Valentinis
& Saetabinis, apud quos humaniores litteras prae-
legebam, opus otii mei & solitudinis munus : nunc
vero quum maiorem expectationem apud Com-
plutenses sustineam, dignum quidem esse statui, si
ad hanc scribendi operam omne studium curam-
que meam converterem. Hoc praesertim tempore,
quum, extinctis rhetoribus & magistris eloquentiae,
in paucis sit spes, in paucioribus facultas, & in
multis audacia. Movent me praeterea cum multo-
rum iuvenum preces nullam proclamantium huius
facultatis exstare artem, post flumina Marci Tul-
lii & acumina Quinctiliani, ex tam multis paene-
que innumerabilibus, quas huius aetatis ubertas ef-
fudit, aut perfectam ingenio, aut absolutam indu-
stria, quae brevem & quasi compendiarium dicen-
di viam tradat. Nam illa (inquit) Musarum sa-
era, quae apud Ciceronem & Fabium late patent,
quis sine his adiumentis ingrediatur ? Tum etiam
quod saepe & multum mecum ipse antehac anim-
adverti, nec semel a viris ingenio splendido iuxta
atque prudenti familiaribus accepi sermonibus, na-
tionis nostrae homines ad eloquentiam plerosque
esse natos, si beatam illam, quam adepti sunt na-
turam, doctrinae studiis iuarent, & exercitatio-
nis laboribus perpolirent. Sed alios in ipso statim
iu-

iuventutis flore, quum in studiis aliquid opportuis-
set proficere, rei militaris gloria abducit a litteris,
alios habendi immoderata cupiditas in novum illum
orbem recens inventum per immensos errores & ae-
stus maris deportat, alios vero deterret paupertas:
qui si Maecenates haberent, ad studia gloriae hono-
re ipso accenderentur; nec iacerent tam multi (ut
nunc dolens video) in obscuro, non inopia quidem
ingenii, sed patronorum benignitate. Pudor est pro-
fecto tot procerum, tot magnatum, quot multis opi-
bus florentes Hispania habet, studiosos fame oppres-
sos non posse in lucem reipublicae emergere, quod
nemo unus sit ex istis beatis, qui esurienti panem por-
rigat. Atqui ego non inveno, quid mihi iure possint
opponere, qui, quum amplissimis adfluant divitiis,
utinam litteris & virtutibus aequae praecellerent, pa-
tienti ferunt animo, triginta & hoc numero plures
Theologiae doctores languere otio Compluti, exspe-
ctantes, si quando prodeat unus, qui in vineam Do-
mini velit eos conducere? Nam de Graecis & Lati-
nis & aliarum artium sectatoribus quid loquar?
quum ex me ipso possim de reliquis coniecturam fa-
cere? Nobilitatis enim mancipia sumus, & tum
praeclare ad honores evehimur, quum ingenuos in-
stituendi adolescentes nobis cura demandatur. Pae-
dagogis autem talis honor in nobilium domibus ha-
betur, qualem repudiarent prae pudore parasiti, si

saperent: nam anteambulones & apparitores iniuriam
putarent. Haec & alia multo indigniora videmus
multis evenire quotidie, quae ut fugiamus, honestuis
in his studiorum gurgustis latitare placet magis,
quam in amplissimis divitum aedibus gloriose vive-
re, ubi oratoribus praeferuntur equisones, & nundi-
nalis cocus habetur in delitiis. Quare quum nulla vi-
deant proposita litterarum praemia: nullum his stu-
diis deferri honorem, repudiatis ingenuis praeclaris-
que disciplinis, multi se ad alia minora studia conver-
tunt, unde fructum aliquem ex industria percipiant:
alii eas ipsas facultates nobiles & liberales, primori-
bus tantum degustatas labris mercenarias faciunt: ad
studiaque redditus perinde accomodant, atque si es-
sent ex eorum numero artium, quae manu exercen-
tur: nihil quidem curantes, quid secum tacitus ob-
murmuret doctus, modo suo lucro consulant, &
ille interim qui ridet, ringatur etiam fame inter
Marci Tullii eloquentiam & Aristotelis Philoso-
phiam, hinc tota litterarum neglectio nostra dimanat.
Hinc una illa ducitur macula, quae Hispanis homi-
nibus semper inusta fuit, ut barbari immerito appel-
larentur, quum ingenio sint minime barbaro. Quod
si fautores magnates haberent, non dubito quin ad
sapientiam statim & amplificationem eloquentiae ex-
citarentur, haberemusque hodie alios Senecas, Lu-
canos, Silios, Martiales, Pomponios, Prudentios,

Fulgentios, Leandros, Isidoros, & qui contra Ciceronem nominarentur, Quintilianos. Sed o mores nostri temporis! quum voluptas vivere coepit, & vita ipsa desiit, quam in studiorum meditatione Plinius Maior statuebat. Fuit enim quondam tempus, quando reges innumeri honore artium colebantur, & in ostentatione has praeferebant opum, immortalitatem sibi per illas prorogari arbitantes, quare abundabant & praemia & opera vitae. Sed ubi, suadentibus voluptatibus, litterarum obrepsit contemptus, putaruntque principes, litteris ingenia obtorpescere, administrationique reip. plurimum officere, pessum iere vitae pretia: omnesque a maximo bono liberales dictae artes, in contrarium cecidere, ac servitute sola profici coeptum est. Admonebat me res, ut hoc quoque loco de laudibus eloquentiae dicerem, si quidem necessarium hoc tempore existimarem; verum eius interitum deplorassem satis fuerit, ut homines non omnino stupidi intelligant, quantus huius scientiae splendor fuerit, quantus quoque honor & dignitas, quando tanta indignatione contra potentes a me suscepta viros eius intermissio & neglectio lugeantur. Quare quum haec & plura animo repeterem, accessisset illa quoque caussa, ut ii a me viri formam aliquam dicendi brevem contenderent, qui apud me & amicitia & beneficiis & dignitate plurimum possunt, quorum ego neque bene-

volentiam erga me ignorare, neque auctoritatem adspemari, neque voluntatem negligere debeam, non potui non in re honesta amicorum petitioni parere. Quod eo quidem studiosius feci, quod intelligerem id a me iure exigi, propterea quod Marcus Tullius ducem certiozem putat esse artem, quam naturam, etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur. Itaque precor studiosos omnes, ut hoc quaecumque munus a me accipiant, perinde certe futurum, ut acceperint, quod si fructum aliquem inesse senserint, industria nostri ingenii feliciter fruantur; sin in quibusdam autem negligentiam meam deprehenderint, amicam admonitionem amico etiam accipiam animo.



BENEDICTI ARII MONTANI
HISPALENSIS

In commendationem auctoris

EPIGRAMMA.

*Fecundo nuper Matamorus fonte fluebat,
Dum culto iuvenes imbuit eloquio:
Atque e saxoso dum salcifer Henarus amne
Hunc audit, laeta fronte superbus erat.
Non tulit ipse pater Baetis, qui miserat illum:
Privarique suo munere se doluit.
Nunc ubi tam cultum Matamori cura libellum
Edit, & hunc patrio dedicat ille deo:
Iam gaudet noster meliori munere Baetis,
Et fruitur cultu iam magis officio.
Nam, quae vix multis perceperat Henarus annis,
Exiguo Baetis tempore percipiet.
Nec gaudere volet solus (nam Baetis avarus
Non est) sed largas porriget ille manus.
Gentibus hic Latiis haec laetus munera mittet:
Gaudebit docto Gallica terra libro.
Tam parvum audebit (dices mihi) mittere munus?
At iuvat & magnis Baetis & exiguis.
Veloces dum mittit equos, solet ille iuvare:
Dumque oleas mittit, non minus ille iuvat.*

DIONYSII VASQUEZ TOLETANI

AD

ALFONSVM GARSIAM MATAMORVM

EPIGRAMMA.

*Laudat Aristotelem, laudat Demosthenis artem
Graecia: Rethoricae est magnus uterque parens.
Ausoniam rursus Ciceronis scripta disertè
Illustrant, & opus, Quinctiliane, tuum.
Haëtenus Hesperia est nullò defensa patrono:
Vincere nolentem vincere nempe leve est.
Erubuit nuper, summa est iniuria, dicens:
Turpeque non magnos me genuisse viros.
Quales vel Latium, vel mirabantur Athenae,
Quum percussa dabant ampla theatra sonum.
Dixit: & optanti superi concedere visi:
Admit a summa Conditor arce poli.
Nam subito misit, Musis & Apolline laetis,
Hunc Matamorum, quem, bone lector, habes.
Sive illum eloquii moderantem frena, vel illum
Naturae videas pandere sacra deae:
Nosces Mercurii praedulci murmure voces:
Aut dices, istud os Ciceronis erat.
Is tibi Rethorices mandat praecepta: cupitque,
Ut, qua mente dedit, tu quoque fronte legas.*

Omniium capitum quae in hoc opere continentur.

EX PRIMO LIBRO.

- CAP. I. Quid sit Rhetorica, & eius cum Dialectica convenientia.
 CAP. II. De oratoris officio & eius fine.
 CAP. III. Quod oratio artificiosa similis sit animanti: & de oratoris officio circa singulas eius partes.
 CAP. IV. Quid sit genus demonstrativum & quis eius finis.
 CAP. V. Quam late pateat genus demonstrativum, & quam varia sit laudandi ratio.
 CAP. VI. Quod status sit in omni oratione necessarius; & quomodo deduci possit, quando quaestio est unius tantum partis.
 CAP. VII. De Exordio & unde ducatur.
 CAP. VIII. Quando utendum exordio in demonstrativis orationibus.
 CAP. IX. De modo componendi exordium.
 CAP. X. De interpositis in oratione exordiis: & quae praestare in exordio debeat orator.
 CAP. XI. De Narratione.
 CAP. XII. De locis Narrationis.
 CAP. XIII. De genere demonstrativo factorum.
 CAP. XIV. De genere demonstrativo rerum.
 CAP. XV. De Epilogo.
 CAP. XVI. Quae forma dicendi magis conveniat generi demonstrativo.
 CAP. XVII. De figuris generi demonstrativo familiaribus magisque convenientibus.
 CAP. XVIII. De usu Schematum.
 CAP. XIX. De Compositione.
 CAP. XX. De Iunctura.

EX SECUNDO LIBRO.

- CAP. I. De genere deliberativo & eius fine.
 CAP. II. Quot sint orationis suasoriae partes.

CAP.

- CAP. III. Quae sint considerata dicturo ante ingressum causae.
 CAP. IV. Quae sint in ipso exordio considerata.
 CAP. V. De locis exordii suasorii.
 CAP. VI. De Insinuatione.
 CAP. VII. Quomodo proponenda sit propositio.
 CAP. VIII. De locis confirmationis.
 CAP. IX. De locis communibus.
 CAP. X. De Epilogo.
 CAP. XI. Quae forma dicendi generi suatorio conveniat.
 CAP. XII. De dispositione locorum totius orationis.
 CAP. XIII. Index locorum communium.
 CAP. XIV. An popularis eloquentia omnium maxime probari debeat: & quo differat auditor doctus ab indocto ex Cicerone.
 CAP. XV. De genere Iudiciali.
 ORATIO demonstrativa in laudem Philippi Principis.
 SVASIO Concilii generalis.
 DISSVASIO eiusdem Concilii.
 DECLAMATIO Ecclesiae contra Lutherum.

DE

DE RATIONE DICENDI

LIBRI DVO.

CAP. I.

*Quid sit Rhetorica, & de eius cum Dialectica
convenientia.*



Rhetorica est scientia bene dicendi, quae naturae ipsi, a qua primum eloquentia nata esse dicitur, ratione praeceptorum moderatur, dum fusas illas & vagas sententias, quas vis ingenii ubertasque naturae fundunt, recta intelligentia & definita moderatione animi gubernat, limat & corrigit. Vt enim initium natura dedit, ita incrementum exercitatio attulit, & summam denique ars ipsa imposuit. Res enim omnium est difficillima, non ars quidem solum, quae paucis est adstricta praeceptis, sed illa potius quae ex arte ab omnibus petitur eloquentia. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximam quantam vim quantumque difficultatem habeat, existimari potest. Illud porro artem esse declarat, & utilem etiam, & virtutem,

DE RATIONE DICENDI. 249

tem, quod hoc ipso a Dialectica tantum differre Zenono pronuntiaverit, quod est inter manum mox clausam, mox apertam. Quocirca Marcus Tullius cum in aliis rebus, tum studiosissime cum Diodoro philosopho (ut ipse refert) in Dialectica exercebatur, quae quasi contracta eloquentia putanda est, sine qua Brutus iudicabat, se illam iustam eloquentiam (quam Dialecticam vocamus dilatatam) consequi non posse. Videant nunc igitur, qui volunt fieri eloquentes, quantum momenti situm sit in vera germanaque Dialectica ad comparandam eloquentiam, quam quidem si a garrula ista & spinosa, cuius tota etiam apud Complutenses iam gratia amissa est, non mente reque prorsus dividunt; tantum abest, ut oratores hoc adiumento futuri sint, ut in duos profecto atque horridos aratores, aut rabulas aliquos de foro clamorosos se evasuros, ex me sciant.

CAP. II.

De Oratoris Officio & eius Fine.

ORatori omnis ex officio proposita est quaestio, de qua ornate & copiose disserat. qui si omnes eloquentiae numeros implevit, aut talis nunc a nobis fingitur, qualis a Cicerone animo concipitur (dum nihil mortale & caducum putat, sed illud ipsum, cuius

ius qui sit compos, sit eloquens, quod nihil est aliud, quam eloquentia ipsa, quam nullis nisi mentis oculis videre possumus) is, inquam, talis & tam divinus orator, qualis post genus hominum natum, nullus exstitit, omnem rem subiectam habet ad dicendum. Ex qua humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate potest dicere, quum sit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus. Verum civilis oratoris munus, quales multi studio eloquentiae floruerunt Athenis, & plures excellere Romae, quos aetas Ciceronis prestantissimos effudit, in tam ampla non versatur arena. Huic sane mores & leges civitatis dabimus, etsi Christianum etiam oratorem a nobis finiri velis. Post eam Philosophiae partem, quae ad mores pertinet, Theologiam illius officio addendam quoque putamus. Mihi vero ut haec placeant maxime, tamen M. Crassi sententia apud Ciceronem lib. I. de *Oratore* ad Q. fratrem summa semper laude excepta fuit, qui ita oratoris officium coercuit, ut quum multa ignorari ab eo permittat, illud tamen iure exigit, quibus nimirum de rebus ei dicendum sit, quum cognoverit ab his, qui tenent, quae sint in quaque re, multo melius, quam ipsos illos, quorum eae sunt artes, hunc esse dicturum. Ita, si de re militari dicendum huic erit oratori, quaeret vel ab *Antonio Leyva*, vel a magno illo Hispaniae duce *Fredenando Gonzalo*; & quum

quum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipsis melius, quam ipsi sibi, scire videatur. Itaque proprium erit oratoris oratio gravis & ornata, & hominum sensibus ac mentibus accommodata, qua una in re excellat eos, qui res dicturo etiam suggerunt. Officium cum materia paene confundimus: quod si unum ab altero secerni placet, *officium* dicemus eius facultatis esse, dicere apposite ad persuasionem; *materiam* vero *artis* nominamus, quibus in rebus versatur ars & facultas oratoria. Hanc quidem tam immensam, fusam, vagam & sine modo patentem, tribus generibus Aristoteles, & duo eloquentiae Romanae lumina Cicero & Quintilianus complexi sunt, in quibus oratoris officium exerceretur. Officium sequitur protinus *finis* oratoris, quem duplicem esse video: unum, quem orator petat, qui est dictione persuadere: alterum, quem praestare debeat, qui est bene dicere ad persuadendum. Ut si persuadere minime contingat, modo bene & apposite dixerit, non propterea non obivit oratoris munus. Ut enim medicus sanitatem polliceri non potest, neque peritus gubernator navis prosperam in portum usque navigationem, quod hae res partim aliorum in voluntate positae sint, partim casu & eventu gubernentur: ita sane, quum nihil magis sit varium, minusque constans, quam sensus voluntasque hominum, nihil habeo quod accusem ego illum orato-

rem, qui quum optime se comparaverit ad dicendum, non tamen persuasit. Nam qui fecit, quoad eius fieri potuit, ut repugnantes ad se ornate dicendo pertraheret, & non est id consequutus, nulla quidem in culpa est.

CAP. III.

Quod oratio artificiosa similis sit animanti: & de oratoris officio circa singulas eius partes.

OMnis oratio, quae arte componitur, similis mihi videtur esse animanti bene a natura constituto, quod non ossa modo & nervos, carnem etiam & cutem, sed animam quoque ac motum habeat. Nam *inventio*, quae res suppeditat, hoc est in oratione, quod ossa in corpore animantis, quae nisi solida sit, cetera omnia collabuntur. *Dispositio* sive *ordo* hoc est in oratione, quod nervi in corpore animantis, partes orationis apte inter se connectens. Siquidem *ordo* non solum reddit orationem concinnam, sed adiuvat etiam docilitatem auditorum ac discensium memoriam. Praeterea *eloquutio*, quae verba & figuras ad rem apposite suggerit, hoc est in oratione, quod caro & cutis in corpore, decenter convestiens ossa & nervos. *Memoriae* autem respondet *spiritus*, id est, *vita*, quae nisi adsit, dilabuntur omnia. *Pronuntiatio* denique velut actus est ac motus animantis,

tis, quae nisi accedat, minimum aberit ab statua animal. *Actus* itaque & *motus* quasi vitae vita est. Nam oratio, quae sine *voce* & *gestu* pronuntiatur, semimortua est. Porro autem competit hoc simile non toti orationi modo, sed singulis etiam eius partibus. Siquidem *exordium*, *narratio*, *partitio*, *confirmatio*, *confutatio*, & *epilogus*, quae propriae germaeque orationis partes sunt, perfecta membra debent esse, ut absolutam itidem orationem constituent. Quo fit, ut quaevis harum partium totum oratoris officium desideret, circa quas late se fundit oratoris munus, quod his quinque decantatissimis partibus, *inventione*, *dispositione*, *eloquutione*, *memoria*, *pronuntiatione* constat.

CAP. IV.

Quid sit genus Demonstrativum & quis eius finis.

Demonstrativum genus continet laudem & vituperationem, & est verum genus causae; sive *causam finis*, in qua sit controversia, ut Cicero finit in *Partitionibus*; sive negotium omnibus suis partibus & circumstantiis ad quaestionem civilem pertinens. Nam quod in foro facit adversarius, id in concione praestat tacita vulgi dissentientis cogitatio. Nihil est enim tam undique laudabile, quod iure vel

in-

iniuria vituperari non queat. Ea demum est conditio rerum humanarum, ut quo celsiore fastigio collocatae fuerint, eo pateant magis malevolorum invidiae & calumniae. Quare non sunt audiendi Trapezontius & Gerardus, qui levibus sane rationibus persuasi a generibus caussarum demonstrativum genus submoverunt. Praeterea huius generis finis est *honestum & inhonestum*. Verum oratoris est honesta laudare; & vituperare quae sunt inhonesta, atque in his iudicem delectare.

CAP. V.

Quam late pateat genus Demonstrativum, & quam varia sit laudandi ratio.

Demonstrativum genus tam late patet, ut non poetae modo parvis laudationibus lasciviant, sed oratori etiam sit concessum minima quaeque laudare. Nam (ut refert Fabius) singulos cibos medici nonnulli laudarunt, & somni editae sunt laudes. Quin, quae per se etiam turpia & inhonesta sunt, aut exercendae eloquentiae, aut ostentandi ingenii gratia, non ita pauci oratores magnis laudibus provexerunt. Sic *muscam* Lucianus, Phavorinus *quartanam* febrim, Erasmus nuper *moriam*, & Petrus Messias, vir variae reconditaeque doctrinae, certissimum nostri-
sae-

saeculi ornamentum & decus, copiose & ornate *asinum* commendavit. Sed sint oportet certa atque explorata, quae in laudem vocantur. cetera autem parum refert, praeterita sint, aut instantia, aut corporalia, aut spiritualia, aut praedita ratione, aut sensus iudiciiue expertia, modo illa sermone explicari possint. Laudationi enim, & contra subiecta sunt omnia. Nihilque est humanarum divinarumque rerum, quod vel ex officio *laudativum* genus non exerceat, vel amplitudine sua non complectatur. Est autem varia laudationis ratio. Nam aut *personas* laudamus, aut *facta*, aut *res*. quae quidem partitio sane quam necessaria est oratori. Hinc ortum est, ut triplex sit genus demonstrativum: unum quidem *personarum*, alterum vero *factorum*, tertium postremo *rerum*. singula habent locos maxime inter se differentes, de quibus postea dicemus. Nunc vero reliquum est, ut pauca de *statu* breviter contingamus.

CAP. VI.

Quod Status sit in omni oratione necessarius, & quomodo deduci possit, quando Quaestio unius est tantum partis.

Cognito exploratoque genere, in quo dicturum versari oporteat (quae prima oratoris cura esse debet)

bet) proximum est, ut accurate statum inueniat, qui sit totius argumenti caput, ut oratio sibi constet, ne extra rem quid dicatur, quod inconsideratis saepe cum auditorum risu accidisse legimus. Est igitur praefigendus scopus, in quem iaculetur: secus enim puerile est (ut inquit Persius) *corvos sequi testaque lutoque*. Sed ne quem fallat varia huius nominis appellatio, est cum primis considerandum, hoc ipsum quod *status* a nonnullis appellatur, nunc ab aliis *constitutionem*, nunc *hypotesim*, nunc *controversiam*, nunc *quaestionem*, nunc *conclusionem*, nunc *thema*, nomine quidem vario, sed sensu dici eodem. Quod si quidquam inter se distant, quantum hoc quidem est? Vnum igitur horum finiamus oportet. Sed ita, ut omnia comprehendere, & quodvis finire intelligamus. *Status* itaque (qui & *quaestio finita* & *hypotesis* & *thema* appellantur) est oratio notata locis, temporibus, personis, in eaque controversia vertitur, & cum interrogatione effertur. Huius generis sunt haec: „ An laudandus sit Carolus „ Caesar, imperator invictissimus, propter res ab eo „ domi militiaeque praeclare gestas; quod Tur- „ cam scilicet ab Ungariae finibus fortiter propul- „ saverit; Tunetum vi ceperit: immanes illos hostes, „ acerrimosque Christianae religionis oppugnato- „ res fregerit, Romanique Pontificis imperio „ multum diuque repugnantes parere fecerit? An „ im-

„ imperator Carolus invictissimus comparere de- „ beat exercitum in tyrannum illum Barbarossam, „ dum Hispani civilibus seditionibus tumultuan- „ tur, & Galli Mediolanum capere moliuntur? „ Licet etiam per *comparationem* statum sic constitui- „ tuere: *Vtrum melius sit, erudiri pueros domi, an in „ scholis? Vtrum potior vita sit, militaris, an philoso- „ phica?* Ad hunc fere modum status proponuntur, qui in hanc vel illam partem detorqueri queunt. Quod quidem *propositio* nibus vel adfirmativis, vel secus, sic fieri oportet: *Laudandus est Caesar propter res „ ab eo domi militiaeque praeclare gestas*. Et quae nos praeterea adiecimus expositionis causa. Haec *propositio* sic constituta, mox suis locis confirmatur. Rursum: *Non est indicendum bellum tyranno & archipi- „ ratae Barbarossae, dum Hispania civilibus armis tota „ dissidet fatalique malo tumultuatur*. Haec item *propositio* summam totius rei exponit, ex ipsoque *deductam* statu rationibus protinus & argumentis firmari necesse est. Hic locus paullo plenius & cumulatius, quo res ipsa, qua de agitur, pateat latius, a nobis est disserendus. Paucis itaque dicamus, qua ratione in omni sive oratione, sive epistola, quae nullam controversiam habere videtur, *status* deduci possit: quamquam nos in omni actione *controversiam* & *studia partium*, viros in omni disciplinarum genere praecellentes sequuti, paullo ante statuerimus.

mus. Igitur in omni negotio aut caussa, in qua non ita aperta & conspicua est controversia, trium harum rerum consideratione, personarum, rei & conatus, expeditissime inveniri potest status. Primum consideramus personas, inter quas agitur, sint inter se ullo aut cognationis, aut adfinitatis, aut familiaritatis, aut amoris & benevolentiae vinculo coniunctae: & reliquas praeterea expendimus circumstantias, quae solent alienare, aut conciliare nobis quas cumque personas. Deinde res consideranda est, quae evenit, aut futura est, cuius gratia dicere statuimus: ut est in consolatione amici alicuius boni iactura, & in gratiarum actione beneficium collatum, in gratulatione prosperus rerum successus. Postremo conatus, quo ob hanc vel illam rem volumus aliquid conficere: ut in consolatione videmus, quempiam desideratae rei iactura dolere. Haec quidem res est. Personae deinde sunt: *Hic nobis, nos huic amici:* quo fit, ut offendamur eorum dolore. Conatus ergo sequitur, quo damus operam, ne hic doleat, atque id dicendo consequi laboramus. Vnum aut alterum subiiciam exemplum, ex antiquis decerptum aucto- bus. In oratione illa ampla & magnifica pro M. Marcello, qua Cicero gratias agit Caesari pro restituto suis & reip. Marcello, qua in oratione una nec controversiam videmus, nec ulla vel studia partium, vel repugnantium contentionem, status est quidem in

in qualitate: An Caesar laudandus sit de restituto M. Marcello? Mihi quidem hac una via in Papinii Statio Silvis status ducebantur, quum illas hoc anno praelegerem. Nam quamvis subito calore & festinanter effusae fuerint a divino poeta, ut rara etiam reconditaque eruditione plenae sunt omnes, ita perfecta consummataque arte non carent. Vna nobis de statua equi maximi Domitiani Caesaris proponatur, quae etiam in bacchante & divino adflatu furente homine status, de quo disserimus, fidem faciat. Populus Rom. summo omnium consensu incredibilique gratulatione equestrem statuam in medio foro Rom. Domitiano indulgentissimo imperatori erexit post partam victoriam de Dacis & Cat-tis. hanc Papinius Statio alta sublimique mente, edita Silva, celebravit. Huius, quantum ego ex arte duco, status fuit: „ An laudanda esset equestris statua Domitiani Caesaris, quae singulari civium Romanorum studio publice statuta est, ut publicam de victoria Caesaris duobusque triumphis actis gratulationem testaretur? “ In reliquis hoc pacto themata ducemus: quae, ut a nobis praecipitum est, in omni primum oratione quaerenda sunt. Secus enim monstrum illud Horatianum saepissime conficiemus, quod quum virgineum mireque formosum haberet caput, turpiter tamen in deformem piscem desivit. Quare dicturi iuvenes etiam atque

etiam a nobis monendi sunt, ut principem aliquam propositionem, quo referantur omnia, vel confingant in primis, vel certam inueniant, ne soluta & incerta vágetur oratio.

CAP. VII.

De Exordio & unde ducatur.

Exordium velut est ipsius orationis satelles & antambululo, qui viam ad ipsam causam sternit, & ad ea munia obeunda praemittitur, quae tum maxime praestat, quum ipsos, apud quos dicimus, nobis benevolos, dociles attentosque reddit. Sed ut haec commode perfici queant, explicandi sunt exordiorum loci. Sit itaque hoc & semel & in universum praeceptum, exordia in hoc genere liberiora esse: quae una sane res facit, ut certi praescribi non possint. Verum quos frequentiores & oratoribus usurpatos magis legendo consequi potuimus, crassiore (quod aiunt) Minerva atque explanatius hic exarabimus. Primum ab *historia*, modo insignis illa sit, nec inamoena, exordiendi rationem sumere licebit. Sic enim M. Tullius librum II. de *Inventione Rhetorica* exorsus est, cognitu iucundam ac festivam historiam praenarrans de pictore Zeuxide, quam mox eleganter applicat ad suum negotium., Crotoniatae quon-
dam

dam (*inquit*) quum florent omnibus copiis, & in Italia quum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Reliqua omittimus brevitati consulentes. Deinde a *fabula* rite aliquando exordiemur: quam principii rationem, ut multos alios eloquentiae principes, ita ex eorum numero unum Angelum Politianum in sua Lamia sequutum video. hanc salse docteqe interpretans ad rem accommodavit: Fabulari (*inquit*) paullisper libet, sed ex re (ut Flaccus ait) nam fabulae etiam, quae aniles putantur, non rudimentum modo, sed & instrumentum quandoque Philosophiae sunt. Audistisne umquam Lamiae nomen? Ab *apologo* etiam *exordium* comparabimus, quod idem Politian. in *Praelectionem* Persii fecit: nam ab Aesopi *apologo* de duabus manticis sic principium dedit: illius Phrygis, notissimi fabulatoris, atque in numero sapientium virorum merito habiti, lepidissimus inter primos *apologus* celebratur, in quo tradit hominem duas manticas habere, unam antepectus, alteram a scapulis tergoque propendentem. Sed in priorem, *inquit*, aliena vitia immitterimus; ideo & videmus facile: in posteriorem

dam

„ nostra , quae abscondimus , & videre negligimus. “ *A simili* etiam initium sumemus : cuius sane rei exemplum vel Erasmi Copiae principium esse poterit , ubi exuberanti lateque diffluenti fluvio similem esse dixit orationem , rerum verborumque copia divitem. Rursum a *proverbio* exordium ducitur : ut apud Budaeum libro *De studio recte constituendo* legimus : *Honos alit artes , tritum usu vetustatis & consuetudinis proverbium*. Et nos hanc exordien- di viam nuper ingressi sumus , dum publicis scho- lis eloquentiam exerceremus , quod quantum recor- dari possumus , hoc modo comparavimus : „ Vetus „ proverbium est , a maioribus usurpatum , & usu „ consuetudinis pervulgatum omnibus : *Romanus „ sedendo vincit*. “ *A sententia* quoque : unde Sallu- stius videtur exorsus historiam suam. „ Omnis (*in- „ quit*) homines qui sese student praestare ceteris „ animalibus , summa ope niti decet , ne vitam silen- „ tio transeant , veluti pecora , quae natura prona , „ & ventri obedientia finxit. “ *A re praesenti* , & cum summa oratoris laude , & auditorum admira- tione initur oratio , cuiusmodi est Aiace apud Ovi- dium : quum enim caussa ageretur eo loco , unde in prospectu erat classis Graecorum , quam Ajax sua virtute servarat ab incendio , hinc adripuit prooe- mium : *Agimus pro Iuppiter ! ante rates caussam ; & mecum confertur Ulixes !* Sunt apud Livium nonnul-
la

la principia huius generis , ut in IV. Decade lib. 9. & III. lib. 8. Huiusmodi enim exordia , quae res ipsa praesens , vel casu aliquo , vel ratione & consilio oblata suppeditat , quum omnium sint meo iudicio pulcherrima , ita etiam oratori ipsi admirationem excitant ingentem. Iam vero a *pompa publi- ca* : interdum ab *adfectu* aliquo : a *querela* , vel *gratulatione* exordia capiuntur , ut in Epithalamiis & Epicediis apparet. In Papinii Silvis exstant aliquot exempla , quae non ipsis poetis modo , sed oratori- bus sunt etiam ad imitationem proposita. Sed ut adolescentum studia , quantum possumus , industria iuvenus , unum aut alterum subiiciemus exemplum. In primis Epithalamium Stellae & Violantillae ab apparatu & publica gratulatione inchoatum est , dum divinus poeta Apollinis depingit ornatum & Musarum protectionem in urbem Romam , relicto Helicone cum suis nemoribus & fontibus , iugales ferentium taedas : tum septem urbis montes , sacris personare carminibus , quae , fides pulsante Apol- line , saltantes deae divina mente fundebant , ut sui al- tumni Stellae , qui vates erat , cum Violantilla nobi- li egregiaque femina nuptias celebrantis , hymnis & choreis de more veteri institutoque maiorum , quem- admodum Plato scriptum reliquit , prosequerentur. Expendite nunc exordium poetae , quod libuit et- iam hic transcribere:

*Vnde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui Paeon nova pleetra moves? humeroque comanti
Facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone deae, quatiuntque novena
Lampade solemnem, thalamis coeuntibus, ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.*

A gratulatione rursum Soteriam pro Rutilio Gallico est auspicatus, quod gravi deploratoque iam morbo liberatus esset. huius est Silvae initium:

*Estis io superi, nec inexorable Clotho
Voluit opus; vidit alma pios Astraea, Iovique
Conciliata cadit, dubitataque sidera cernit
Gallicus. Es caelo, dis es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium fortuna tuum.*

Sunt praeterea, unde auspicato orationem aggrediamur: nam & a *meritis nostris* causam iniri licet.

Vnde Cicero suam est ad Quirites orationem exorsus, ante quam iret in exilium: *Si quando (inquit) inimicorum impetum propulsare ac propellere cupistis, defendite nunc universi unum, qui, ne omnes concideretis, ardoreque flammae conflagraretis, mei capitis periculo non dubitavi providere.* Ab officio: unde pro Archia poeta, ut: „ Si quid est in me ingenii, iu-
„ dices, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua
„ exercitatio dicendi, in qua me non inficior me-
„ diocriter esse versatum: aut si huiusce rei ratio
ali-

„ aliqua ab optimarum artium studiis & disciplina
„ profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae
„ tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in
„ primis hic A. Licinius fructum a me repetere pro-
„ pe suo iure debet. “ A *tempore*: unde pro M.
Coelio; nec gravabor, subiectis exemplis, maio-
rem lucem adferre. sic enim habet: „ Si quis, iu-
„ dices, forte nunc adsit ignarus legum, iudicio-
„ rum, consuetudinis nostrae: miretur profecto,
„ quae sit tanta atrocitas huiusce causae, quod di-
„ ebus festis, ludisque publicis, omnibus negotiis
„ forensibus intermissis, unum hoc iudicium exer-
„ ceatur: nec dubitet, quin tanti facinoris reus ar-
„ guatur, ut, eo neglecto, civitas stare non pos-
„ sit. “ A *loco*: unde pars exordii pro Deiotaro:
„ Nam post rempublic. (*inquit*) moveor etiam loci.
„ ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta
„ nulla unquam in disceptatione versata est, dico
„ intra domesticos parietes, dico extra conventum
„ & eam frequentiam, in qua oratorum studia ni-
„ ti solent. “ Ad extremum itaque quot sunt ne-
gotiorum personarumque circumstantiae, totidem
etiam possunt exordia fieri. *Circumstantiae* autem,
quamvis in re novae subinde suboriantur, ut prae-
ceptis comprehendi nequeant, satis fuerit indicasse
capita & fontes, unde ducantur. Verum neminem
in eo aberrare patiar, ut haec praecepta in demon-

strativi & non aliorum etiam genus competere putet; quum omnibus sint communia generibus. Reliquos exordiorum locos in *deliberativo* genere pertractabimus.

CAP. VIII.

Quando utendum exordio in demonstrativis orationibus.

Aristoteles quatuor *exordiendi* causas in *demonstrativo* genere statuit: vel quum dicentis persona requirit; vel adversariorum calumniae cogunt; vel quum non tanta res ipsa creditur ab eo; qui audit, quantam videri cupit orator; vel denique ornatus causa, ne aditus ipse orationis parum honestus esse videatur. Sed de his latius & fusius in *deliberativo* dicemus.

CAP. IX.

De modo componendi Exordium.

OMne autem *exordium* duobus, quantum intelligo, modis componi potest. Prior ex quatuor maxime propositionibus confici videtur, *expositione*, *ratione*, *redditione*, *comprobatione*. *Expositio* est oratio, quae ex aliquo exordiorum loco desumpta docilem, aut benevolum, aut attentum auditorem facit. *Ratio* est oratio accommodata expositioni, per quam

id,

id, quod expositum est, confirmatur. *Redditio* est brevis complexio, quae expositione, & ratione conficitur, & totius rei aperta propositio. *Comprobatio* est redditionis causa, quae quidem rem totam manifestius tangit. Hae propositiones quatuor ita debent disponi, ut alia aliam expectare videatur: quae ubi in oratione coierint, nihil sit amplius, quod desiderari queat. Exemplo uno M. Tullii totam hanc formam & exordiendi rationem explicabimus, quod in oratione pro M. Marcello divinitus est propositum. huius *exordium* est: „
 „turni silentii, P. C. quo eram his temporibus
 „usus, non timore aliquo, sed partim dolore,
 „partim verecundia finem hodiernus dies attulit:
 „idemque initium, quae vellem, quaeque senti-
 „rem, meo pristino more dicendi. “ Haec est *expositio*, etsi sensu multiplex. Infert deinde *rationes*:
 „Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam
 „inauditamque clementiam, tantum in summa po-
 „testate rerum omnium modum, tam denique in-
 „credibilem sapientiam, ac paene divinam tacitus
 „nullo modo praeterire possum. M. enim Marcel-
 „lo vobis, P. C. reique publicae reddito, non so-
 „lum illius, sed etiam vocem meam & auctorita-
 „tem vobis & reip. servatam ac restitutam pu-
 „to. “ Subdit sub haec *rationes*, quibus verecun-
 „diam & dolorem, silentii causam fuisse ostendit.

Ll 2

„ Do-

„Dolebam enim, P. C. vehementerque angebar,
 „quum viderem, virum talem, qui in eadem causa,
 „in qua ego fuisset, non in eadem esse fortuna.
 „Nec mihi persuadere poteram, nec fas esse duce-
 „bam, versari me in vestro veteri curriculo, illo
 „aemulo atque imitatore studiorum meorum atque
 „laborum, quasi quodam socio a me atque comi-
 „te distracto. “ Post haec sequitur *redditio*, expo-
 „sitioni & primae rationi accommodatior; & totius
 „causae, qua de laudibus agatur Caesaris, apertis-
 „sima *expositio*. „ Ergo & mihi, & meae pristinae
 „vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam ape-
 „ruisti, & his omnibus ad bene de omni rep. spe-
 „randum quasi signum aliquod sustulisti. *Compro-
 batio*: „ Intellectum est mihi quidem in multis, &
 „maxime in me ipso, sed paullo ante in omnibus,
 „quum M. Marcellum senatui, populoque Rom.
 „concessisti, commemoratis praesertim offensionibus,
 „te auctoritatem huius ordinis, dignitatem-
 „que reipub. tuis vel doloribus, vel suspicionibus
 „anteferre. “ *Exordium* profecto hoc est & per-
 „fectum ingenio & absolutum arte, dignum viro
 „eloquentiae principe. Sed alter est *modus*, & *posterior*,
 „quum initio ponitur aliqua sententia, tamquam
 „*exordii propositio*, cui postea subiicitur ratio, quae
 „*enthymema* faciunt. *Enthymema* autem constat pro-
 „positione & ratione: in quo illud inspiciendum es-

se duco, probationi anteponi propositionem. Quod
 priori statuitur loco, hoc ipsum probat quod con-
 sequitur: ut, *peperit, ergo cum viro concubuit*, ubi
 cum viro concubuisse, probatur, quae peperisse
 visa sit. Deinde sequitur alia probatio aut ampli-
 ficatio, aut adversativa, ut quatuor quidem sen-
 tentiis exordium contineri videatur. Pleraque Ci-
 ceronis exordia hac ratione constare video, in quo-
 rum numero illud pro Archia poeta iure reponi so-
 let. Nam initio ponit propositionem: *Si quid in di-
 cendo possum, praecipue Archiam eloquentia mea tue-
 ri debeo*. Deinde sequitur ratio propositionis. Quia
 Archias iuvit haec mea studia. Mox conclusio en-
 thymematis: *Si mea eloquentia aliis profui, quanto
 magis isti prodesse debeo, a quo excitata est*. Hic inse-
 ritur adversativa: *Sed miretur aliquis, quomodo ora-
 tor a poeta adiuvari possit?* Hanc quoque solvit uno
enthymemate, quia artes inter se cognatae sunt. Dein-
 de petitione finit, ut se de causa dicentem audiant.
 Illud postremo non est ignorandum propositioni in-
 terdum opponi statim adversativam; interdum bre-
 ves quasdam amplificationes inseri.

CAP. X.

De interpositis in oratione exordioli: & quae praestare in exordio debeat orator.

IN tota rursus oratione quoties causa praebit opportunitatem, *exordiola* quaedam admiscebimus, quibus favorem, attentionem, docilitatem renovemus. Hoc autem commodius fiet *transitionibus*, quod genus fuerit: *Audistis largitione, corruptela, sanguine paratum honorem: nunc ostendam, illud, quod turpiter est adeptus, turpius administrasse.* Item: *Magna sunt haec; sed levia prae his, quae nunc dicemus.* Et: *Nunc ad ipsum rei caput accedo. Proinde quaeso, ut haec animis quam maxime attentis audiatis.* Et: *Alius paullo repetamus, sed ita verba sum facturus, ut neque sine fructu, neque sine voluptate, sitis audituri.* Ad hunc modum possunt innumera fingi. Sed meminerimus praeterea tria esse exordii munera, ut *delectet, moveat, doceat*: quae non tantum in exordio praestari oportet, sed per totam etiam causam diligenter servari. Quin plenius in reliquis partibus, quam in exordio, curanda providendaque sunt. Nam & *narratione* latius & *confirmatione* docemus, & vehementius movemus *epilogo*. Quocirca non tam haec praestare, quam polliceri potius *exordio* videmur.

CAP.

CAP. XI.

De Narratione.

Narratio proxima est *exordio*. Haec in demonstrativa oratione continens est & perpetua, cuius vel ea virtus praecipua est, ut sit *probabilis*. Id autem tribus maxime rebus consequemur. Si sit *argumentosa*, si *consentanea rebus*, si *per se consequens*. *Argumentosa* est, quae causas habet rerum. *Causas* autem ut habeat, non satis est summas rerum exponere, sed singulis etiam partibus expositionis causas addere: cuiusmodi est *Sinonis Virgiliani narratio*, qua nescio, an ulla sit apud Ciceronem vel praestantior arte, vel in re vera credibilior, quam haec fuerit in mendacio. Numquam quidem homo *Graeculus Troianis* fidem fecisset, nisi singulis etiam expositionis partibus *causas* mire *consentaneas*, & ordine *consequentes* subiecisset; cuiusmodi est:

Saepe fugam Danaï Troiâ cupiere relicta.

Moliri.

Et *causam* addit:

Et longo fessi discedere bello.

Et illud:

Eripui fateor leto me, & vincula rupi.

Hoc credibile facit subiecta *causa*, quod omnes in eius

eius

eius pernitiem Graeci conspirassent, quum subdit:

*Adsensere omnes, & quae sibi quisque timebat,
Vnius in miseri exitium conversa tulere.*

Habuit quoque illud magnam veritatis speciem, ut narranti Sinoni haberetur fides, quod oraculo moniti Graeci, humana victima reversuri essent in patriam, cuiusmodi litatione Troiam venissent; in hanc vero sacrificii religionem Sinon omnium consensu vocaretur. Sic enim subiecit:

*Sanguine placastis ventos, & virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danaï venistis ad oras:
Sanguine quaerendi redivus, animaque litandum
Argolica.*

Erit praeterea consentanea rebus, si personis, locis, temporibus, rebus consentiat. Personis quidem, si quales sint, talia earum facta dictaque fingantur. Nec enim eadem conveniunt Achilli, Nestori & Ulyssi verba; nec eadem facta erunt in his probabilia. Sic & alia feminam, alia virum, alia doctum, alia rusticum & imperitum, alia militem, alia philosophum decebunt. Denique naturae ac moribus cuiusque narratio respondeat. Sic Catonem senem fingemus liberum, submorosum ac iurgabundum, qualis a Livio cum aliquot in locis, tum libro tertio belli Macedonici introducit, feminarum cultum & ornatum lautiolem dissuadens. Q. Fabium Cunctatorem,

ta-

tacitum, & qui facile celare, dissimulare, insidiari, praeripere hostium consilia visus sit. Hannibalem callidum, varium, perfidum, indefatigabilem, omniscuntationis impatientem idem descripsit Livius. De Graecis autem Socratem sanctum, constantem, dulcem & facetum, festivique sermonis, atque in omni oratione simulatorem divinus Plato in suis semper Dialogis introduxit, & huius postea exemplo depinxit Tullius. Sit itaque digna personae *expositio*, quae fidem impetrare cupit. Neque enim rectius probabilis dignaque fide iudicabitur, quam si *decorum* servet in personis, in sermocinationibus, in dialogis. Hic quidem profuerit omnium animantium rerumque naturas perspectas habere, quae ex philosophorum aditis peti debent. Hominum vero ingenia probe explorabimus cognoscemusque ex historicis, sed multo tamen exactius a veteribus comicis. *Consequens* autem erit narratio, si ordine textatur, si prioribus sequentia non discrepent, si sic exponantur priora, ut ex his expectentur, quae posterius dicuntur. Illa quoque addi video a magistris eloquentiae, ut brevis & dilucida sit. His ego adiungo: nihil oportere narrari, quod causae noceat; cuius summi criminis Cepasium oratorem M. Tullius arguit in oratione pro A. Cluentio, quem de prooemio alte petito etiam accusavit: *Incipit*, inquit, *longo & alte petito prooemio respondere maior Cepasius.*

Mm

Et

Et deinde: *Postea quam de re coepit dicere, ad ea, quae erant in caussa, addebat etiam ipse nova quaedam vulnera. Vulnera dixit Cicero pro damno & detrimento.*

CAP. XII.

De Locis narrationis.

N*arrationis loci in demonstratione varii sunt. Aliis enim in laudationem personarum utimur, aliis in laudem factorum ac rerum. Dicendum igitur primum est de his locis, quos in personarum laudationibus oratores usurpare solent: deinde ordine de aliis disseremus. Personae autem trifariam laudantur. Primum ordine narramus historiam, & rerum seriem indicendo sequimur. Deinde praecipuas aliquot earum virtutes, nempe iustitiae, prudentiae, fortitudinis, temperantiae, & quibus maxime commendabiles sunt. Postremo per comparationem: quum videlicet quempiam componimus cum viris aliquot omnium consensu summis: ut si quis Carolum Caesarem imperatorem Romanorum laudaturus, compararet cum Alexandro Magno, cum Iulio Caesare, cum Traiano: ac decerpens, quod in singulis fuit eximium, ostendat, Carolum Caesarem in omnibus fuisse parem, aut etiam superiorem. Sunt igitur loci personarum, qui ad primum laudandi modum*

spe-

spectant, genus, natio, patria, educatio, institutio, mores, studia, sodalitia, conditio vitae, accidentia circa mortem. *Genus* enarrat statum & conditionem avorum, proavorum, parentum, cognatorum, consanguineorum. *Natio* mores & ritus populi. *Patria* locum seu situm, unde oriundi sumus. Magnam enim vim habent hi loci tres in omnes homines. Nam & liberi parentes referunt moribus & ingenio, vitaeque institutis etiam sequuntur. Et a caelo formatum est genus hominum, unde suam illam quaeque natio tam admirabilem oris, vultus, linguaeque varietatem habet: tam multiformes figuras & colores accipit, & quidquid est ingeniorum, morum, consuetudinum, partim patria, partim natio, partim institutio & educatio dedit. Sed audiamus virum illum eloquentissimum contra Asiaticos testes in oratione pro L. Flacco, ubi Asiaticorum hominum fidem & testimonium a patria & natione elevat: „Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, „Caria, Lydia: Vtrum igitur nostrum est, an vestrum hoc proverbium, Phrygem plagis solere esse meliorem? Quid de tota Caria? Nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? „Quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despiciatui ducitur, „ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nam quid ego

Mm 2 di-

„ dicam de Lydia ? quis umquam Graecus Comoe-
 „ diam scripsit, in qua servus primarum partium
 „ non Lydus esset? “ Sed ecce rursus in eadem ora-
 „ tione summis evehit laudibus Athenienses, Lacedae-
 „ monios & Masilienses, a natione & patria semper
 „ petita laude: „ Adsunt Athenienses, unde humani-
 „ tas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae atque
 „ in omnes terras distributae putantur: de quorum ur-
 „ bis possessione propter pulchritudinem etiam inter
 „ deos certamen fuisse proditum est: quae vetustate ea
 „ est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur: & eo-
 „ rum eadem terra parens, alitrix, patria dicatur: au-
 „ ctoritate tanta est, ut iam fractum prope ac de-
 „ bilitatum Graeciae nomen, huius urbis laude nita-
 „ tur. “ Tota haec Athenarum laus in Athenienses
 „ singulari artificio refunditur. Cetera omittimus ex-
 „ empla, ne multis, quod saepe in rebus etiam prae-
 „ claris accidit, lectorem obruamus. Porro autem in
 „ institutione, educatione, moribus, ac sodalitiis con-
 „ siderantur nutrices, aequales, praeceptores. Item quo-
 „ modo quisque vixerit, & apud quos. Hinc Iusti-
 „ nus historicus, totum illum clarissimarum virtutum
 „ cumulum sibi Philippum regem comparasse putat;
 „ quod a pueritia in domo Epaminondae educatus
 „ fuisset. Et D. etiam Hieronymus de suis praecepto-
 „ ribus iure gloriatur. Quid quod illustri M. Tullii
 „ exemplo expressum hoc est eloquenter, & consi-
 „ gna-

gnatum acute in oratione pro L. Murena, quum M.
 Catoni Stoicum & superciliosum praeceptorem, di-
 sciplinamque plus aequo severam obiicit. Iam vero
 studia & conditio vitae indicat artes liberales, &
 quae eis cognatae sunt, quas *sellularias* appellamus,
 veluti sunt gladiatoria & testudinaria. Res gestae ex-
 plicant facinora sive foris, sive domi facta. In morte
 disputatur de constantia animi erga mortis dolores
 infracti, de pompis funebribus, de fama, quae est se-
 quuta mortem, atque adeo de omnibus rebus, quae
 circa mortem accidere solent. Hinc latissimus decla-
 matoribus se offert campus laudandi Socratem & At-
 tilium Regulum. In his locis, ceu divite quodam the-
 sauro, reconditae sunt laudationis personarum opes,
 quas utroqueversus usurpari licet, vel in laudem vel
 in vituperationem. Nam genus, patria, educatio,
 & quae ex his reliqua personis attribuuntur, ut aliis
 laudem, ita quoque aliis vituperationem adferunt.
 Praeterea secundo modo personas laudamus, quum,
 relicta totius vitae historia, virtutes, quae fuerunt
 in his praecipue, praedicamus; puta *pudicitiam*, *to-*
lerantiam, *modestiam*, *liberalitatem*. Nam in aliis
 aliae clarius eluxerunt. Veluti in Socrate insignis
 fuit *patientia*, in Phocione *sanctitas*, in Fabricio &
 Curtio *frugalitas*, in Attilio Regulo *tolerantia*. At-
 que ad eundem modum de ceteris. Exstant huius ge-
 neris exempla non pauca apud Ciceronem, sed in
 illo

illo ipso quod a nobis pro Marcello propositum est, comprobari ostendique satis fuerit. Nam quum Cicero per locum communem egressus esset ad laudandum Caesarem, hanc rationem sequutus, principem illum de humanitate, clementia, sapientia, & rerum gestarum gloria, ornate & copiose commendavit: quem, quum multis viris magnis comparasset, superiorem demum omnibus fuisse praedicavit. Sed nulla in re magis excelsas animi virtutes ostendisse inquit, quam in restituto senatui reique publicae M. Marcello. Porro tertius est laudandi modus per *collocationem*, qui tam fuse lateque patet, ut non personas modo, sed facta etiam & res complectatur. Nam cuiusvis rei laus comparatione quidem crescit, si cum eiusdem generis re componatur. Hanc laudandi formam video frequenter usurpari a poetis; aut quia hoc genere laudationis peculiariter sunt delectati; aut quod existimarint, ad delicias carminis convenientius facere. Papinii Statii Silvae ad hanc prope modum rationem fere omnes sunt compositae. Vna de equo maximo Domitiani Silva ad id, quod agimus, fuerit satis. Vbi equus maximus Domitiani Caesaris primum confertur cum equo Troiano, deinde cum Arione & Cyllaro, mox cum equo Curtii, postremo cum Caesaris dictatoris equo, qui similes hominis priores fertur habuisse pedes. Martial. etiam in laudando Caesaris *amphitheatro* hanc metho-

thodum sequutus fuit. Nam, cum colosso Memphitico, & hortis pensilibus, & templo Ephesino, & Hannonis ara eleganter comparavit, quibus multis deinde partibus Caesaris *amphitheatrum* anteposuit. Ad hunc etiam modum Horat. villam Tiburtinam laudibus est prosequutus. *Laudabunt alii claram Rhodon, ait, aut Mytilenen.* Quarum amoenitatem ubi miris extulisset modis, ostendit protinus, quanto his sit amoenior & laetior villa Tiburtina. Hoc praeterea ipsum oratoribus facere operae pretium est; sed ita ut tota oratio comparationibus non constet: nam preterquam quod invidiam dicenti facit, & crebra frequensque comparatio odium conflat, nisi quaedam etiam immiscuerimus vel de bonis animi, vel de commodis corporis, foeda quidem, & quae vix sustineri possit, constituetur oratio. Inter commoda porro, quae homini attribuuntur, animi potissima sunt, atque inter haec primas tenent, quae consilio & cogitatione nostra constant, *prudencia, iustitia, fortitudo, modestia.* Si quidem *docilitas, celeritas ingenii, solertia naturalis*, atque id genus cetera, quae dono quodam naturae hominibus dantur, non tantam possidenti adferunt laudem. Quae vero corporis sunt, medium locum habent: ut *forma, bona valetudo, sagacitas sensuum, dignitas oris, facundia*, & si qua sunt alia huius generis. Commendant haec quidem virtutem

tem per se. Speciosiora sunt si haec paravit, aut auxit animi probitas. Nam animus placidus ac modestus nativam corporis formam commendat, quam dehonestat *invidia*, *iracundia*; *luxus* ac *temulentia*, quae res offiunt nonnumquam & valetudini. Postremas partes ferunt bona externa, quae casu, aut fortuna secunda, aut adversa accidere possunt. Ut *genus*, *educatio*, *divitiae*, *potestas*, *gloria*, *amicitiae*. Bona quidem fluxa sunt haec & prorsus caduca, quod nesciant perpetuo durare, & in eodem persistere loco; sed in horas mutantur, & velut aqua in interitum dilabuntur. Vnde, quidquid habent laudis, hoc totum ex honesto usu comparatur. Quare sit hoc a nobis in universum praeceptum, ipsa cum externa, tum naturae sive corporis bona eatenus nobis laudi oportere tribui, quatenus ad animi virtutem collata fuerint. Idque in primis providendum est, ut ex corporis commodis ostendamus virtutes animi. Velut per formosam formam mentis pulchritudinem significemus, per divitias animi liberalitatem in pios honestosque usus. Ad hunc modum facile erit, quamlibet rem ad laudem, aut vituperium conferre. In hoc autem genere perpetua est *narratio*, tametsi incidant interdum loci, qui habent aliquam *disputationem*, ubi confirmatione & refutatione utimur: ut si quis laudaverit Iulium Caesarem; excusabit illum, quod bellum

Iu-

adversus patriam moverit; quia inimici, quum illi beneficium populi eriperent, priores bellum indixerunt ac moverunt: nec dubium est, quin conspiratione inimicorum oppressus esset, ni ab exercitu auxilium implorasset.

CAP. XIII.

De Genere demonstrativo factorum.

Genus demonstrativum factorum est, in quo laudantur, aut vituperantur facta. In hoc genere omnes orationis partes existere possunt, *exordium*, *narratio*, *confirmatio*, *confutatio*, *conclusio*. Locos mutuamur ex genere deliberativo, *honestum*, *utile*, *facile*, *possibile*: ut si quis laudet factum Furii Camilli, qui impurum illum & nefarium Faliscorum ludimagistrum, nudum, & manibus a tergo revinctis, pueris caedendum virgis tradidit; aut Martii Curtii memorabile factum, qui se unum pro salute totius reip. morti destinavit, intraque vastum specum cum equo armatum immisit: aut Deciorum illud cum primis laudabile, qui pro salute exercitus se diis Manibus devoverunt. Primum vero, ut de Camilli facto loquar, *honestatis* loco utemur, quod deceat imperatorem efficere, ut disciplina militaris sancta sit & inviolabilis. *Argumentum* sumemus non-

Nn

so

solum ab imperatoris persona, sed etiam ab ipsius rei turpitudine, quae proditiōis perfidiaeque scelere odiosa est: ab *utili* erit, quod eo facto civitas Faliscorum in deditiōem statim Romanorum venerit, quae non nisi sero, & multa cum mortalium strage alias caperetur: aut, quod certius erat, proditiōis rabie commoti Falisci, ad invadendum Romanos animosiores (ut saepe fit) redditi, Romanorum exercitum disturbarent. Habet hic *laus* difficultatis nonnihil: quod Furius Camillus noluisset sine periculo, & duro militiae labore Faliscorum urbe potiri, repudiata capiundae urbis occasione, quae sine suorum sanguine & detrimento offerretur; ubi tanta postea difficultas & periculum capiundae urbis immineret. Hic tamen mire spatiosus se aperit campus de clementia, humanitate, magnanimitate animique celsitudine ipsius Camilli, quod omnes hae virtutes, & aliae non parum multae in hoc memorabili iuxta atque praeclaro facto, velut in speculo, reluxerunt. Potest hic conferri Camillus cum suae, tum aliarum gentium imperatoribus, ut superius a nobis praeceptum est. Porro *circumstantiae* sunt quaedam ludentes circa factorum tractationem, *locus, tempus, occasio, modus*; unde educi possunt argumenta ad confirmandum, vel contra diluendum propositum factum. Si quidem momenti habet quamplurimum novisse, quo quisque loco, tempore, oc-

ca-

casione, modo rem fecerit, quae si in Camilli facto consideramus, laudationis amplissimum fructum percipiemus.

CAP. XIV.

De Genere demonstrativo rerum.

Genus demonstrativum rerum est, quo res laudantur, aut secus: ut artes, Philosophia, Medicina, eloquentia. Res autem eodem modo laudantur, quo facta: ab *honesto, utili, facili, possibili*. Incidunt etiam in hoc genere res natura diversae, quibus varios laudationis locos pro cuiusque conditione tribuimus. nam & laudamus regiones, urbes, domos, hortos, arbores, fluvios, fontes, & res specie varias, quae singulos & maxime differentes locos postulant. Primum quidem *regiones* commendant prosperitas aeris, deinde fertilitas, frequentia virorum, urbium situs, amplitudo, antiquitas, primi inhabitatores. *Urbes* commendantur ab antiquitate, prima origine, situ, fundatore, religionis studio, republica, senatu, frequentia, studio pacis, civium urbanitate, domorum magnificentia, variarum rerum copia, prosperitate aeris, amoenitate. Res infinita esset de singulis rebus velle locos tradere. Memoria tamen teneant eloquentiae candidati, ut quam

Nn 2

lau-

laudandam susceperint rem, semel ac iterum praesenti animo inspiciant: sic enim inuenient, unde laudationis locos ducant, qui in rei circumstantiis reconditi sunt. Sed nihil ego praetereundum censeo sine exemplis, quae rem ipsam ante oculos ponant. M. Tullius V. Verrina his propemodum locis Siciliam commendavit; & Plinius in laudanda Italia hos eloquentiae fontes resignavit, ingentemque nobis reliquit exemplorum copiam. Eadem nos in celebrandis publica olim concione Burgis, civitate disciplina & gravitate nobili, imitati sumus. Nec pudore rustico commovebor, quin pauca quaedam infirmioribus ingeniis hic proponam, quibus ceu praecipitis dicendi rationem exercent, aut rudimentum aliquod eloquentiae ponant. „ Intus habet, quocumque „ oculos inferas, nobilissima urbs Burgi, patria tua, „ amplissimam laudis materiam, & uberrimam immortalis gloriae segetem, sive reip. spectes, sive religionis studium pendas, sive populi frequentiam, civium fidem & probitatem, variarumque rerum copiam animo praesenti contempleris. „ Resp. primum ea est, qua nec ipse auderet divinus Plato praestantiorum exoptare, pacis amantissima, legibus & maiorum sanctissimis institutis praeclare fundata: in qua omnes cives concordissime vivunt, fidem servant, publica aut privata odia (quae civitatum omnium venenum „ est)

„ est) naturae virtute corroborati, disciplina deinde nobilitati, nequeunt. Testatissimum est hoc nationibus, non dico nomine sapientiae claris & morum civilitate ornatissimis; sed immanitate etiam barbaris, & nullo reipubl. studio, vitaeque cultu horridis, ad quas Burgenses, mercatura industrii homines diligentesque vel infero superoque mari frequentes commeant, vel Oceano vasto lateque supino procurrentes, nusquam non exoptati populares gratiosi convolant. Sed illud mirari nequeo satis, hominibus negotiatoribus tam perpetuo potuisse constare fidem, ut nulla umquam mendacii nota inusti, nulla fraude notati, nulla immoderatae cupiditatis labe contaminati, & re integra, & labefactatis deformatisque opibus, post urbem illam gloriose conditam fuisse dicantur. O reip. vere Platoniam, immo vero Christianam! o viros ad iustitiam aequitatemque natos, ubi ius summa religione colitur, ubi summa omnes concordia vivunt! Quod nos in uno reip. ostendimus loco, & in reliquis tantumdem, qui ad eloquentiae lumen contendunt, ex praeceptis, & illustrium auctorum imitatione efficere contentur.

CAP. XV.

De Epilogo.

POstrema orationis demonstrativae pars est *epilogus*, qui artificiosus totius orationis terminus est. Hic quidem quum in aliis generibus late pateat, in demonstrativo autem tum maxime laudatur, quum per enumerationem constituitur. Hic foedae *repetitionis* taedium erit in primis vitandum: quod duobus fiet modis. Primum, si diverso modo argumenta repetantur, quam in *confirmatione* fuerit factum, adhibita tamen *amplificatione*. Deinde si argumenta ipsa magis ponderentur, quam vel repetita ingerantur, vel ingesta leviter memorentur. Nec repetendi omnia nimia simus cura districti: modo, quae iudicaverimus praestantissima, quaeque plus habuerint roboris & momenti, praesenti consilio, altaque prudentia, ut apud Ciceronem voluit Antonius, perpendantur.

CAP.

CAP. XVI.

Quae forma dicendi magis conveniat generi demonstrativo.

NVnc quidem videndum est, quae *dicendi forma* demonstrativis orationibus magis conveniat. Si quidem non est oratori haec cura repudianda, quum sint multiformes dicendi characteres: quos si omni causae quis accomodaverit, ille mihi perinde facere videbitur, ac si una pedis forma omnes homines calceare conabitur. Huius igitur generis, quod & *laudativum* & *ἐγκωμιστικὸν* Graece vocamus, *iucunditas*, *amoenitas*, *perspicuitas*, *ornatus*, *splendor* & *amplitudo* peculiaris sunt. idcirco summa ope niti decet, ut multum habeat iucunditatis & amoenitatis quamplurimum, circumfuso per totam orationem sententiarum splendore, verborumque apparatu & magnificentia undique circumstante. Qualis fuit illa oratio saepe a me multumque repetita pro Marcello, quam toties oportere meminisse me puto, quod paucae in eo genere exstent apud Ciceronem. Hanc autem dicendi formam obtinebimus, si iucundas sententias cum amoenis etiam splendidissimisque verbis coniunxerimus. *Iucundae sententiae sunt fabulosae omnes. Deinde historiae*, quae fa-

fabulis propriores sunt. Cuius sane rei proposita nobis sunt exempla a M. Tullio omni eloquentia consummata, dum eleganti perinde atque iucunda amoenaeque narratione Verrina III. refert partum Latonae apud Delum, & Verrina VI. raptum Proserpinae: qua nihil una, magisque in tempore potuit a viro perfectae eloquentiae iucundius gratiusque adhiberi, ut oblectatione fabulosae historiae recreati auditores, ferrent equo animo quod reliquum erat actionis. Conciliant praeterea hanc gratiam orationi, quae sensui iucunda sunt, ut *risui*, *odoratui*, *gustui*: quae quidem, si particulatim explicantur, suavitate etiam fabulas excedunt. Verum, quoniam eorum, quae sensu percipiuntur, nonnulla *honestae*, multa *turpia* sunt; providendum est, ne aperte nudeque dicantur. nam turpia, si aperte dicantur, offendunt magis; nisi quis apud scurriles homines, quibus huiusmodi res non dicere modo aperte, sed facere quidem non est pudori, orationem haberet. Quare, quae *turpia* sunt, si turpitudinem tegunt, non solum non amittunt iucunditatem, modo intelligantur; sed aliquid etiam deliciarum (quoniam honestius dicuntur) sibi adiicitur. Porro autem *res turpis* quatuor modis honestius efferri potest. Aut *permutatione*, quae est oratio aliud verbis, aliud sententia demonstrans; ut Virgil: *Summo ulularunt vertice Nymphae*. Idem in Geor-

gi-

gicis: *Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat*. Aut si pro eius rei, quam exponere volumus, nomine proprio, aliud, quod vel similitudine, vel adfinitate transferri possit, accipimus. Hinc ebrium *Liberi patris plenum* dicimus, *Venerem* pro luxuria. Aut ambiguo: ut illud est Ciceronis: *Quae navis in publico flumine tam vulgata, quam istius aetatis fuit?* Quartus modus est, quum nec allegorice, nec translatione verbi, nec ambigue res exprimitur; sed ab antecedentibus, aut consequentibus, aut ab his, quae agere, aut pati natura soleant, vel quae aliquo pacto ad gestionem negotii pertineant: qualia sunt, *dare operam liberis: celebrare nuptias: Speluncam Dido dux & Troianus eandem Deveniunt*. Et Cic. *Clodium mulierem saepius inter viros fuisse dicit*. Et *An ex suorum cubiculo egressus, pudorem pudicitiamque defendat*. Igitur quae sensibus iucunda sunt, ea relatu quoque suavia putantur. Sed rerum turpitudine (ut monuimus) oratione semper tegenda est; quae autem obscenitate carent, apertissimis, & quam maxime propriis vocabulis explicentur: ut fere omnes sunt, quae *visu*, *auditu*, *odoratuque* percipimus. Vt si quis rosarii pulchritudinem, hortorum proceras arbores, ordinibus per quincuncem dispositas, sese in orbem formosius fundentes, vivo gurgite semper manantes fontes, sonorum harmoniam & concentum, avium garritum & suam

O

suum illam cantilenam describit. His etiam illa ad-
dimus, quibus amores continentur: quae, si (ut
poetae faciunt) confingimus, iucunditas gemina
comparabitur. Commemoratio rursus tenerae aeta-
tis nobis iucunda est: laborum quoque recordatio,
si magno pertulimus animo, plurimum adfert iu-
cunditatis. Ad haec, amoena sunt omnia, quae aut
ex comicis, aut poetis decerpta usurpamus: ut *ce-
do, dic sodes, lubet*, & quae sunt huiusmodi: qua-
re non ineptum erit, & versus ex aliquo poeta in-
terponere, si iucunde loqui volumus. Quamquam
in nulla oratione, quantum ego recordari possum,
videam a Cicerone factum; in libris philosophicis
saepe. Insuper *epitheta* plurima, & pulchre accom-
modata non minimas voluptates accumulunt; hu-
ius signum, quia poetae, qui delectare maxime cu-
piunt, his abundant *schematis*. Postremo & *figu-
ris*, quae lumina sunt orationis, praesertim quae
per se pulchra sunt & iucunda, cum multo gra-
tiores, tum digniores quoque orationem reddunt.
Quocirca mihi pauca dicenda sunt hoc loco de
figuris generi laudativo convenientibus.

CAP.

CAP. XVII.

*De figuris generi demonstrativo familiaribus, magis-
que convenientibus.*

Figurae, quae in hoc genus frequentius cadunt, hae
propemodum aliorum exemplo, & multa frequen-
tique observatione mea sunt adnotatae: *traductio-
nes, agnominationes, similiter cadentia, similiter de-
sinentia, ratiocinationes, contraria, gradationes, com-
mutationes, circuli, articuli*. In his summa est volu-
ptas reposita, & iucundus ampliusque ornatus. *Tra-
ductio* est, quae facit, ut, quum idem verbum sae-
pius ponatur, non modo non offendat animum,
sed orationem etiam festivorem reddat. Hoc mo-
do: *Qui nihil habet in vita iucundius vita, hic cum
virtute vitam non potest colere*. Ea fit variis modis.
I. est, quum eadem vox cum gratia repetita, non
variat sensum: ut, *Minus amat Deum, qui aliquid
amat praeter Deum, quod propter Deum non amat*.
II. modus est, quum eadem vox, sed alio signifi-
cato, iteratur: ut, *Eum hominem tu vita, qui spem
omnem collocavit in hac vita. Contemne res huius mun-
di, quibus nihil est mundi: eas cura, quae te libe-
rent omni cura*. III. argutior est, quum eadem vox
per se quidem ambigua non est; sed in diversum

Oo 2

de-

detorquetur : ut , *Proculcius querebatur de filio , quod exspectaret mortem patris : quumque filius respondisset , non exspecto ; immo (inquit pater) rogo , ut exspectes. Exspectat mortem hominis , qui optat ; & exspectat , qui nihil molitur ante mortem , sed aequo animo fert illum esse vivacem.* IV. modus plusculum habet dignitatis , quum eadem vox occinitur , quae velut *echo* sonum refert , quale est illud *Paulli : Cui tributum , tributum : cui vectigal , vectigal : cui honorem , honorem.* *Agnominatio* est , quum vox repetitur , non prorsus eadem ; sed aliqua ex parte immutata vel adiectione aut detractioe litterae aut syllabae , vel productione aut correptione , vel immutato casu. Primi exemplum est : *Deligendus est , quem diligas.* Item : *Videte , P. Conscripti , ne videamini circumscripti.* Habent haec plurimum gratiae , quum commode incidunt , non adfectata : ut si quis dicat : *Eos , qui insanis divitibus emolumentum gratia blandiuntur , sic esse adrisores , ut iidem sint irrisores atque etiam adrosores.* Item dicimus : *Hic non tantum curiam diligit , quam Curiam.* *Curia* prima correpta meretricis est vocabulum. Tertiū sit illud exemplum : *Est tibi pater indulgentissimus : patris huius caritas te debuit ad obsequium invitare : patrē tamquam praecipienti non erat grave morigerum esse : si amantem patrem par erat redamare , a tam benévolo patre non oportuit dissentire.* Similiter cadens

ex-

exornatio dicitur , quum in eadem constructione verborum , duo aut plura sunt verba , quae similibus casibus efferuntur , hoc modo : *numquam fruatur sapientia , cui invisā est industria.* Similiter *desinens* est , quum , tametsi casus non insunt in verbis , tamen verba similes exitus habent , hoc pacto : *difficile est sapere simul & amare.* *Parcius* de his ago , quod puerilia semper ego putarim haec duo *schemata* : quae tunc irrepsērunt in studia , quum iam degenerasset illud naturale dicendi genus a maioribus traditum. Declarant hoc *Apuleii Florida* , & qui huius aetate floruerunt auctores. Nam , gravitate orationis repudiata , *agnominationibus* , & *similiter cadentibus & desinentibus* suos libros refererunt. Ceterum *similiter desinens* fit *floridius* , si *contrariis* , *agnominationibus* , aliisque similibus commendetur. *Ratiocinatio* est , quam Graeci *διαλογισμὸν* appellant. Ea fit , quum ipsi nos interrogamus , & iidem ad interrogata respondemus , perinde ac si duo sint colloquentes ; ut : „ Cole litteras , mi Martine , quae te multum generosiores reddent. Quid „ ita ? Quia litterarum studia solent non illustrare modo maiorum fumosas imagines ; sed hominibus quoque novis recentes erigere ? Vnde (inquis) istud scis ? Atqui a Saetabitanis hoc didici , apud quos plusculum temporis demoratus sum , qui soliti erant non semel mihi iactare duos „ Pon-

„ Pontifices maximos, & patres purpureos quin-
 „ que, quos *Cardinales* vocamus, litterarum stu-
 „ diis ex urbe Saetabi ad summam dignitatem eve-
 „ ctos. Quenam istis nunc gloria est? Certe in
 „ terris aere perennior. Nam, quod litterarum mo-
 „ nimentis semel expressum & consignatum est,
 „ nullo casu aut fortuna amitti potest. “ *Contra-*
rium est, quod ex rebus diversis duabus alteram
 breviter & facile confirmat; hoc pacto: *In otio tu-*
multuaris; in tumultu solus es otiosus. Item: *In re*
frigidissima cales, in ferventissima friges. Nihil fe-
 re hoc schema differt a *contentione*. *Gradatio* est,
 quum a verbis in verba subinde graviora adscen-
 dit oratio; ut: *Africano industria virtutem, virtus*
gloriam, gloria aemulos comparavit. Virgilius: *Tor-*
va leaena lupum sequitur, lupus ipse capellas. Su-
 mitur fere ab adiunctis & eventu; quod his sane
 declaratur exemplis; ut: *Quae reliqua spes libertatis*
manet, si illis, & quod libet, licet; & quod licet, possunt;
& quod possunt, audent; & quod audent, faciunt; &
quod faciunt, vobis molestum non est. *Commutatio* plu-
 riimum habet venustatis inverso sententiae ordine:
Non est vivendum, ut edas, sed edendum, ut vivas.
Non possidet pecuniam, qui servit pecuniae; sed cui
servit pecunia. *Circulus* est, quum eadem vel simi-
 li adiectione claudimus orationem: ut, *servirem tibi,*
si essem similis tibi. *Notatio*, quoniam mores & in-
 ge-

genium cuiusque suis depingit coloribus, multum
 habet voluptatis. Veluti si describas imaginem *lu-*
xuriosi, prodigi, parci, avari, amantis, mere-
tricis, adulatoris, heredipetae, temulenti, gloriosi,
ambitiosi, zelotypi, iracundi, invidi, superstitiosi,
ostentatoris, qui velit haberi dives, quum sit pauper;
doctus, quum sit imperitus. Vnum M. Tullii adfera-
 mus exemplum e multis, quae in orationibus expo-
 sita sunt. id autem contra Pisonem erit: nam illud
 Antonii ex divina Philippica, qualis ex amicae aedi-
 bus egrederetur, omnibus vulgatum est. Sic enim ha-
 bet: „ Iamne vides bellua? Iamne sentis, quae sit ho-
 „ minum querela frontis tuae? Nemo queritur, Sy-
 „ rum nescio quem de grege novitiorum factum esse
 „ consulem. Non enim nos color iste servilis, non
 „ pilosae genae, non dentes putridi deceperunt:
 „ oculi, supercilia, frons, vultus denique totus,
 „ qui sermo quidam tacitus mentis est. “ In Comicis
 etiam & poetis permulta reperiuntur huius figurae
 exempla.

CAP. XVIII.

De usu Schematum.

IN usu *schematum* modus erit adhibendus. Nam, ut nihil est vel formosius, vel iucundius, si parce, & suis quaeque locis ordinatae ponantur: ita etiam tota gratia & orationis gravitas pereunt, quum sine modo ingeruntur. *Schemata* quidem volumus in oratione; sed modum quoque postulamus, & ornatum, talem quaerimus, qualis honestam deceat matronam, non meretricem impudicam. Ita denum paranda sunt in oratione schemata, ut procul absint scurrilitas, effeminatio, mollitia. Nam obruit orationis pulchritudinem schematum troporumque immodica copia. Vt enim gemmae distinctae locis, plus elegantiae, ornatus & decoris vestimentis addunt, quam si densae confertaeque pendeant; ita profecto, quae rariora sunt schemata, plus adsciscunt splendoris & honestatis. Hoc vitio, quum iuvenes essemus, orationem corrupimus, quam *De laudibus regis Davidis* Valentiae scripsimus: nam frequentissimis tropis & schemate perpetuo totam orationem effeminavimus. Ceterum haec luxuries dictionis commendatur in iuvenibus, quam speramus tamen stilo cum aetate depascendam esse.

CAP.

CAP. XIX.

De Compositione.

QVoniam quidem oratio decenter ornari non potest, nisi absoluta perfectaue compositionis cognitio adsit, quae artem modumque doceat; magnum pretium operae me facturum existimo, si brevem quamdam commentatiunculam de hoc etiam argumento praescripsero. Hanc vero quibusdam pronuntiatis excipiam. I. *Pronuntiatum* esto: In omni compositione tria sunt necessaria, *ordo*, *iunctura*, *numerus*. De singulis disserendum est, quo magis in aperto, & ad intelligendum illustria sint omnia. II. *Pronuntiatum*: Ordinis observatio in verbis est singulis & contextis. Singula sunt *asyndeta*, ut: *Veni, vidi, vici*. In his cavendum est, ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius; ut sacrilego fur, aut latroni petulans: nam augeri debent sententiae & insurgere. III. *Pronuntiatum*: Est alius naturalis ordo: ut *viros ac feminas; diem ac noctem; ortum & occasum*, dicas potius, quam retrorsum. IV. Quaedam permutato ordine fiunt supervacua: ut *fratres gemini*; nam, si praecesserint *gemini*, *fratres* addere non est necesse. *Vives tamen Valentinus aliud est ausus statuere contra*

Pp

Fa-

Fabium Quintilianum. V. Nimia observatio est, ut vocabula verbis, verba rursus ad verbiis, nomina appositis & pronomibus sint priora: nam fit contra frequenter non indecore: quocirca non ea erimus sic imbuti semper superstitione, ut dicamus: *Cicero divina illa eloquentia sua, civitatis statum paene labefactatum, & constituit sapienter, & retinuit fortiter, quin contra liceat efferri: Divina illa sua eloquentia civitatis statum convulsum, & iam paene labefactatum sapienter constituit Cicero, & fortiter retinuit.* VI. Necnon illud est nimiae superstitionis, ut quaeque sint tempore, ea facere ordine priora: non quin frequenter sit hoc melius; sed quia interdum plus valent ante gesta, ideoque levioribus superponenda sunt. VII. Verbo sensum claudere multo, si compositio patitur, optimum est. Hoc pronuntiatum ita etiam vulgo grammaticorum receptum est, ut tunc se putent Ciceroniane loqui, quum in fine periodi verbum collocarint, non intelligentes oportere saepissime contra fieri, maioremque gratiam & auctoritatem orationi conciliari, si initio statim, vel medio etiam insertum fuerit. VIII. Longae transgressiones vitiosae sunt, quales illae Maecenatis:

*Sole & aurora rubent plurima,
Inter sacra movit aqua fraxinos,
Ne exsequias quidem unus viderem meas.*

IX.

IX. Voces, quae *emphasim* habent, rectius initio, aut in fine collocantur, quam in medio: ut, *Tu ista audes in me? Sus doces Minervam?* vehementius dicuntur, quam *sus Minervam doces.* X. Maiori nonnumquam efferuntur venustate & vehementia quaedam vocabula in clausula posita, quam in medio sententiae: ut, *pridie, postridie, nemo, nullus, aliquot, & nonnulla quoque adverbia*, qualia sunt, *egregie, adfatim, item, idemtidem.* Cicero contra Antonium: *Vt tibi necesse esset vomere in conspectu populi Romani postridie.* Non tam vehementer *postridie* initio aut medio statuisset, quam fecit in fine. de reliquis multa exempla invenies apud Ciceronem. XI. *Pronuntiatum*: Amphibologia cum primis erit vitanda; non est enim ullum vitium foedius in oratione: id autem accidit vitiosa locutione verborum.

CAP. XX.

De Iunctura.

Iunctura consistit in *verbis, incisis, membris, periodis.* Haec quidem omnia, & virtutes & vitia in complexu habent: de quibus sigillatim dicendum est. I. Vocalium concursus, qui quum accidit, hiat, & intersistit, & quasi laborat oratio, est an-

Pp2

te

te omnia vitandus: ut, *Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus.* Ingens hic vocalium est concursus, quae orationem non retardat modo, sed duram & asperam faceret, nisi trochoeis nonnulla celeritas compararetur, quae partem adimunt duritiae & gravitatis. II. *Pronuntiatum*: Concursus, qui ex vocalibus longis fit, multo deformior est eo, qui ex brevibus constat: nam cavo & maxime patulo ore pronuntiat. Sed haec vocalium coitio non ab orationum prooemiis repudiatur: quod amplam & gravem efficiat orationem. III. *Pronuntiatum*: Dictiones, in quibus asperiores & nimis durae sunt consonantes, raro usurpat orator, cuiusmodi sunt, *rex, error, Roscius, Xerxes, ars.* IV. *Pronuntiatum*: Videndum est praeterea ne syllabae verbi prioris ultimae, sint primae sequentis. Id ne quis praecipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit: *Res mihi invisae visae sunt, Brute.* Et in carmine:

O fortunatam natam, me consule, Romam!

V. *Pronuntiatum*: Brevium verborum ac nominum vitanda est continuatio, & e diverso quoque longorum: adferunt enim quamdam dicendi tarditatem. VI. *Pronuntiatum*: Vitio datur, si cadentia similiter, & desinentia eodem modo declinata multa iungantur, hoc modo: *turpiter audes facere: nequiter studes dicere: vivis invidiose: delinquis studiose: loqueris odiose.*

CAP.

CAP. XXI.

De Numeris.

DE numeris hoc I. sit *Pronuntiatum*: Ne quis nimium laboret in quaerendis dictionibus numerosis. Superstitiosorum utique hominum hunc semper laborem iudicavi, qui volunt huic immori vanitati, in eaque consenescere. Etenim si acciderit, laudabo quos vel moderato usu, vel dono potius naturae quis obtinuerit; sin minus, non propterea in albo oratorum non reponam. II. *Pronuntiatum*: Numerus, qui & *rythmus* dicitur, etsi in principio periodi, ipsoque medio consideratur, magis tamen in fine dominatur. Idcirco potissima cura erit, ut sententiae numerose cadant. III. *Pronuntiatum*: Dictiones, ubi quinae syllabae nectuntur, vitandae sunt; non tantum in ipso orationis initio, sed multo amplius in fine: ut *archypirata, balneatori, & fortissima Tyndaridarum.* Causa est, quia haec sunt dictiones molles & effeminae, etiam illae, ubi quaternae syllabae sunt: ut, *Apennino* reprehenditur in Persio, & *Oriana* apud Virgilium, & *armamentis* apud Lucanum. Itaque plurium syllabarum dictiones cavendae sunt in fine periodi. IV. *Pronuntiatum*: Verba, quae in ipso orationis am-

bi.

bitu interponuntur, nec brevia omnia sunt, nec rursus longa. Nam brevia multa coacta reddunt tinnulum sonum, & paene crepitaculorum; longa vero tarditatem morasque adferunt, & sonum praeterea nimis amplum, & cum fastu quodam & adrogantia resonantem. V. *Pronuntiatum*: Versum in oratione fieri foedissimum est, totum quidem sicut in parte deforme; utique, si pars posterior in clausula deprehendatur. Fingamus unum, exempli gratia: „ Timui ego semper, iudices, huius „ caussae meae defensionis; non quod probitati aut „ aequitati vestrae diffiderim unquam; sed quod „ mihi cum viro potenti & gratioso, eo praeser- „ tim tempore lis est, „ *quum tot sustineam, & tanta negotia solus.* VI. *Pronuntiatum*: Ab hexametro sive pentametro exordiri orationem, aut contra finire, non probat Quintilianus; cuiusmodi fuit principium Livii historici: *Facturusne operae pretium sim.* VII. *Pronuntiatum*: Inter omnes pedes, qui tribus syllabis constant, maxime ad numerum orationis faciunt: nec alios commodiores inveniri licet, si paullo attentius Ciceronem expendas, qui frequentissime usurpat in fine periodi senarium illum esse videatur, quo primam orationis clausulam pro Q. Ligario terminavit. VIII. *Pronuntiatum*: Syllabae longae plurimum ponderis & auctoritatis habent, celeritatis breves: quae si miscentur quibus-

dam

dam longis, currunt; si continuantur, exsultant. Vnde optime inchoamus a longis, recte interdum a brevibus. IX. *Pronuntiatum*: Membrum est sensus numeris conclusus; sed a toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens: itaque incisa & membra mixta sunt, & conclusionem utique desiderant: ut, *Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus.* X. *Pronuntiatum*: Incisum est, sensus non expleto numero conclusus, aut pars membri: quale est apud Ciceronem: *Domus tibi deerat, at habebas: pecunia superabat, at egebas: fiunt autem singulis verbis incisa.* XI. *Pronuntiatum*: Periodum varie Cicero nominat, *ambitum, circuitum, comprehensionem, circumscriptionem.* Genus huius duplex est, alterum simplex, quum sensus unus longiori ambitu circumducitur; alterum constat membris & incisis, quae plures sensus habent. Quamquam inter *circuitum* & *ambitum* nonnihil differentiae esse videmus: nam *circuitus* est, totius orationis rotunda & coacta, densaque cum frequentatione verborum compositio, ut: *Nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempubl. nullam haberemus.* Sed *ambitus* est, membrorum inter se ad absolvendum sensum sine vi comprehensio: ut pro Murena: „ Quae deprecatus sum a diis immortalibus, iudices, more institutoque maiorum, illo „ die,

„ die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Mu-
 „ renam consulem renuntiavi: ut ea res mihi, fidei
 „ magistratuique meo, populo plebique Romanae,
 „ bene atque feliciter eveniret: eadem precor ab
 „ eisdem diis immortalibus ob eiusdem hominis con-
 „ sulatum una cum salute obtinendum, & ut ve-
 „ strae mentes atque sententiae cum populi Rom. vo-
 „ luntatibus suffragiisque consentiant, eaque res no-
 „ bis populoque Romano pacem, tranquillitatem,
 „ otium concordiam adferat. “ Hac propemodum
 forma omnia Ciceronis exordia, quibus in oratio-
 nibus usus est, circumducuntur. Nec modus alius
 convenientior est principiis orationum: quia *am-
 bitus* nulla vi cogit orationem; *circuitus* vero con-
 tentioni accommodatior est, paucioraque continet
 membra, quam *ambitus*, & ea breviora, maiori-
 que celeritate praedita. XII. *Pronuntiatum*: Circum-
 ducimus autem periodum dictionibus sibi invicem
 respondentibus, frequenter clausulae insertis, cuius-
 modi sunt *Vt, ita, quamquam & tamen, cum &
 tum, partim & partim, non solum: cum adversativis
 sed, verum, id & quod, &* aliis non paucis, quae
 clausulas longius dilatant. Sed, ut haec, quae prae-
 cipimus, ad exemplum conferantur, brevem illam
 clausulam perfectis membris solutam in oratione
 pro L. Manilia proponamus in medio, quam lon-
 giori ambitu ampliore reddamus. „ Dicendum

„ est

„ est enim de Cn. Pompeii singulari eximiaque vir-
 „ tute: huius autem orationis difficilius est exitum,
 „ quam principium invenire, ita mihi non tam co-
 „ pia, quam modus in dicendo quaerendus est. “
Ambitus fiet hoc modo amplior: *Nam cui dicendum
 est de Cn. Pompeii singulari eximiaque virtute (cuius
 orationis difficilius est exitum, quam principium inveni-
 re) ei non tam copia, quam modus in dicendo quaeren-
 dus est.* XIII. *Pronuntiatum*: Habet *periodus* membra
 minimum duo: medius numerus quatuor recipit,
 & plura frequenter, ut sensum concludat. *Membra*
 autem quae longissima fuerint, eadem tardissima
 esse putantur; quae secus brevia, celeritatem adfe-
 runt. Ob id membratim caesimque dicemus, ubi-
 cumque acriter instanterque, ac pugnaciter erit
 orandum. XIV. *Pronuntiatum*: Demonstrativum ge-
 nus omnes fusiores postulat numeros, quales fere
 semper exordiis ac narrationibus tribuimus. Hoc
 breviter habuimus, quod de *compositione* totaque
 ratione construendi orationes *laudativas* dicere-
 mus. Nunc quidem de genere *deliberativo* pauca pa-
 ri studio & industria in artem atque methodum
 conferenda sunt.

Qq

LI-

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De genere deliberativo, & eius fine.

GENUS *deliberativum* (quod & *suasorium* Fabius vocat & alii *concionale*) *suasione* & *dissuasione* constat. Quae quidem partes duae maximam rerum vim in se continent. Nam *cohortationes*, *consolationes*, *petitiones*, *reconciliationes*, *obiurgationes*, *commendationes*, *monitiones*, his duabus partibus subiicimus. Quisquis enim exhortatur, suadet, ut audeat: quisquis consolatur, suadet, ut moderatius doleat: quisquis obiurgat, suadet, ut agnoscat culpam suam: quisquis denique petit, suadet, ut aliquid sibi concedatur. Advertendum vero, quod suademus, ut quis velit: exhortamur autem, ut quis audeat. Quo fit, ut dubii, & sententiae nostrae contrarii *suasione* pertrahendi sint, ut velint. Remissi vero & frigidum exhortatione sunt incitandi, ut audeant. Nam quoties suademus, quae citra controversiam pia sunt, exhortamur potius, quam suademus. Enimvero *suasionis* ac *dissuasione* abunde exemplorum est apud Livium. Nam est libro 3. Decados I. oratio Quintii, qua plebem suadet, ut, deposito odio

odio adversus patres, arma capiant in hostes, delectumque fieri sinant, & ad nomen quoque respondeant. Rursum est proximo libro Canuleii insignis quidem, & summa arte & elegantia composita oratio, qua impense laborat suadere patriciis, ut misceant connubia cum plebe. Sequenti etiam libro exstat Appii Claudii haud ignobilis oratio, qua ornatissimus ille amplissimusque vir contendit, quominus plebs aegre ferat, dari stipendia militibus, hiemareque sub pellibus, donec Veientes, qui intra urbis muros obsessi essent, caperentur. Et paulo post exstat illustris illa magnanimi Camilli oratio, qua impetravit a Romanis, ne, relicta Roma, migrarent Veios. In III. lib. primo de secundo bello Punico, est Alorci oratio ad Saguntinos, ut se dedant Hannibali. Praeterea lib. 3. habetur consultatio, *An e re maiestateque populi Romani sit, ut Scipio exercitum traiciat in Africam.* Q. Fabius dissuadet; Scipio contra suadet. Postremo, lib. 3. belli Macedonici, est Marci Portii Catonis gravis severaque oratio pro lege Oppia *de restringendis feminarum cultibus*. Hanc continuo sequitur L. Valerii oratio dissuasoria. Itaque unus Livius multa nobis exempla suppeditare poterit, quem quidem auctorem, post unum Ciceronem, evolendum eloquentiae candidatos hortor & moneo, tum propter lacteam illam dicendi ubertatem, qua di-

vite vena, & pleniore canali exundat: tum vero propter exemplorum copiam, unde *themata* facile mutuari queant, quibus ornate copioseque tractandis cum ipso auctore contendat, quod non parum habet momenti ad augendam eloquentiam. Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus, genus *deliberativum* quum his duabus suasionis dissuasionisque partibus absolvatur, unum tantum praestitutum habet finem, qui *honestam* continetur *utilitate*.

CAP. II.

Quot sint orationis suasoriae partes.

Deliberativam causam quatuor constare partibus statuo, *exordio*, *propositione*, *confirmatione*, *epilogo*. *Narrationem* enim quamplurimi reiiciunt auctores, quod in deliberationem minime cadat, aut certe perquam raro: nam res ipsa, qua de agitur, nota est illi, qui petit consilium. Quamquam in oratione pro L. Manilia, quae hoc genere causae continetur, Ciceronem narrasse video: quod & dilucide & quam brevissime fecit. Sed eorum fortassis causa fecerat, qui tum primum illi negotio adfuissent, qui permulti esse potuerunt. Quod si quis hoc exemplo persuasus, addendam *narrationem* obnixè contenderit, cum hoc ego non magno-

gnopere pugnabo: modo illud unum meo iure cavero, ne semper *deliberationibus* inserendam praecipiat. Tum etiam *refutationem* non seiungo a *confirmatione*, quod eiusdem artis sit & sua confirmare, & aliena diluendo propulsare. Neque enim ille mihi sua fortiter corroboravit, qui adversarii obiecta non eadem opera strenue subvertit. Iam vero *propositionem* in numerum partium deliberativae orationis referendam censeo: nam exordio perpetuo subiicitur. Postremus est *epilogus*, qui in hac maxime parte artificiosus est.

CAP. III.

Quae sunt consideranda dicturo ante ingressum causae.

ORatori autem illud ante omnia praecipendum est, ut etiam atque etiam secum perpendat, *quid* & *quale* sit, quod persuadere parat: *qui* deinde sint illi, quibus est consilium daturus: & *quis* ipse postremo, qui consultationi orator adhibetur: aut quae *opinio existimatiove* illius vulgo habeatur. Siquidem plurimum hoc habet momenti, quod *disserimus*: quum vir bonus, non nisi quae honesta sunt, suadet: & haec ipsa varie pro hominum ingenio & moribus ut disertus orator pertractat. Nam

ali

aliter suadet honesta piis; aliter improbis ac sceleratis; aliter prava opinione corruptis; aliter dubiis. *Honestis* vero facile persuadentur honesta; *improbi* tamen tractandi sunt, ut equi feroces, acri & imperiosa tremendaque oratione, quae pulset animos, feriat corda, rumpat viscera, timorem incutiat, horrorem adferat. Interdum blandis cohortationibus, ceu mollibus delicatisque poppymis; ne, quum nos sustinere non possint, obturatis auribus magis obturent animos. *Corruptis* eximendus est error: *dubiis* praeciendum est, quid sit optimum. Est & in *natione* non modicum discrimen: nam non eodem modo apud Hispanos eadem persuaseris, quo apud Gallos & Germanos. Noveruntque hoc strenui duces, qui ex multis variisque gentibus & nationibus comparatum exercitum duxerunt. *Honore & gloria* persuaseris Hispanis; alios his praemiis nihil commoveris; quibus si *utilitatem* proposueris, mirum est, quam concites & impellas. Itaque excutiendae erunt omnes earum rerum *circumstantiae*; quae totam causam complectuntur.

CAP.

CAP. IV.

Quae sint in ipso Exordio consideranda.

ENimvero, ut haec, quae diximus, altius consideraverit orator, nec semel memoria secum repetiverit: proximum est, ut non ex his, quae causam confirmant, aut rem de qua quaeritur, docent, *exordium* ducat. Sic enim *confirmatio* fiet, non *exordium*. Sed ex illis potius, quae circa res personasve posita, favorem audientis paratura videntur. Nec ab eo autem, quod in praesenti est quaestione, statim incipiendum est; sed repetendus est plerumque altius ordo rerum, si sit in eis aliquid, quod prosit. Nam saepe accidit, ut primo adspectu tamquam profutura nobis quaedam blandiantur, quae si utilitatis specie adlecti sequimur, causam perdidimus. Penitius igitur erunt omnia inspicienda: & si quid subest, quod possit offendere, diligenter est advertendum. Est illud & artis in causis *deliberativis exordio* longe praemeditato, multum atque diu elaborato uti: quod quidem in causis *iudicialibus* valde noceret.

CAP.

CAP. V.

De locis Exordii suaviori.

CAussa *principii* nulla alia est, auctore Fabio, (exceptis quas in demonstrativo perstrinximus) quam ut auditorem, quo sit nobis ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Hoc quidem tribus praecipue rebus obtinebimus: nimirum si *benevoluntiam, attentum, docilem* fecerimus. Non quod haec per totam orationem non sint comparanda, sed quod initiis maxime necessaria putantur; ut per ea in auditorum animos admissi, ultra procedere possimus. *Benevolentiam* autem a *personis* aut a *causis* ducimus. *Personae* sunt, vel qui dicit, vel qui audiunt, vel ipsi adversarii. A *nostra persona* captabimus *benevolentiam*, si officium nostrum sine adrogantia laudaverimus. Hoc loco (priusquam longius ferar) a multorum importunis sermonibus mihi defendendus est Cicero, quem hominem gloriosum & iactabundum, inveterata iam huius vanitatis invidia, plerique vulgo compellant: quod nulla scilicet eius fuerit oratio, quae non sonaret aliquid vel de oppressa suo consilio & prudentia coniuratione Catilinae, vel de suo consulatu, vel de optime a se administrata provincia, vel de his de-

mum

mum rebus, sine quibus neque status reip. praeclare contineri, neque salus & amplitudo populi Rom. stare diutius posset. Haec ergo verba quum vulgo iactari audio, improbarique sentio, moleste equidem fero, quod videam profecto, summum virum vanitatis immerito argui, qui de singulari divinoque eloquentiae artificio ea una in re laudandus potius esset. Namque non ille Catilinae incendium a se restinctum meminerat, aut consulatum suum, administratamque praeclare provinciam memorabat, ut pulcherrimarum rerum inani praedicatione invidiose ridiculeque pasceret, sed, ut repetito quidem commemoratoque boni viri officio, quo ille semper usus fuisset, *benevolentiam* ab illis civibus aucuparetur, pro quibus tot tamque memorabiles res in omnium conspectu gessisset. Amor itaque & benevolentia illa factorum tam frequenti cumulataque laude tentantur; non gloriosa sempiterni nominis praedicatione. Quae si a me in Cicerone deprehenderetur, non vererem sane a glorioso Thrasone minime secernere. Quare tam humilis & abiecta cogitatio de oratore profecto, si quorum animis insedit, continuo, me deprecatore, eiiciatur. Hinc igitur illud habemus, multum conducere ad parandam auditorum *benevolentiam*, si dixerimus, quales erga rempubl. aut in parentes, aut amicos, aut in eos ipsos, qui audiunt, fuerimus; modo haec ad causam pertineant,

Rr

ut

ut Cicero pro Flacco coepit : „ Quam in maximis
 „ periculis huius urbis atque imperii , gravissimo
 „ atque acerbissimo reipubl. casu , socio atque ad-
 „ iutore consiliorum , periculorumque meorum L.
 „ Flacco , caedem a vobis , coniugibus , liberis ve-
 „ stris , vastitatem a templis , delubris , urbe , Italia
 „ depellebam : sperabam , iudices , honoris potius L.
 „ Flacci me adiutorem futurum , quam miseriarum
 „ deprecatorum . “ Deinde si nostra incommoda pro-
 feremus , *solitudinem* , *inopiam* , *calamitatem* , & id
 genus multa , quibus per commiserationem *benevo-*
lencia comparatur . Vnde Cicero pro Sulla sic ex-
 orsus est : „ Maxime vellem , iudices , ut P. Sulla &
 „ antea dignitatis suae splendorem obtineret , & post
 „ calamitatem acceptam modestiae fructum ali-
 „ quem potuisset percipere . Sed quoniam ita tulit
 „ casus infestus , ut amplissimo in honore cum
 „ communi ambitionis invidia , tum singulari Au-
 „ tronii odio everteretur , & in his pristinae for-
 „ tunae reliquiis miseris & afflictis , tamen habe-
 „ ret quosdam , quorum animos ne supplicio qui-
 „ dem suo satiare posset . “ Ab *adversariorum per-*
sona tribus modis benevolos auditores reddemus .
 Nam si potentes sunt , in invidiam rapiemus : hic
 nos *simplices* , *infimos* , *impares fortunis* , *corpore* ,
astutiis , *eloquentia* esse dicemus . Quod praeclare
 a M. Tullio pro Quinctio praestitum est : „ Quae
 „ res

„ res (*inquit*) in civitate duae plurimum possunt,
 „ hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore,
 „ summa gratia & eloquentia : quarum alteram , C.
 „ Aquilli , vereor , alteram metuo . Eloquentia Q.
 „ Hortensii , ne me in dicendo impediatur , non nihil
 „ commoveor : gratia Sex. Naevii , ne P. Quinctio
 „ noceat , id vero non mediocriter peritmesco . Ne-
 „ que hoc tantopere querendum videretur , haec
 „ summa in illis esse , si in nobis essent saltim me-
 „ diocria . Verum ita se res habet , ut ego , qui nec
 „ usu aetatis , & ingenio parum possum , cum pa-
 „ trono disertissimo comparer : Pub. Quinctius , cui
 „ tenues opes , nullae facultates , exiguae amicorum
 „ copiae sunt , cum adversario gratiosissimo con-
 „ tendat . “ Verum si humiles & abiecti fuerint , in
 contentionem pertrahemus ; si turpes & nocentes , in
 odium . Tam est hoc frequenter usurpatum a
 Tullio , ut exemplis comprobari non sit necesse .
 A *persona auditorum* benevolentiam conciliabimus ,
 si res eorum sine adstantionis suspitione lauda-
 verimus . Hic profuerit mores & ingenia eorum ,
 apud quos dicimus , novisse . Quid ego sanctissimi
 Paulli non adferam exemplum perfectum arte , &
 consummatum eloquentia , ex sua illa apud regem
 Agrippam defensione ; quam aeternis litterarum
 monumentis D. Lucas consecravit ? *Tunc Paullus*
 (*inquit*) *extenta manu coepit rationem reddere : de*

omnibus, quibus accusor a Iudaeis, rex Agrippa, aestimo me beatum apud te, quum sim defensurus me hodie. maxime te sciente omnia; & quae apud Iudaeos sunt, consuetudines & quaestiones: propter quod obsecro patienter me audias. Haud disparem principii rationem eius adversarius Tertullus, coram Felice praeside inivit, quamquam non simili orationis gravitate & prudentia. Ab ipsa re benevolentiam eliciemus, si aut honestatem nostrae causae extollemus, aut adversariorum turpitudinem causae deprimemus. Ceterum illud optimum exordium est, quod e media causa sumtum est, & argumento propius accedit. Praeterea attentos auditores fieri licet, si dixerimus, aut magna esse, aut inusitata, inaudita & nova, de quibus sumus verba facturi; aut si ad religionem, remp. & eorum, qui audiunt, utilitatem pertinere ostenderit, &, si postremo rogabimus, ut attente audiant. Est apud Cicero- nem cum multis in locis, tum quidem in oratione pro C. Rabirio pars exordii hoc pacto elaborata: „ Sic enim existimare debetis, Quirites, post „ hominum memoriam rem nullam maiorem, magis „ periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a tribuno plebis susceptam, neque a „ consule defensam, neque ad populum Rom. esse „ delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Qui- „ rites, quam ut nullum sit posthac in rep. publi- „ cum

„ cum consilium, nulla bonorum consensio contra „ improborum furorem & audaciam, nullum extre- „ mis reip. temporibus perfugium & praesidium sa- „ lutis. “ *Dociles* efficiemus eisdem utique modis, quibus attentos, & si summam causae breviter exposuerimus. Nec video huius rei pulchrius exemplum posse inveniri quam pro A. Cluentio, ubi in ipso statim primo causae ingressu summa totius negotii explicatur, ut: „ Animadverti, iudices, o- „ mnem accusatoris orationem in duas divisam esse „ partes; quarum altera mihi niti & magnopere con- „ fidere videbatur invidia iam invetera iudicii Iunia- „ ni: altera tantummodo consuetudinis causa ti- „ mide & diffidenter attingere rationem veneficii cri- „ minum, qua de re, lege est haec quaestio consti- „ tuta. “ Exordiorum loci communes sunt iudicialibus & deliberativis orationibus.

CAP. VI.

De Insinuatione.

TRia tempora constituerunt summi eloquentiae praeceptores, quum *insinuatione* utendum esset: vel quum causa nostra videretur esse turpis, vel quum auditores essent prava aliqua opinione corrupti, aut ab adversariis nostris persuasi, vel quum iam au- dien-

diendo defatigati essent , nollentque adesse animis. Haic partitioni respondent differentes suasionis loci. Nam , quum caussa nostra quacumque de re putabitur turpis , confugiendum erit ad hos quatuor locos : *Rem pro re , hominem pro homine , rem pro homine , hominem pro re.* Primum : *Res* pro *re* interponetur , quum illustris aliqua & praeclara pro turpi & inhonesta , cuius accusamur , a nobis adlegabitur , ut mihi quidem fecisse videtur Manlius Capitolinus apud Livium : qui quum odio & invidia adfectati regni opprimeretur , contra opponebat ipse , servatum a se Capitolium , liberatamque ab hostibus sua virtute reip. *Homo* ponetur pro *homine* , quum honestus aliquis & popularis pro improbo & invidioso obtenditur : ut Turnus apud Virgil. quum humi prostratus esset ab Aenea , videretque ensem admotum iugulo , personam patris sui Dauni protulit , cuius gratia veniam impetraret :

Vtere sorte tua , sed Dauni miserere senectae.

Res pro *homine* producitur , quum nobilitas facti tegit vilitatem personae , ut quum leno tyrannum occidit , & petit praemium , factum oportere spectari , inquit , non personam. *Homo* pro *re* substituitur , quum crimen condonatur propter personae excellentiam : ut si vir aliquis nomine sapientiae clarus , utilisque propter litterarum ornamenta reipubl. aliquid turpiter invidioseque peccaverit , non rem
pen-

pendendam dicet , sed artes disciplinasque , quas habeat patriae utiles , totique reip. salutiferas intendas esse. Ceteris temporibus nihil ego potentius invenio , quam ridiculo aliquo totam solvere dissipareque auditorum persuasionem , quam adversarii infixam in animis reliquerunt. Quid quod excitantur auditores etiam ad audiendum attentius ? Hac quidem arte singulari usus est Cicero in eleganti illa oratione pro Murena : ubi quum auctoritate M. Catonis valde opprimeretur ; videretque ea parte vehementer laborare causam suam , nihil prius potentiusque habuit vir acutissimus , quam effuse immoderateque excitato risu persuasos auditores eludere. Atque ita facete iocatus est in Stoicos , dum illorum paradoxa narraret , ut ipsum etiam virum gravissimum Catonem , qui causae aderat , in risum concitaverit. Quibus autem modis *ridicula* parentur , praescribi necessarium non puto , quia non tam arte , quam naturae dono constare videantur. Ipsa enim iocandi facultas in quo fuerit , copiam facetiarum dicenti suppeditabit , quum res ipsa postulaverit.

CAP. VII.

Quomodo proponenda sit Propositio.

EXordium continuo sequitur *propositio*, quae nulla in causa omitti potest, ac plerumque, ut sit plenior sonus, cum amplificatione proponitur, ut:
 „ Nullum bellum aut magis honestum, aut utile,
 „ aut imperio tuo hoc tempore necessarium susci-
 „ pere potes, Carole Caesar invictissime, quam
 „ adversus crudelissimum tyrannum istum Barba-
 „ rossam, qui, ceu immanis quaedam ac truculen-
 „ ta bellua, eorum sanguinem sitit, quos Christus
 „ Servator noster voluntaria morte, ne perirent
 „ omnes, adseruit. Hos multis iam annis terrestri
 „ navaliq[ue] bello tentatos ad impietatem Mahume-
 „ ticam pertrahere conatur: nullumque iam oppi-
 „ dum est in florentissimis Hispaniae regnis, quod
 „ mare nostrum attingat, quod non sit huius sae-
 „ vissimi tyranni incursione violatum, scelere di-
 „ reptum, perfidia & sacrilegio devastatum. “ Hic
 mihi monendus est eloquentiae studiosus, propo-
 sitionem apud eos, qui de dicendi facultate con-
 scripserunt, trifariam accipi: nam *propositio* inter-
 dum dicitur, quae statim initio totius argumenti
 summam complectitur: ut quum Ovidius sic orditur:

Si

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,

Me legat: & lecto carmine, doctus amet.

Hanc quidem vocant *expositionem*, quae unica esse potest. Interdum declarat partes praecipuas argu-
 menti, in qua, si ponatur unica, iam non est *di-*
visio. Nonnumquam *propositio* dicitur cuiuslibet
 argumentationis initium, quae quum unius argu-
 mentationis propria existit, non potest non esse
 particularis: singulisque argumentationibus pro-
 prie adhibetur. Differt autem haec ab illa *generali*,
 quod illa totam causam complectitur; haec ve-
 ro unicam rationem continet, subservitque illius
 probationi. *Particularis propositio* post argumen-
 tationem repetita dicitur *conclusio* sive *collectio*.
 Porro autem si proponatur dubia & cum interro-
 gatione, *quaestio* est. Sed, ut iuvenus hac etiam
 in parte huius artis studiosos, non equidem gra-
 vabor, pauca quaedam de ordine & collatione pro-
 positionum hic etiam tradere. Est hoc summo pe-
 re in disponendis propositionibus advertendum, alias
 esse *propositiones*, quae *primariae* dicuntur, alias
 quae *secundariae* compellantur: illae principales sunt,
 haec per fictionem adsumuntur, ut primarias iu-
 vent. Sit verbi causa principalis propositio: *Iure*
Clodium occidit Milo, quia per insidias adorientem in-
terfecit. Subsidiaria sit: *Quocumque modo occidisset*
pestilentissimum civem, honorem merebatur virtus, non

Ss

poe-

poenam. Huic propositioni quia non erat tutum in-
niti, reditur ad alteram: *Non occidit per insidias;
sed insidiantem.* Huius deinde generis est, quum fi-
ctione per gradum aut plures gradus ad caput caus-
sae pervenitur. Ut si quis velit Germaniae princi-
pes parum audientes Caesaris invictissimi impera-
toris dicto ad obedientiam exhortari, sic ille pro-
ponet ex arte dicendi: *Etsi imperator improbus, mo-
ribus & impietate barbarus vobis contigisset, tamen
scriptura damnat rebellionem. Nunc vero quum habea-
mus imperatorem Christianum, prudentem, & reipubl.
non amantissimum modo, sed etiam amplificatorem,
cogitate ipsi, quantum scelus & flagitium sit, illi
non obedire.* Hic unicus tantum est gradus: pote-
rant esse plures, quos ad causam subinde respici-
entes, exiguo negotio poterimus contingere: sed ita
fieri oportet, ut alius excipiat alium, quousque
tandem ad primariam propositionem veniamus, quae
caput causae est. Itaque magni interest identidem
perspicere, quae sint in tota causa praecipua: qui-
bus animadversis, superest contemplari, quis sit or-
do partium commodissimus. *Brit autem commo-
dissimus, quando prior pars, quasi gradum prae-
beat sequenti, praeparans auditorum animos ad fa-
cilius credendum ea, quae sequuntur.* Exemplum
exstat Ciceronis pro L. Manilia huic rei appositum:
*Primum mihi videtur (inquit) de genere belli dicen-
dum:*

*dum: deinde de magnitudine: postremo de imperatore
eligendo.* Iam vero & illud meminisse oportebit, du-
riusculas propositiones, & quae specie absurdae vi-
dentur, praemoliri debere, praefatiunculisque at-
teverti. Orabimus auditores, ne protinus primae
fronti adsentiantur; sed propius oculos admoveant:
nam usu venire in argumentis dicemus, quod in re-
bus externis accidit, quae eminus conspectae multo
aliud prae se ferant, quam revera sunt.

CAP. VIII.

De Locis confirmationis.

IN primis loci vocabulum quadrifariam accipitur,
primo modo loci sunt communes: quia ab utraque
parte tractantur, licet non in eadem causa: vel-
uti qui testimoniis gravatur, suadet non esse fi-
dendum testimoniis: contra, qui iuvatur, dicit pro
testimoniis. Quod pro L. Flacco Ciceronem fecis-
se legitur. Huic generi finitimae sunt *sententiae*,
quas velut extra causam exaggeramus; sed ita ut
causae, quam agimus, serviant. Cuiusmodi sunt
amplificationes virtutum & exaggerationes vitiorum:
de quibus postea dicemus. Tertio sensu loci dicun-
tur *generales*, qui declarant, quid unicuique rei ac-
cidat, & quemadmodum e singulis ducantur argu-

menta partim necessaria, partim verisimilia. Hi sunt oratoribus cum dialecticis communes, de quibus multi scripserunt; sed omnium accuratissime Rodolphus Agricola. Postremo loci dicuntur *sedes argumentorum*, quas rhetores ad singula caussarum genera accommodarunt, velut in demonstrativo *bona animi, bona corporis & fortunæ*: in deliberativo *honestum, utile, iucundum, facile, possibile, necessarium*. Quamquam sunt non parum multi, qui tres locos tantum connumerent, *honestum, utile, facile*, in quibus aiunt se comprehendere etiam *necessarium, & possibile*: qui ideo praetermittuntur in vulgaribus praeceptis, quia non indigent monitore. Nam impossibilia non veniunt in deliberationem. *Necessitas* autem non solum dubitantes hortatur, sed cogit etiam invitos. Verum quia hi duo loci interdum non conspiciuntur ab omnibus, ideo admonendis iuvenes, ut in deliberationibus etiam proponant, dicendoque illustrent. Ut si quis de studio litterarum parat dicere, non hic tantum ostensurus est, quam sint honesta & utilia, sed necessaria quoque addet, his praesertim temporibus, quum sine doctrinae studiis nequeunt bene contineri republicae; cultusque religionis sine exacta litterarum cognitione breviter aboleri necesse sit. Haec necessitas, quia non intelligitur ab omnibus, oratione patefacienda est. Sub *honesti* genere multa com-

comprehenduntur, qualia sunt *fas, pium, iustum, aequum, magnanimum, mansuetum*: breviter, omnes *virtutis species*, quibus etiam adnumeramus *Pontificum ac Caesarum leges & decreta, consuetudinis auctoritatem, dicta item factaque hominum*, quae antiqua religione oraculorum instar habent. In *utilitate* sunt, quae aut in parandis commodis, aut depellendis incommodis sita sunt: ut *divitiae, honores, amicitia, otium, tranquillitas*. Tutum his quoque adiungitur, quod consistit in tuenda incolumitate sui ac suorum, ut *vitae ac valetudinis*. Ab *honestis* saepe deterret *molestia*, adficit *iucunditas*: quod fit, ut proprium locum faciamus *iucundum*. *Necessarium* bifariam accipitur: partim simpliciter pro eo quod simpliciter vitari non potest; partim ex conditione, in quod homines graviorum metu coguntur, quo etiam *impossibile* pertinet: nam licet quod nullo modo fieri potest, non cadit in genus suasorium, tamen in primis spectandum, an hoc, de quo deliberatur, possit fieri. Partim quaedam videntur impossibilia, quae non sunt, ut multa quae ex conditione impossibilia sunt. Praeterea advertendum est: non omnes honestatis locos aequales esse, sicut nec utilitatis quidem. In *honesto* potissima esse convenit, quae ad Deum pertinent: huius generis sunt *pietas, ardor rerum supernarum, & adoratio* illius omnipotentis naturae. Secundum locum obtinent, quae ad homi-

nes,

nes, ut *caritas, iustitia, liberalitas, &* quae per se extantur: hinc quae ad paucos aut unum aliquem pertinent, *fortitudo, temperantia, modestia, pudor.* Post haec dona naturae, ut *acumen ingenii, iudicium,* & quae nostra industria paravimus, aut fortuna obvennerunt, ut *eruditio, dignitas, honor, laus, gloria, gratitudo, auctoritas, potentia, claritas generis.* Quae si ultro contigerunt, & modérate utaris in aliorum utilitatem, pulchrae res & magnificae sunt: sin ineptis vero & ridiculis artibus quaesieris, quemadmodum sunt, qui saltu, qui cursu, qui lusu pilae magnam sibi apud vulgus laudem & admirationem parant; & in aliorum damnum habeas, noxiae res sunt ac detestandae. In *utilitate* illa sunt praecipua, quae ad tuendam vitam reperta, non solum in praesens comparantur, sed in posterum quoque prosunt; sicut *agri, possessiones, firmum aedificium, pocula argentea & aurea,* quae subvenire poterunt in necessitate possidenti: denique fructuosa omnia & tuta, quaeque ad delicias & voluptates per omnes sensus sunt comparata, quorum sunt optima, quae maxime honesta, & diuturna. Quae cum fructu quoque coniuncta sunt, ut *amoenitas hortorum, praetorum, pascuorum, pecorum.* Sed ea unicuique gratissima, ad quae fertur propensione naturae. Potissima sunt speciosa & magnifica, ut in *publicis aedificiis, pretiosis vestibis, apparatus conviviis, specta-*

claculis, largitionibus. Ex quibus illa primum laudantur, quae ad honestatem vergunt, ut in templis valetudinariis, & quae his similia sunt. Haec est materia & seminarium universae *inventionis,* unde orator argumenta ducat, quibus suasorias causas confirmet; quod non indifferenter faciet, nam ubi auditores fuerint eruditione & ingenio praestantes, plurimus erit illi sermo de *honesto & bono;* si vero rudes indoctique existimantur, in *utilitate* diutius immorabitur. Multa unus Livius historicus exempla absolutae eloquentiae nobis reliquit, quorum aliquot hic explicarem, nisi longiore commentatione molestum me fore putarem. sed, ut obiter pauca perstringam, monere quidem non desistam, ut eloquentiae candidati semel atque iterum legant Camilli orationem apud Livium, ubi perpetuo loco pugnat ab *honesto,* quum numquam discedat a religione sacrificiorum, caerimoniarum, templorum, oraculorum, deorum immortalium: quo uno copiose pertractato, evicit Romanos homines natura prudentes, quominus, relicta Roma, migrarent Veios. In oratione rursus ad Saguntinos a *necessitatis* loco conatus est Alorcus Hispanus ad deditionem compellere Saguntinos, quum urbem iam magna ex parte dirutam illis opponeret, ex qua, accepta pacis conditione, inermes cum binis vestimentis exire praestaret, quam trucidari il-

lorum corpora, rapi, trahique ante ora coniuges ac liberos. Iam vero Appius Claudius ab *utili* & *necessario* magnaque etiam parte ab *honesto* contendit, non convenire Romanum exercitum etiam per hiemem abduci a Veis, sed stipendiis retinendos esse milites sub pellibus, donec civitas caperetur. In reliquis Livii orationibus multum etiam se profert atque ostentat eloquentia, expositosque habet artis locos vel mediocriter eruditus.

CAP. IX.

De Locis communibus.

Habet praeterea operae pretii quamplurimum non ignorare, quanta vis eloquentiae lateat in *locis communibus*, quorum usum & rationem perpaucos auctores attigisse video, etsi innumerabiles existierint, qui & nostra, & patrum avorumque memoria, de arte dicendi praecepta tradiderint. Ego quidem sic statuo, pauperem futurum oratorem, dicendique facultatibus & opibus semper destitutum, qui domi paratam non habuerit ex longo usu & tempore divitem quamdam, perinde atque ornatam splendidamque locorum communium supellectilem. *Locos communes* appello sententias frequenter incidentes, quae si per *amplificationem* adhibeantur, ad-

iu-

iuvant ad persuadendum id, quod destinavimus. Sed ut a diffinitione nostra proficiscatur commentatio, *Locus communis* est, oratio amplificatoria bonorum aut malorum existentium alicui rei aut personae. Exaggeramus autem has sententias extra causam, sed ita ut, quam agimus, causae serviant: veluti quum accusamus aliquem, quod per improbos convictores pertractus sit ad sceleris consortium. *Locus communis* est verbis exaggerare quantum habeat momenti ad innocentiam tuendam cum bonis versari. E diverso quantam perniciem moribus adferat improborum consuetudo. Porro hi *loci* quatuor modis tractantur. Primum ab omnium *virtutum vitiorumque* generibus ac partibus duci poterunt: *partes* appello species in quas virtutis genus distribuitur: ut *iustitia* genus est, cui subsunt variae *partes*: nonnumquam *genus* generi, aut *species* speciei adminiculatur. Prioris exemplum erit, velut si quem principem de *clementia* & *humanitate* laudes, per locum communem amplificabis, quanta virtus sit *clementia*. Rursum si quem de *pudicitia* laudamus, exaggerandum erit, quanta virtus sit *pudicitia*. Posterioris hoc: *pudicitiam alit vitae frugalitas, corrumpit luxus*. Idcirco ad castitatem adhortanti profuerit amplificare virtutem *frugalitatis*, & perniciem *luxus*. Huic proximus locus est, quum *contraria* contrariis admotis magis illustramus: sic *sci-*

Tt

en-

entiae commoda per *ignorantiae* incommoda amplificantur; & *virtutum* omnium pulchritudo per *vitiorum* oppositam foeditatem. Deinde a *sententiis* hinc derivatis, quod genus sunt: *Nemo laeditur nisi a se ipso. Et grāvius laeditur, qui iniuriam facit, quam qui patitur. Et fortior est qui negligit illatam iniuriam, quam qui infert. Nulla speciosior vitoria, quam si quis imperet adfectibus. Iram vincere speciosius est, quam urbem capere. Nullum certius generosae mentis argumentum, quam iniuriam negligere.* Profuerit hic non parum in promptu ac velut in numerato habere aliquot illustrium virorum sententias, quae praeter auctoritatem ornatus gratiam orationi adferunt. Quartum genus est, quod sumitur a communi vita: hoc est ab his, quae vulgo dicuntur, aut quae accidunt; praesertim insignia. Nam quaedam & dicuntur & accidunt. Vt, *Novercas male velle privignis. Matrum indulgentia corrumpi filios. Servos heris clam obmurmurare: Ex improbis nasci improbos. Male partum male desperire: Sat cito, sat bene. Magistratus arguit virum.* Quaedam dicuntur, ut fiant, aut vitentur: ut, *Ne quid nimis: Nosce te ipsum,* & id genus plura, quae apud auctores inveniunt. Illud ad extremum provideri oportet, ut eo revertamur cum fructu loci communis, unde digressi sumus. Nam nisi e re, qua de agitur, natus fuerit locus communis, pertractusque deinde per

am-

amplum spatiosumque campum ad caput quaestio- nis, unde excurrendi occasio fuit, tantum abest, ut laudem obtineat, ut vituperari maxime debeat. Non habeo alium, quem cum pari exempli commendatione possim proferre, quam ipsum Ciceronem, cuius orationes multis praeclarisque locis communibus & divinitus a diserto & facundo viro pertractatis plenae sunt. Testis est nobis oratio pro Archia poeta, in qua quum quaestio esset, *An civis Romanus Archias poeta:* hinc Cicero, quum multa litterarum ornamenta intueretur in Archia, quae virum ipsum insigniter illustrarent, putavit plurimum causae suae conferre, si per *locum communem* de *humanitatis studiis* pertractaret. Testis etiam est oratio pro Coelio adolescente, qui quum delatorum calumniis oppressus esset, propterea quod venenum illi obiicerent adversarii, quod Clodiae feminae per Licinium dare statuisset, ne mutuo sumtum aurum redderet, consuetudinemque habuisse cum Clodia invidiose clamarent; liberum spatiosumque hinc Cicero nactus campum, in locum communem de *aetate adolescentiae* divertit, de qua quum apertis eloquentiae fontibus multa verba fecisset, omnem Invidiam, quae adversariorum accusatione Coelio conflata fuerat, magna ex parte delevit. Sed ad id postremo, quod videbatur esse tutius, confugit, ingenio semper pudore continentiaque vixisse in

Ita

ado-

adolescentia Coelium. Nec illum etiam locum praetereundum censeo, quem eleganter copioseque tractatum pro Murena reliquit Cicero. Vbi per locum *communem* disputavit: *Vtra ars praestantior esset, militaris an iuris prudentia?* Qui quum pro viro militari contra iure consultum diceret, plane sententiam pronuntiavit pro arte militari, quum in libris *Officiorum* contra fecisset. Sed sunt caussae, ut Crassus dixisse fertur, *temporum, & non personarum*. Quo certe fit, ut nihil ego habeam, quod debeam accusare summum oratorem, praesertim quum liceat interdum *amplificatione orationis* ius nostrum obtinere. Sed quid ego tam multis exemplis dilatabo hanc quaestionem de *Locis communibus*, quum nullam putem orationem ample, copiose ornateque constare posse, quae non sit his spatiis *locorum* & amplitudine corroborata? Itaque iuvandi sunt hac etiam parte industria nostra ii, in quorum gratiam haec conscribimus: simulque exhortandi monendique videntur, ut *locorum communium* indices & quamprimum, & quam diligentissime faciant, in quos pulchras selectasque auctorum sententias ordinate conferant. Sed artis quoque est, per ordinem alphabeti dictiones disponere. Nam obviae quaeque & quae primum in mentem venerint, non statim erunt in ordinem redigendae, sed quae maxime communes & generales fuerint, & quae do-

tri-

ctrinam contineant; ut sunt nomina *virtutum, vitiorum, artium, disciplinarum, officiorum*. In calce huius libri exemplar proponetur, ut habeant aliquid ante oculos, ad cuius imitationem se comparent adolescentes.

CAP. X.

De Epilogo.

VEntum est ad potissimam orationis partem, in qua Cicero confitetur se multum excelluisse. Nam quum duo aut tres oratores causam unam defensori essent, hanc postremam partem Ciceroni semper relinquebant, quod plurimum posset pollerereque adfectibus. De *peroratione* itaque pauca nobis disserenda sunt. Haec excellentium virorum auctoritate in *suasoriis* orationibus *exhortatione* conficitur, quae *adfectibus* constat. Hos, ut cetera omnia, quae ad eloquentiam pertinent, multo perfectius imitatio, quam ars dabit. Proinde evolendi erunt auctores, qui *adfectibus* maxime indulserunt. Invenio equidem qui primas in movendis *adfectibus* tribui velint Livio historico, Statio & Virgilio. Mihi post unum Ciceronem placet (cum viro docto Macrobio) stare a Virgilio, cuius eloquentia in carmine plane divina fuit, non anteponenda in suo genere exuberantibus Ciceronis fluminibus. Et nescio, si iu-

re-

reiuurando adstrictus essem, utrum virum alteri in eloquentia praetulerim. Sed dum oratorem profitemur, oratorem principem defendamus. Interim tamen, impetrata venia, ex Virgilio *adfectus* duce-
mus, quos Macrobius diligentissime collegit. Quod eo studiosius profecto facimus, quod indubie putemus, locum illum tam divitem & copiosum haustum fuisse a Macrobio e libris, quos de *Rethorica* scripsit Plinius Maior. Nam Macrobio mos est, quum nihil adferat ex sese, tamen miro studio celare auctores. constat illum, ut refert Erasmus, multa ad verbum decerpisse ex Noctibus Atticis A. Gellii, sed citra auctoris nomen, ut omnia. Primum omnium *pathos* sive *adfectus* movetur ab aetate, ut *pueritia*, *adolescencia*, *iuenta*, *senectâ*. Idque variis multisque locis apud Virgilium.

Ab *infantia*, ut VI. Aeneidos:

Infantumque animae flentes in limine primo.

A *pueritia*, I. Aeneidos:

Infelix puer, atque impar congressus Achilli.

Et II. Aeneidos:

..... *Superest coniugne Creussa,*

Ascaniusque puer?

Et rursus II. Aeneidos:

..... *Parvi casus Iuli.*

A *iuenta*, VI. Aeneidos:

Impositique rogis iuvenes ante ora parentum.

Et

Et XII. Aeneidos:

Tabentesque genae & iuvenili in corpore pallor.

A *senectâ*, XII. Aeneidos:

..... *Dauni miserere senectae.*

Et XI. Aeneidos:

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes.

Et XII. Aeneidos:

... *Canitiem immundo deformat pulvere.*

Movet praeterea a *fortuna*, modo quidem *miserericordiam*, modo *indignationem*, ut II. Aeneidos:

... *Tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae.*

Et rursus II.

... *Et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus.*

Et VII. Aeneidos:

... *Ausoniisque olim ditissimus arvis.*

Indignationem vero movet ex verbis Didonis. IV. Aeneidos:

... *Et nostris illuserit advena regnis?*

Eleganter enim ex contemptu Aeneae auget iniuriam suam. Tantumdem est quod VII. Aeneidos Amata regis Latini uxor in Troianos dixit.

Exsulisne datur ducenda Lavinia Teucris?

Insuper IX. Aeneid. per contemptum illud dicitur:

Bis capti Phryges.

Porro movetur *adfectus* a *debilitate*, ut II. Aeneid.

... *Ex*

... *Ex quo me divum pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, & contigit igni.*

Tum VI. Aeneidos:

... *Et truncas inhonesto vulnere nares.*

Et X. de Mezentio:

... *Attollit in aegrum*

Se femur.

Et XII. Aeneidos:

Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.

Movet misericordiam frequenter a loco: ut III. Aen.

*Quum vitam in silvis inter deserta ferarum
Lustra domosque traho.*

Et I. Aeneidos:

... *Lybiae deserta peragro.*

Et I. Egloga:

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros

Pars Scythiam, & rapidum Cretae veniemus Oaxem.

Et illud egregie & breviter I. Aeneidos:

Ter circum Iliacos raptaverat Heçtora muros;
id est, patriae muros, quos ipse defenderat, pro
quibus strenue per decem annorum spatia pugna-
verat.

Et I. Egloga:

Nos patriam fugimus.

Et III. Aeneidos:

Littora quum patriae lacrimans portusque relinquo.

Et X. Aeneidos:

... *Et*

... *Et dulces moriens reminiscitur Argos.*

Et ... *Ignarum Laurens habet ora Mimanta.*

Porro sacer locus praecipue movet adfectus, nam
Virgilius occisum inducit Orphea, & miserabilio-
rem interitum eius a loco facit, ut Georg. IV.

Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi

Et II. Aeneidos, in eversione Troiae:

... *Perque domos & relligiosa deorum
Limina.*

Cassandrae quoque raptum miserabilem facit sacer
locus, ut II. Aeneidos:

Ecce trahebatur passis Priameia virgo

Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae.

Et eodem libro:

... *Divae armipotens ad aram
Procubuit.*

At Andromache quum de Pyrrhi nece diceret, ut
invidiam occidentis exprimeret III. Aeneidos:

Excipit incautum patriaeque obtruncat ad aras.

Et V. Aeneidos Venus queritur invidiose de loco
apud Neptunum, quod Aeneas in mari vexaretur
ira Iunonis:

In regnis, inquit, hoc ausa tuis?

Rursus ex tempore saepe movet adfectus. ut, I. Aene.

... *Priusquam*

Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.

Et Palinurus V. Aeneidos:

Vv

Via

... *Vix lumine quarto*

Prospexi Italiam

Et III. lib. Achemenides:

Tertia iam lunae se cornua lumine complent.

Est frequens apud Virgilium *adfectus a causa*, ut VII. Aeneidos:

Sternitur . . . seniorque Galesus

Hoc per se non est dignum *miseriordia* belli tempore: sed admovit *causam*:

Dum paci medium se offert.

Idem X. libro:

Sternitur infelix.

Deinde subiicit *causam* miserabilem, *Alieno vulnere*: Id est, quum telum in alium esset emissum. Ex eodem genere est illud X. libro:

Fallit te incautum pietas tua.

Haec enim *causa* hostibus illum miserabilem etiam sic fecit. Sed Aeneas, quum hortatur, ut sepeliantur occisi, hanc *causam* proponit X. libro:

... *Qui sanguine nobis*

Hanc patriam peperere suo.

Nec non & *indignatio* demonstratur a *causa*, ut III. Georg.

Multa gemens ignominiam plagasque superbi

Victoris, tum quos amisit inultus amores.

Et illud a *causa* ex a *se* indignantis ex IX. Aened.

... *An solos tangit Atridas*

Iste

Iste dolor? solisque licet capere arma Mycenis?

Et illud ex VIII. Aeneidos:

... *At tu dictis, Albane, maneres.*

Et illa omnia, quae reperies lib. VI. Aeneidos:

Vendidit hic auro patriam.

Ad movendos *adfectus* adhiberi etiam solent a rhetoribus *loci a modo & materia*, quos non praetermisit Virgilius. *Modus* est, quum dico, *occidit manifeste*, vel *oculte*. *Materia* est, quum dico, *ferro*, an *veneno*. Demosthenes invidiam Midiae fecit, quum obiiceret, se pulsatum ab illo cothurno: Cicero Verri, quum nudum quemdam dicit ab eo statuæ fuisse impositum. Et multis locis Virgilius evidenter, quemadmodum II. Aeneidos:

... *Altaria ad ipsa trementem*

Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati.

... *Ac lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Et illa omnia a *modo* sunt ex VI. Aeneidos:

... *Rostroque immanis vultur adunco*

Immortale iecur tundens,

Et: *Quos super atra silex iamiam lapsura cadentique*

Imminet adsimilis.

Sed & *materiam a modo* saepe commovet, ut:

Obruit Auster aqua involvens navemque virosque.

Et illud ex VI. Aeneidos:

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum.

Districli pendent.

Vv2

Et

Et VIII. Aeneidos:

Mortua quin etiam iungebat corpora vivis.

Sed *materia* quoque apud rhetores *adfectus* movet, ut dum queritur Cicero flammam ex lignis viridibus factam, atque ibi inclusum fumo necatum. Hoc enim a *materia* est, quoniam hic usus est fumo *materia* ad occidendum, ut alius *gladio*, alius *veneno*. Et ideo acerrimus *adfectus* ex hoc motus est. Idem facit & quum *flagellis caesum* queritur civem Romanum. Invenies hoc ipsum apud Virgilium:

At pater omnipotens densa inter nubila telum

Contorsit, non ille faces, nec fumea taedis

Lumina:

& reliqua ex VI. Aeneid. Eleganter quidem illius *materiam* illusit. Ex huius autem vera & vehementi *materia* expressit *iracundiam*. Tacite quoque & quasi per definitionem *πάθος* movere solet, quum, quae res miserationem excitat, non dilucide dicitur, sed datur intelligi, ut quum Mezentius dicit X. Aeneidos:

... Nunc alte vulnus adaetum.

Quid enim aliud ex hoc intelligendum est, quam hoc *altum vulnus* esse amittere filium. Sunt praeterea apud rhetores ad concitandos *adfectus* etiam hi loci, qui dicuntur *circa rem*, ut a *simili*, a *maiori*, a *minori*. Similis species sunt tres: *exemplum*, *parabola*, *imago*. primum ab *exemplo* Virgilius VI. Aenei.

Si

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,

Threicia fretus cithara fidibusque canoris:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit;

Itque reditque viam toties: quid Thesea, magnum

Quid memorem Alciden? & mi genus ab Iove summo.

Et I. Aeneidos:

Antenor potuit mediis elapsus Achivis.

Haec quidem omnia *miseritordiam* movent, quoniam indignum videtur, negari sibi, quod aliis indultum est. Deinde vide, obsecro, unde augeat *invidiam*:

Si potuit Manes arcessere coniugis Orpheus.

Habes *causam* disparem, *Manes* illic *coniugis*, hic *Anchisae*, illic *arcessere*, hic *tantum videre*. Nam quod addit, *Threicia fretus cithara*, *irrisio* est illius *miseritordiae*. Insuper:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,

Itque reditque viam toties.

Hic a modo *adfectum* movit, nam plus est saepe ire, quam semel. Praeterea:

Quid Thesea, magnum quid memorem Alciden?

Hic propter tres excellentes personas non habuit quod imminueret, vel quod augetet: verum quod in illis elucebat, hoc sibi existimat debere esse commune. Simile est illud Iunonis ab *indignatione*,

I. Aeneidos:

... Pallasne exurere classem

Ar-

Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto?

Iam hoc plus est *classem* victricem, quam reliquias fugientium perdere: deinde *causam* minuit:

Vnius ob noxam & furias Aiakis Oilei.

Nam primum *noxam* levis est culpa & *unius*: deinde quae facile posset ignosci: & postremo *furentis*, ut nec culpa sit.

Rursus VII. Aeneidos:

... *Mars perdere gentem*

Immanem Lapithum valuit.

Vides iterum easdem observationes *Lapithum* & *immanem*. *Parabola* autem quoniam magis poetae convenit, saepissime *pathos* movet, quum aut *miserabile*, aut *iracundum* aliquem inducit. *Miserabilem* sic IV. Georg.

Qualis populea moerens philomela sub umbra.

Et XI. Aeneidos:

Qualem virgineo demesum pollice florem.

Et aliae plurimae *patheticae*, quas prudens omittit. *Iram* etiam *parabola* movet.

Ex VIII. libro:

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,

Quum fremit ad caulas.

Etiam *imago* idonea est movendis *adfectibus*: fit autem, vel quum absentis corporis forma describitur, vel, quae omnino nulla est, fingitur. Vtrumque Virgilius eleganter fecit. Illud prius circa *Ascanium*

III.

III. Aeneidos:

O mihi sola mei super Astyanactis imago;

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Fingit etiam, quum dicit VIII. Egloga:

... *Quam fama sequuta est,*

Canti la succintam latrantibus inguina monstris.

Et VIII. libro:

Et scissa gaudens vadit Discordia palla,

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

A *minori* movetur *adfectus*: qui sane locus sic a principe poeta tractatur, ut aliquid proponat in primis, quod per se magnum sit: deinde minus ostenditur, quam illud, quod volumus augeri. Ex hoc loco infinita *miseratio* movetur: ut est illud

III. Aeneidos:

O felix una ante alias Priameia virgo,

Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis

Iussa mori.

Primum quod ait *felix*, comparisonem sui fecit: deinde posuit a *loco*, *hostilem ad tumulum*; & a *modo* denique, quod non minus acerbum est, *iussa mori*. Sic ergo haec intelligenda sunt: quamvis *hostilem ad tumulum*, quamvis *iussa mori*; felicior tamen fuit virgo illa *Cassandri*, *Priami* filia, quam ego, quia *sortitus non pertulit ullos*. Simile est illud I. libri:

... *O terque quaterque beati.*

Et

Et III. Aeneidos:

*Nec vates Helenus quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.*

Quid hic intelligimus, nisi omnia, quae passus erat, minora illis visa, quam patris mortem? A maiori negaverunt quidam rem augeri posse: sed eleganter hoc circa Didonem Virgilius induxit IV. libro:

*Non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago aut antiqua Tyros.*

Dixit enim non minorem luctum fuisse ex unius morte, quam si tota urbs, quod sine dubio esset maius, ruisset. Est apud oratores ille locus idoneus ad movendos *adfectus*, qui dicitur *praeter spem*. Hunc Virgilius frequenter exercuit, ut in IV. Aeneidos:

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero?*

Invenio tamen, posse aliquem ex eo, quod iam speraverit, movere *adfectus*, ut Evander apud Virgilium XI. Aeneidos:

*Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et praedulce decus primo in certamine posset.*

Est quoque illud ad movendos *adfectus* potissimum, saepe usurpatum ab oratoribus, frequentatum a Virgilio, quum sermo dirigitur vel ad animalia, vel ad res mutas; ut quum ait Dido:

Dulces exsuviae, dum fata deusque sinebant?

Et Turnus lib. XII.

Tu-

... *Tuque optima ferrum*

Terra tene.

Facit apud oratores *πάθος* etiam *addubitatio*; est enim vel dolentis, vel irascentis addubitare, quid agas. Sic Dido apud Virgilium IV. Aeneidos:

*En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar?*

Et libro IX. de Niso:

*Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere?*

Et Anna commovetur:

*Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens?*

Et *Attestatio* rei visae, movet *adfectus*: exemplum est apud Virgilium XI. libro:

Moriensque suo se in vulnere versat.

Et VI. libro inquit:

Crudelis nati monstrantem vulnera cernit;

Et VIII. libro:

Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Rursus IX. libro:

Volvitur Euryalus leto, pulcrosque per artus

It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit.

Facit *hyperbole Pathos*, per quam exprimitur vel ira vel misericordia. *Ira*, ut quum forte dicimus: *Millies ille perire debuerat.*

Et X. Aeneidos:

Xx

Omnes

Debueram patriae poenas, odiisque meorum:

Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse.

Miseratio quum dicit X. Eglog.

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones

Interitum.

Exclamatio movet *pathos*: haec fit interdum ex persona poetae vel oratoris, nonnumquam ex persona illius, quem inducit loquentem. Ex poetae persona est IX. Egloga:

Mantua vae miserae, nimium vicina Cremonae,

Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

Ex persona vero alterius, VI. Aeneidos:

... *Dii talia Graiis*

Instaurate, pio si poenas ore reposco.

Et III. lib.

... *Dii talem terris avertite pestem.*

Et VIII. lib.

... *Dii capiti ipsius generique reservent.*

Contraria huic figurae est *aposiopesis*, quod est *taciturnitas*. Nam ut illic aliqua exclamando dicimus, ita hic aliqua tacendo subducimus, quae tamen intelligere possit auditor. Hoc praecipue irascentibus convenit: ut Neptunus I. lib. Aeneidos:

Quos ego: sed motos praestat componere fluctus.

Et *miseratio* ex hac figura inserta est II. lib. a Sinone:

... *Donec Calchante ministro.*

Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata revolvo?

Na-

Nascitur quoque *pathos* ex repetitione, quum sententiae ab iisdem nominibus incipiunt. Hinc Virgilius IV. Georg:

... *Eurydicen vox ipsa, & frigida lingua,*

Ah miseram Eurydicen, anima fugiente, vocabat;

Eurydicen toto referebant flumine ripae.

Et illud quoque:

Te dulcis coniux, te solo in littore secum,

Te veniens die, te decedente, canebat.

Obiurgatio habet *pathos*, quum obiecta eisdem verbis refutamus, ut Virgilius X. Aeneidos:

Aeneas ignarus abest, ignarus & absit.

Hi sunt praecipui fontes, unde ducuntur *adfectus*: nec omnes tamen, quos Macrobius aut a Plinio transcripsit, aut ipse ex Virgilio collegit, persecuti sumus. Atque horum multas etiam auctoritates reliquimus, ne in re non necessaria oneraremus lectores, arbitrati sane, unam aut alteram, quae in singulos locos adducerentur, posse sufficere. Sed huius mei consilii sive voluntatis ducendi ex Virgil. *adfectuum* locos, qui addiscentibus ad imitationem proponerentur, ac non ex alio quopiam auctore, iterum ratio reddenda mihi est. Nam praeterquam quod in ea semper fuerim sententia, neminem unum sive Romae olim, sive Athenis fuisse, cui in eloquentia Virgilius iure debisset palmam cedere: ea etiam me vehementer impulit causa, quod adolescentes, qui e grammatico-

Xx 2

rum

rum scholis in rethorum gymnasia veniunt, in Virgī-
 līi lectione omnes versati sunt, vel ex F. Quinctiliani
 praecepto: rectiusque artis praecepta in eo perspi-
 cient auctore, quem & memoria plerique tenent, &
 a praeceptoribus saepissime interpretari audierunt. Sed
 prius quam modus sit, duo mihi monenda sunt: al-
 terum quidem, ut qui cupiunt adficere alios, ipsi
 prius adficiantur; quod sane obtinebunt, si alta con-
 templatione circa res, de quibus dicturi fuerint, ra-
 pīantur: alterum vero, ut totos in hac parte pro-
 fundant adfectus, quibus paullum immorentur. Nam
 ut dixit Cicero, *nihil citius lacrima arescit*. Et ne-
 mo quidem potest diu sustinere dolorem. Memine-
 rit etiam, quum vel magnitudo rei, vel atrocitas
 facti postulaverit, per fictionem dare vocem mortuis
 & rebus mutis, quemadmodum Cicero contra Ca-
 tilinam querentem obiurgantemque patriam excita-
 vit: & contra Clodiam Appium illum caecum ab
 inferis revocavit, qui effrenatae libidinis mulierem,
 e familia tamen sua, graviter severeque increparet.
 Sed haecenus de *peroratione* & *movendis adfectibus*.

CAP. XI.

Quae forma dicendi generi suaviori conveniat.

Hic locus postulat, ut quae *forma dicendi* oratio-
 ni-

nibus *deliberativis* praecipue conveniat, plane bre-
 viterque dicamus; qua quidem in re peccatur a mul-
 tis, nisi eloquutionis praecepta exacte teneant, mul-
 to etiam usu & imitatione confirmata. Varia tamen
 res est, & quae plures pro *argumento*, *loco*, *tem-
 pore*, *personis* suscipiat formas. Sed quae usitator
 frequentiorque in causas deliberativas descendit,
 ardens est & concitata, ita tamen ut gravitate, san-
 ctimonia & modestiae fructu non careat: quae cer-
 te magna ex parte *morata* queat appellari, quae can-
 didos incorruptosque dicentis exprimat mores.
 Haud dispar fuit huic formae oratio Ciceronis pro
 L. Manilia, de qua idem Cicero in perfecto Ora-
 tore inquit: *Fuit ornandus in Manilia Lege Pom-
 peius. Temperata oratione ornandi copiam persequuti
 sumus*. Quasi vero diceret: nisi laudibus Cn. Pom-
 peii impediret, quae fusam, amplam & magnificam
 requirebant orationem, pressiori magisque vehe-
 menti pugnarem stilo. Itaque de hac forma aperi-
 enda praecepta sunt, quae omnia propemodum in
tropis & *figuris* sita esse video. Hae sunt in quibus
 vis, ardor & celeritas esse iudicantur. Primum
 quidem *repetitio*, per quam eadem dictio iteratur
 in initio: *conversio*, per quam in fine: *complexio*, per
 quam & initio & fine, ad hanc formam cum pri-
 mis faciunt. Primae exemplum sit: *Hispanis victo-
 ria attribuenda est: Hispanis triumphus est decernen-
 dus*

*Hispanis tota huius facti gloria debetur. Alterius hoc pacto ratio exempli constabit: Sola virtus est, quae commendat hominem, quae nobilitat hominem, quae beat hominem. Tertiae illud fingamus: Quid homines modestos facit? eruditio: quid urbanos reddit? eruditio: quid a vulgi numero eximit? eruditio. Exclamatio movet acriores adfectus, sed in loco adhibita: nam statim ab exclamatione ordiri, aut in re frigida tollere vocem, dementium est: verum ubi res magnas persuaseris, tunc ubi iam animos auditorum inflexeris, locus erit exclamationi, quam tamen nec frequentem esse oportet, nec diuturnam; neque ibi tantum exclamatio est, ubi auditur o: neque satis est ad exclamationem figuratam, quantum potest inclamare o!; sed quoties impotens adfectus erumpit, ibi demum est exclamatio. Haec nonnumquam inseritur per *parenthesin*: velut *heu, piget ac pudet, aut deum immortalem! quam nihil usquam tutum in rebus humanis! Horresco referens: O tempora! o mores! & vae duritiae cordis humani!* Tale est illud Maronis! *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?* Conducatur autem vehementia, si accesserit *apostrope*, velut in illo, quod supra retuli. Et *interrogatio* tempestive adhibita multum vigoris habet & aculeorum. In tempore autem adhibetur, ut in re perspicua & argumentis iam evicta: unde peculiariter convenit *epilogis*, quamquam in aliis partibus red-*

reddit orationem acriorem. Eadem enim sententia per interrogationem prolata plus habet vigoris, quam simpliciter enuntiata, velut illud ex Ovidii *Medea*:
Servare potui, perdere an possim rogas?
 Ardentius est, quam si dixisset: *si potui servare, potui & perdere.* Item illud Ciceronis in *Catilinam*:
Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?
 Totus quidem ille locus ardet percontatione. Nec omnis interrogatio *schema* est, eo quod distinguunt quidem has voces, ut *interrogatio* sit volentis dicere, & expectantis responsum: *percontatio* urgentis, ad quod responderi non possit. *Membrum* & *articulus* faciunt ad acrimoniam orationis, quod veluti crebris vulneribus feriunt animum. Hoc autem interest, quod singula *membra* paucis verbis constructionem quidem absolvunt, sententiam non item. *Articulus* idem acrius efficit verbis brevi respiratio-
 ne distinctis. Exemplum prioris erit: *Vide quantum infelicitatis uno tibi crimine conflagasti: patrimonium dissipasti, parentes in luctum coegisti, amicos alienasti, famam contaminasti, Deum ad iram provocasti.* Posterioris hoc proponatur exemplum: *Rem, famam, parentes, amicos, Deum amisisti.* Nec unum membrum, nec unus articulus facit *schema*. Maxime probantur, quae tribus constant; quamquam nihil vetat duobus uti, vel pluribus. In membris perit gratia schematis, si sint longiora: numero enim

enim & brevitate commendantur. Ardentior tamen erit oratio, si primo quoque membro aut articulo addas coniunctionem, veluti: *Et patrimonium dissipasti, & parentes in luctum coegisti, & amicos alienasti, & Deum ad iram provocasti.* Item ardentius: *Et rem, & famam, & parentes, & Deum amisisti.* In utrisque illud providendum est, ut per gradus crescat oratio: nimirum quod gravissimum est, postremo loco dicatur; quod si non fit, erit *congeries*. Membris gratiam addit partium aequalitas, quae a Latinis *compar* appellatur, haec tamen non dignitas, sed aurium sensu quodam diiudicanda est: nam puerile est numerare syllabas, quum pauciores, si longae fuerint, aequent numero plures. *Subiectio* est, qua nobis ipsis, quod ab actoribus obiici poterat, quasi sit obiectum, respondemus: aut adversarios compellamus, ut respondeant, & quasi responderint, refellimus: aut quum quasi deliberantes varia proponimus. Primus modus convenit *argumentationi*, secundus *epilogo*, uterque convenit *inductioni*, tertius aptus est *ad deliberandum*. Habet autem hoc *schema* nonnihil adfinitatis cum interrogatione, cum sermocinatione, comparatione, & cum dubitatione. Neque ad unam solum commoditatem utile est, siquidem ad perspicuitatem, vehementiam, docilitatem & gravitatem facit. Vnum docendi causa ponamus exemplum: „ Quæro igitur,

„ tur, unde iste tam pecuniosus factus sit? amplum
 „ patrimonium relictum est? at patris bona venie-
 „ runt? hereditas aliqua obvenit? non potest di-
 „ ci; sed etiam a necessariis omnibus exheredatus
 „ est. praemium aliquod ex lite aut iudicio coepit?
 „ non modo id non fecit, sed etiam insuper gran-
 „ di sponsione victus est; ergo si his rationibus lo-
 „ cupletatus non est, sicut omnes videtis, aut isti
 „ domi nascitur aurum, aut unde licitum non est,
 „ pecunias accepit.

Correctio, quae verbum aut sententiam commutat in aliud commodius aut significantius, auget orationis vehementiam. Hoc *schema* inter species amplificationis a Cicerone refertur. Terentius sub persona Menedemi: *Filium unicum adolescentulum habeo: ah! quid dixi habere me? immo habui Chreme.* Fit interdum *correctio* absque verbi mutatione: ut, *Excanduit homo, si illum hominem appellare convenit, qui mentem habet belluinam.* Huic finitima est *occupatio*, quae in transcurso dicit, quod se negat velle dicere: & haec figura pertinet ad eam speciem amplificationis, quae fit per comparationem, velut: *Non id commemorabo, quam brevis, quam incerta, quot malis haec vita sit obnoxia, quot exposita periculis: ut horum nihil sit, quid est nisi somnium, si ad illam vitam caelestem comparetur? Item: Pudet me dicere quod istos non pudet facere: Venit ad nos*

Yy

pa-

pastor, *paene dixeram depastor*. *Vertit Aristotelem, ne dicam pervertit*. *Conduplicatio*, qua verbum aut plura verba iterantur, non habet locum, nisi quum fervet oratio; alioqui frigeret *bathologia*: nihil est enim vulgatius, quam in dolore, vel adseveratione, similive adfectu bis eadem dicere: ut, *Terque quaterque beatos Virgilius dixit*, quos *egregie beatos* voluit intelligi. Apud Terentium in Phormione: *Proh deum immortalium! negat Phanium hanc esse sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam?* Ab hac figura minimum abest *interpretatio*; hoc tamen distat, quod in hac eadem iteratur sententia. verbis commutatis id fit, vel in uno verbo: velut apud Ciceronem de Catilina: *abiit, excessit, erupit, evasit*: vel in pluribus, ut: *Non te pudet manifestae vanitatis? non erubescis mentiri palam?* *Communicatio* est, qua cum iudice aut adversario veluti deliberamus, quid faciendum sit, aut quid factum oportuerit; nam id utroque valet: „ Si idem casus „ tibi inciderit, cedo? quid faceres? In hoc tur- „ bulentissimo rerum statu date consilium. Quid „ mihi censetis faciendum? Hic tuam appello pru- „ dentiam: an ferres hoc ab alio factum, quod ti- „ bi non vis esse impune? Haec figura valet ad obiurgandum. *Disiunctio*, quae coniunctionibus sublati continuat orationis partes, hoc ipso facit ad sermonis acrimoniam, quod velut impetu fertur,

tur, gravitatem addit praecipienti, ut: „ Deum „ time, regem venerare, parentibus obtempera, „ erga maiores esto reverens, erga pares comis, er- „ ga inferiores modestus, bonos aemulare, malos „ tolera. “ *Praecisio* est, quam Cicero vocat *reticentiam*, quum, abrupto sermone, quod reticemus, animis aestimandum aut suspicandum relinquimus. Hac ratione saepe res fit atrocior, ut apud Terentium: *Egone illam, quae illum? quae me? quae non? sine modo*. Ardentius est hoc, quam si dixisset, *egone illam feram? quae illum admisit? quae me exclusit? Sine modo* comminantis est. *Pronominatio* verum nomen reticet, idque verbis aliis circumloquitur, quum aliena usurpat vel indignationis, vel emphaseos, vel laudis causa, veluti si quis pro Scipione dicat *Carthaginis expugnatorem*: similiter si quis turbatorem reipublicae appellet *Catilinam*, principem immitem *Neronem* aut *Phalarin*. *Denominatio & intellectio* species sunt *synecdoches*, quum aliud ex alio intelligimus: quae non ad ornatum modo, sed frequenter etiam ad vehementiam faciunt. Ardentius enim est, si quem dicas *deditissimum esse Baccho* aut *Veneri*, quam si dicas *vino & libidini*. Ita vehementius est, si quem appelles *Mavortium*, quam *bellacem*; item si quem delitiis luxuque corruptum appelles *ventris gulaeque mancipium*. Similiter acrius est, si dicas, *huic Mars in lingua est, & Pallas in*

palato. Ὑπερβολῆ vel ipso nomine declarat argumen-
tum superans fidem veri, adhibetur in tempore,
quum ipsa res superat modum: veluti quum Cice-
ro dicit, *Antonium totum tribunal implevisse vomitu,*
quod fieri non potuit; sed hinc intelligimus, im-
mensam fuisse crapulam: verum non est, quod di-
citur, sed quoniam nemo fallitur, non est menda-
cium. Fit interdum per *similitudinem*, ut quum di-
cimus: *nive candidior, vento stabilior, fulmine ocior,*
vita carior, morte tristior. Fit etiam per *translatio-*
nem, ut quum *ardere* dicimus, qui vehementer amat;
volasse, qui magnopere festinavit; *frendere*, qui su-
pra modum indignatur. Nonnumquam duplicatur
hyperbole, quum per correctionem ei, quod excedit
veri fidem, additur, quod magis etiam excedit.
Exemplum est apud Ciceronem. *Quae Charybdis tam*
vorax? Charybdin dico quae si fuit, fuit animal unum.
Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam dissipa-
tas, tam distantibus in locis positas tan cito absorbe-
re potuisse. *Hyperbolem* habebat rapacitas hominis
Carybdi collata. Huic accedit maior *hyperbole* to-
tius Oceani comparatio. Idem fit per *incrementum*,
veluti quum Pindarus in hymnis impetum Hercu-
lis in Meropas non igni, nec ventis, nec mari; sed
fulmini similem fuisse dicit. Hic nimirum tribus gra-
dibus increvit *hyperbole*. Eadem est minuendi ra-
tio: de invalido dicimus, *vix vivit: & assem habere*

ne-

negatur, qui supra modum pauper est.

Permutatio, quam alii vocant ἐσπερίαι Graeca
voce, quae Latina usitatio est. hac utimur, quum
vel irridendi, vel exprobrandi, vel refellendi gratia
aliud dicimus, quam sentimus. *Irridendi*, ut apud
Maronem Turnus in Drancem:

..... *Meque timoris*

Argue tu Drance, tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Simile est, quando vehementer pauperem appella-
mus *Midam* aut *Croesum*; senem decrepitem *puerum*,
pusillum *gigantem*. *Exprobrandi*, quum, exaggera-
tis crudeliter factis, subiicimus, *haec est tua illa mi-*
sericordia. Virgilius:

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis.

Fit simulatione concessionis, sive confessionis, in-
terdum & laudis, & vituperationis. in summa per
omnes figuras ducitur *ironia*. *Praemunitio* non facit
ad orationis acrimoniam, sed in hoc adhibetur, ut
mitiget liberius dicta, ne offendat auditorem, velut:
Ignoscite, si videbor aequo liberius dicere. Si molesta
est orationis acerbitas, cogitate graves morbos non sa-
uari levibus pharmacis. Durius loquor; sed huc me
compellit vestri caritas. *Diminutio* facit, ne, quod
necessario dicitur, adroganter dictum videatur. *Fa-*
stidiosae sunt hominum aures; nec quidquam minus
ferunt, quam ut quisquam aliquid de se praedicet
ma-

magnificentius. Quocirca Cicero suam saepe in dicendo eloquentiam elevat, ingenium extenuat, auctoritatem minuit: exemplis referta sunt omnia apud hunc auctorem.

Contentio, Graecis ἀντιθέσις dicitur: haec fit aut verbis inter se pugnantibus, vel sententiis contrariis, licet non sit evidens pugna in verbis. Non statim *schemata* est, ubicumque sunt contraria; sed comoda contrariorum inter se relatio *schemata* facit, vel ad gratiam orationis, vel ad vehementiam.

Virtutem incolumen odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Hic est in sententiis: *In pace fortis est, in bello ignavus.* hic item in verbis est pugna: *Domi leones sunt, in bello damae;* hic in sententiis est pugna. De *conformatione*, quam Graeci *μεγαστοποισία* appellant, superiori de *adfectibus* capite quaedam disserui. Sed alia etiam nunc exempla, praeterquam quae eo tunc in loco conscripsi, addenda esse censeo. Huius enim *schematis* credidi esse, quod Socrates apud Platonem in Critone leges fingit dissuadentes, ne se furtim subducatur, carcere prodiens: Xenophon fingit voluptatem ac virtutem apud Herculem concertantes: Plutarchus *gryllum* porcum cum Vlyse disputantem facit: Virgilius *famae* personam tribuit: Ovidius *somno* ac *terrae*. Sed illud *memoria* semper tenendum erit, *conformationem* non habere lo-

cum

cum apud oratores, nisi quum rerum magnitudo postulat; secus quidem friget. *Conformationi* adfinis est *apostrophe*, quae sermonem ab his, quibus loquebamur, avertit ad aliam personam, seu praesentem seu absentem; aut rem, cui personas adfinimus: ne haec quidem locum habent, nisi quum fervet oratio. A Caesare ad Q. Tuberonem sermonem flexit Marcus Tullius: *Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?*

Ad concitandos affectus conducit *Demonstratio*, quam significantius Graeci vocant *ὑποτίπωση*, quia rem ita subiicit, ut non narrari, sed geri videatur. Vtilis est sive ad evidentiam orationis, sive ad quoscumque movendos affectus, neque parum confert ad iucunditatem, si res est comica. Hac figura utimur, si non simpliciter narremus, quod gestum est; verum etiam quid praecesserit, quid in ipso negotio acciderit, quid consequutum sit, addimus gestum; ac sermonem congruentem, & quaecumque cernerentur oculis, si res coram gereretur. iucunditatem habet, quod Marcus Tullius II. Philippica veluti depingit, quomodo Antonius noctu, desertis castris, solus, obvoluto capite, ad amicam pervenerit, eique litteras, velut ab Antonio missas, reddiderit. Acriores affectus concitantur, quum in atroci facinore describitur *fragor urbis*, *ardor oculorum*, *vox immanis*, *revolutum aut ab-*

ie-

iectum pallium, vibratus gladius. Hac in parte rhetor multum habet adfinitatis cum pictoribus, quibus studio est, rem omnem oculis subiicere, ut nihil omnino desit praeter vocem. Exempla peti possunt a poetis, quibus haec virtus est peculiaris, si quando describunt *proelium, excidium urbis, incendium, tempestatem, pestilentiam, famem, terraemotum,* aut aliud simile. Verum illud cavendum est oratori, ne, quemadmodum pictores imperiti appingunt parum congrua, ita parum decora adfingat rebus aut personis. Hoc *schema* ponit ob oculos non ea tantum, quae facta sunt; sed illa quoque, quae futura videantur, si hoc aut illud acciderit. Quem locum summo artificio tractavit Marcus Tullius pro Milone, ponens ob oculos, quae facies rerum fuisset consequuta, si Clodius praeturam adsequutus fuisset: *fingite animis: liberae enim sunt cogitationes nostrae & reliqua.* *Επίθετα* in bonos & malos commode addita, non solum faciunt ad orationis ornatum, verum etiam frequenter ad adfectum; sed passim apponere ineptum est: ut, *caritas ignea, invicta fides, spes longanimis, florida virginitas.* Duplex erit gratia, si *epitheton* tropo commendetur, veluti quum dicimus *viperinam obtreccionem, pigram senectutem, caecum amorem, caninam rabiem.* Otiosa *epitheta* conceduntur poetis, apud quos non mediocrem habent gratiam, qui *lac niveum & nivem*
can-

candidam dicunt, *aurum fulvum, liquidum aerem, solem aureum, lunam argenteam, brutam tellurem, vaga flumina, velivolum mare, oculis captos talpas, timidos damas, vulnificum calybem, volubilem animam.* Haec nos ex Cicerone, Quintiliano, Rodolpho, Erasmo & aliis non paucis, in eloquentia praestantissimis viris, partim transcripsimus, partim ab aliis tantum inchoata, nostra industria absolvimus: semper enim cum Plinio Maiore benignum, ingenuique pudoris esse putavimus plane libereque fateri, per quos profecerimus. Obnoxii profecto animi, & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, quum praesertim sors fiat ex usura. Produximus etiam in hac quaestione commentationem nostram, quod haec pars, quae ad eloquutionem attinget, & propria sit viri eloquentis, & (si Antonio credimus apud Ciceronem) omnium est potissima; tum quod in libris Rhetoricorum ad Herennium, & in aliis, qui nuper in lucem studiosorumque manus venerunt, qui pro ubertate ingeniorum huius temporis sunt permulti, nimis aride & ieiune, videremus pertractatam.

CAP. XII.

De dispositione locorum ac totius orationis.

IN *collocatione seu dispositione locorum* illud ante omnia considerandum est, ne sicuti a nobis digesti sunt, eo ordine atque via utaris; sed quemadmodum elementariae litterae certo aliquo ordine traduntur, postea vario illarum situ singula vocabula constant, nec omnia, ac vix ullum eo litterarum ordine collocabimus, quo litteras didicimus: sic *loci*, quo facilius teneantur, hoc modo sunt a nobis dispositi: prudentia tamen & ars collocabit unumquemque, ubi maximam sit vim habiturus: haud secus quam acutus imperator singulos milites in acie, ubi putat optime quemque pugnaturum, & momentum adlaturum ad victoriam. Nec ut omnibus litteris utimur in singulis nominibus, sic nec omnibus locis in singulis orationibus; raroque incidit causa, ad quam omnia locorum genera sint advocanda. ac nescio num quid tale possit usu aliquando venire. Ceterum *dispositio* quadrifariam intelligitur. Est in primis commoda verborum dispositio, quae non tantum facit ad perspicuitatem & modulationem orationis, verum etiam ad vigorem & acrimoniam. Incommodus enim ac perturbatus ordo verborum

sen-

sententiã obscurat, & interdum involvit *hyperbaticis*, & molestam reddit orationem: ut autem optime modulata sit, praestat *compositio*, de qua breviter, & perspicue in superioribus disputavimus. Est altera *ordinis* functio, per quam commode disponuntur principales orationis propositiones, quod quidem in divisione fit, de qua etiam modice est a nobis dissertum. Tertius *ordinis* usus in singulis est argumentationibus: nam frequenter eadem propositio pluribus argumentis confirmatur, quae non sine delectu in acervum sunt congerenda, sed ordine quodam oportet velut in aciem produci. Quae autem quibus magis conveniant locis, dicentis iudicio consilioque relinquendum est. Non improbatum sane, quum ab infirmioribus itur ad firmissima: probatur rursus, quae primo ac postremo loco collocat efficaciora, & infirmiora veluti gregarios milites in medium agmen coniecit: ea demum improbatum, quae a firmioribus pergit ad infirmiora. Ita quidem natura comparatum est, ut ad ea maxime simus intenti, quae primo dicuntur loco; quae si placeant, reliqua cum favore audimus; quae vero postrema sunt, maxime haerent animo; sed quae medium orationis locum occupant, etiamsi per se parum valent, numero tamen, & turba aliquid possunt. Quartus modus *ordinis* est, quo tota dividitur oratio, veluti faciunt, qui libros conscribunt: hos primum cu-

Zz 2

ra-

ra torquet, ut totum argumentum optimo & conuenienti ordine sit digestum: ut, si quis de rebus Romanae urbis paret scribere, hunc ordinem sequatur necesse est, ut primo loco referat urbis primordia, deinde Romam florentem, postremo deficientem. Haec autem *dispositio* recta est & naturalis, sed quam necesse sit interdum, vel casu aliquo, vel eventu, commode praetermitti, & eam continuo sequi, quam vel casus attulerit, vel ars pro rei eventu complectendam suaserit. Multis hoc licet testari Ciceronis exemplis. primum in divina illa oratione pro Milone, rectum naturalemque ordinem ex singulari artificio mutavit: nam absoluto exordio, quod a re praesenti habituque armorum coeperat, priusquam ad narrationem accederet, ut naturalis orationis ordo postulabat, adversariorum tria obiecta optimo consilio refutavit, quibus caussa vehementer opprimi videbatur. Itaque illud pro lege semper habuit Cicero in caussis dicendis, ut si quid esset, quod vel caussae, vel auctoritati suae adversariorum odio invidiaque noceret, id in primis propulsandum curaret, ut pro Muraena fecit, & pro Sulla, & in multis etiam actionibus.

IN-

INDEX LOCORVM COMMVNIVM
per ordinem alphabeti distributorum, quibus singulas auctoritates subiecimus, quae vel in prima nominum classe, exemplo in reliquas esse possent.

A	C	Dialectica.
<i>Amor.</i>	<i>Caritas.</i>	E
<i>Anxietas.</i>	<i>Conscientia.</i>	<i>Eloquentia.</i>
<i>Artes.</i>	<i>Consilium.</i>	<i>Aetas.</i>
<i>Avaritia.</i>	<i>Consultatio.</i>	<i>Ebrietas.</i>
<i>Animus.</i>	<i>Consolatio.</i>	<i>Exsiliu.</i>
<i>Adfectus.</i>	<i>Consuetudo.</i>	<i>Eventus.</i>
<i>Adolescentia.</i>	<i>Civitas.</i>	<i>Educatio.</i>
<i>Ambitio.</i>	<i>Concordia.</i>	<i>Error.</i>
<i>Admiratio.</i>	<i>Crudelitas.</i>	<i>Excellentia.</i>
B	<i>Curiositas.</i>	<i>Eutrapelia.</i>
<i>Beatitudo.</i>	D	F
<i>Bonum.</i>	<i>Dominium.</i>	<i>Fides.</i>
<i>Bellum.</i>	<i>Divitiae.</i>	<i>Foedus.</i>
<i>Barbarus.</i>	<i>Deus.</i>	<i>Fama.</i>
<i>Beneficium.</i>	<i>Decorum.</i>	<i>Fortuna.</i>
<i>Beneficentia.</i>	<i>Divinatio.</i>	<i>Felicitas.</i>
<i>Breuitas.</i>	<i>Dolor.</i>	<i>Finis.</i>
<i>Benignitas.</i>	<i>Dolus.</i>	<i>Fortitudo.</i>
<i>Benignitas.</i>	<i>Detractio.</i>	<i>Fatum.</i>
	<i>Diligentia.</i>	<i>Fictio.</i>

Fa-

<i>Favor</i>	<i>Iudicium.</i>	<i>Mars.</i>
G	<i>Iusiurandum.</i>	N
<i>Gula.</i>	<i>Ira.</i>	<i>Natura.</i>
<i>Gratia.</i>	<i>Invidia.</i>	<i>Nativitas.</i>
<i>Gloria.</i>	<i>Iuris prudentia.</i>	<i>Nobilitas.</i>
<i>Genus.</i>	<i>Ingenium.</i>	<i>Negligentia.</i>
<i>Gaudium.</i>	L	<i>Necessitas.</i>
<i>Gratitudo.</i>	<i>Lex.</i>	<i>Nomen.</i>
<i>Garrulitas.</i>	<i>Libertas.</i>	<i>Natio.</i>
<i>Gloriosus.</i>	<i>Litterae.</i>	<i>Navigatio.</i>
<i>Gravitas.</i>	<i>Lingua.</i>	<i>Nuptiae.</i>
<i>Gubernatio.</i>	<i>Luxuria.</i>	<i>Novitas.</i>
H	<i>Laetitia.</i>	O
<i>Homo.</i>	<i>Labor.</i>	<i>Opinio.</i>
<i>Humanitas.</i>	<i>Livor.</i>	<i>Odiu.</i>
<i>Hospitalitas.</i>	<i>Lis.</i>	<i>Otium.</i>
<i>Hostis.</i>	<i>Licentia.</i>	<i>Ordo</i>
<i>Honor.</i>	M	<i>Officium.</i>
<i>Honestas.</i>	<i>Magnanimitas.</i>	<i>Oratio.</i>
<i>Habitus.</i>	<i>Memoria.</i>	<i>Occasio.</i>
<i>Historia.</i>	<i>Metus.</i>	<i>Obedientia.</i>
<i>Hipochripsis.</i>	<i>Musica.</i>	<i>Orbitas.</i>
<i>Humilitas.</i>	<i>Militia.</i>	<i>Omen.</i>
I	<i>Maiestas.</i>	P
<i>Ignorantia.</i>	<i>Mos.</i>	<i>Prudentia.</i>
<i>Iustitia.</i>	<i>Medicina.</i>	<i>Pudor.</i>
<i>Ius.</i>	<i>Mercatura.</i>	<i>Populus.</i>

Pax

<i>Pax.</i>	<i>Respublica.</i>	<i>Turba.</i>
<i>Potentia.</i>	S	<i>Tyrannus.</i>
<i>Perfidia.</i>	<i>Sophista.</i>	<i>Theologia.</i>
<i>Pictura.</i>	<i>Sapientia.</i>	<i>Temeritas.</i>
<i>Poesis.</i>	<i>Sermo.</i>	<i>Tabulae.</i>
<i>Pietas.</i>	<i>Silentium.</i>	<i>Tristitia.</i>
<i>Patria.</i>	<i>Solitudo.</i>	V
R	<i>Severitas.</i>	<i>Vinum.</i>
<i>Rex.</i>	<i>Situs.</i>	<i>Veritas.</i>
<i>Regnum.</i>	<i>Servitus.</i>	<i>Vitium.</i>
<i>Rhetorica.</i>	<i>Sanctitas.</i>	<i>Venus.</i>
<i>Religio.</i>	<i>Societas.</i>	<i>Voluntas.</i>
<i>Ratio.</i>	T	<i>Voluptas.</i>
<i>Ritus.</i>	<i>Temperantia.</i>	<i>Virtus.</i>
<i>Rus.</i>	<i>Testis.</i>	<i>Vita.</i>
<i>Rumor.</i>	<i>Testimonium.</i>	<i>Vigilia.</i>
<i>Rektor.</i>	<i>Timor.</i>	<i>Vxor.</i>

Ad hunc modum facile erit *locos communes* invenire, qui in suas statim classes & per ordinem alphabeti distribuuntur. Sed in paucis fidem nostram liberemus, nam sunt quidam usque adeo rudi taroque ingenio, ut nisi inseras in os velut praemansum, numquam tandem, si millies repetas, sint percepturi. Principio initium demus a prima dictione *amor*. In hoc primum domicilium congeri conferrique licet quidquid Plato, Aristoteles, Cicero, Plutarchus, Se-

Seneca, Virgilius, Ovidius, & innumerabiles auctores de *amore* pertractarunt. Adducamus exempli gratia vel unam auctoritatem ex Phaedro-Platonis aut Convivio de *amore*. Sic habet: *Si quo pacto fieri civitas, vel exercitus posset, partim ex his, qui amant, partim ex his qui amantur, supra quam dici potest fortiter agerent administrarentque singula, dum per verecundiam a turpibus abstinerent, & ad honesta, quasi quadam aemulatione, contenderent, talesque homines vel pauci numero universos, ut ita dixerim, proelio superarent. Amator sane vel deserere ordinem, vel arma abicere coram amato vehementius, quam coram cunctis aliis hominibus erubesceret.* Proponatur rursus nobis exemplum alterum de *amicitia*, cuius dictionis domum secundam fecimus, huc quidem quum multas ex variis auctoribus auctoritates adduci possent, unam ex Cicerone tantum illustrem illam quidem & preclaram adferamus, quam non ex Laelio, qui unus multas nobis suppeditaret, sed ex primo libro de *Finibus* mutuemur. „ Omnium (*inquit*) rerum, quas ad beatum, te vivendum natura paravit, nihil est maius *amicitia*, nihil uberius, nihil iucundius, quum solitudo, & vita sine amicis insidiarum plena sit: ratio, ipsa monet *amicitias* comparare, quibus partis conservatur animus, & a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest. “ Tradita est a nobis expedita compendiarique ratio inveniendi colligendi-
que

que *locos communes*, quam nemo (quod ego sciam) tam plene & cumulate haecenus pertractavit. Sit itaque huic nostrae scholae quaestionique modus, si illud primum monuero, illos esse *communes locos*, qui pro *thematibus* & *argumentis* seorsim ad dicendum proponi possunt, qui tum ornate, copiose oratorique disputantur, quum Philosophiae fontes in dicendo aperiuntur, unde illi manabant.

CAP. XIII.

An popularis eloquentia omnium maxime probari debeat: & quo differat auditor doctus ab indocto ex Cicerone.

EST illa nobis & publicis eruditorum coetibus, & privatis etiam sermonibus saepe disputata quaestio, an popularis eloquentia reliquis preferri debeat generibus, quae a solis doctis probantur. Nam video permultos in magna constitutos esse varietate, dum triplex dicendi genus, *amplum*, *tenue*, & ex his *medium*, quod sit *temperatum*, sibi proponunt, non intelligentes hominum sensibus ac mentibus illud quodcumque genus sit, in quo quis magis floreat, accommodari oportere. Quae quidem res ita olim valuit per sese, ut Asiatici homines dum suorum voluntati & ingenio obsequerentur, multum in ora-
tio.

tionis genere ab Atticis & Rhodiis desciverint.
 „ Semper (*quidem*) oratorum eloquentiae (quemad-
 „ modum in perfecto *Oratore* Cicero refert) mode-
 „ ratrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui
 „ probari volunt , voluntatem eorum , qui audiunt,
 „ intuentur , ad eamque , & ad eorum arbitrium &
 „ nutum totos se fingunt & accomodant. Itaque Ca-
 „ ria & Phrygia & Mysia , quod minime politae
 „ minimeque elegantes sunt , adsciverunt aptum
 „ suis auribus , opimum quoddam , & tamquam adi-
 „ pale dictionis genus , quod eorum vicini (non ita
 „ lato interiecto mari) Rhodii numquam probave-
 „ runt ; Graeci multo minus ; Athenienses vero fun-
 „ ditus repudiaverunt : quorum semper fuit prudens
 „ sincerumque iudicium , nihil ut possent nisi in-
 „ corruptum audire & elegans. “ Hanc ipsam sen-
 „ tentiam mihi visus est Cicero retinuisse semper : nam
 „ in *Bruto* sive de *claris Oratoribus* , id quod saepe
 „ alias ad Q. fratrem , eloquentiam suam populo pro-
 „ bari cupit , vulgi enim adsensu & populari appro-
 „ batione orator iudicari solet , de quo numquam hac
 „ in parte doctis hominibus cum populo dissensio fuit.
 „ Atque ne mihi cum multis , qui hoc a me studiose
 „ sunt percontati , amplius concertatio & pugna sit,
 „ ipsius Ciceronis auctoritatem transcribam , quae fi-
 „ dem huius quaestionis evidentius adstruat. „ Qui
 „ vulgi (inquit in *Bruto*) opinione disertissimi ha-
 „ bi-

„ biti sunt , eosdem intelligentium quoque iudicio
 „ fuisse probatissimos (*adfirmo*) . Neque enim pos-
 „ set Demosthenes dicere , quod dixisse Antima-
 „ chum Clarium poetam ferunt , qui quum , con-
 „ vocatis auditoribus , legeret illis magnum illud
 „ (quod novistis) volumen suum ; & quum legen-
 „ tem omnes , praeter Platonem , reliquissent , *le-*
 „ *gam* , inquit , *nihilominus : Plato enim mihi unus*
 „ *instar est omnium millium ;* & recte. Poema enim
 „ reconditum paucorum approbatione ; oratio po-
 „ pularis ad sensum vulgi debet moveri. “ Haec mi-
 „ hi omnia tanto studio & contentione animi dispu-
 „ tantur , quod hac una in re saepe iuvenes aberrare
 „ videam , qui pulchram orationem se comparasse
 „ tunc quidem putant , quum magis remoti fuerint
 „ a vulgi intelligentia. Proponunt sibi divina quae-
 „ dam , multum se a terris & his caducis efferentes,
 „ quasi vero non apud homines , sed apud divos ora-
 „ tionem sint habituri. Etenim eloquentia , quae ad-
 „ mirationem habuit , quaeque acclamationem & ap-
 „ plausum ab auditoribus extorsit , de medio semper
 „ sumta fuit , quae numquam cerdonum mentes effu-
 „ git , aut eorum certe captum , apud quos diceretur.
 „ Testis est vel ipse Marcus Tullius , qui , ut licet ex
 „ orationibus , quas reliquit , aestimare , numquam sic
 „ in caelum uno se mentis volatu rapuit , ut discede-
 „ ret a legibus , a moribus , a consuetudine , ab offi-
 „ cio,

cio, a vitae actionibus, a republica, & vulgatis, communibusque vulgi exemplis; quibus sane in rebus, quae communes omnibus in medio positae essent, pulchrum & divinum excellere putavit. „ Qui „ praestat igitur intelligens imperito? magna re & „ difficili (si eundem audias Ciceronem) si qui- „ dem magnum est scire, quibus rebus efficiatur, ad- „ mittaturve dicendo illud quidquid est, quod aut „ effici dicendo oportet, aut admitti non oportet. „ Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod „ saepe, quum oratores duo aut plures populi iu- „ dicio probantur, quod dicendi genus optimum „ sit, intelligit. nam illud, quod populo non pro- „ batur, ne intelligenti quidem auditori probari po- „ test. Vt enim ex nervorum sono in fidibus, quam „ scienter ii pulsati sint, intelligi solet; sic ex ani- „ morum motu cernitur, quid tractandis his perfi- „ ciat orator. Itaque intelligens dicendi existimator „ non adsidens & attente audiens, sed uno adspe- „ ctu & praeteriens de oratore saepe iudicat. videt „ oscitantem iudicem, loquentem cum altero, non- „ numquam etiam circulantem, mittentem ad ho- „ ras: quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intelli- „ git, oratorem in ea causa non adesse, qui pos- „ sit animis iudicum admoveere orationem, tam- „ quam fidibus manum. Idem si praeterientes ad- „ spexerit erectos intuentes iudices, ut aut doceri „ do

„ de re, idque etiam vultu probare videantur: aut, „ ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione, „ quasi suspensos, teneri: aut, id quod maxime „ opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo „ perturbatos esse vehementius: si praeteriens (ut „ dixi) adspexerit, si nihil audierit; tamen orato- „ rem versari in illo iudicio, & opus oratorium fie- „ ri, aut perfectum iam esse, profecto intelliget. „ Sed ne mea in reddendis praeceptorum exemplis de- „ sideretur industria, singulis *causarum* generibus *de-* „ *clamatiunculas* subiiciam, breves illas quidem, sed „ quae adiumenti non nihil adferre possint adolescenti- „ bus parum in eloquentia exercitatis.

ARGVMENTVM

ORATIONIS DEMONSTRATIVAE.

Philippus Hispaniarum Serenissimus Princeps, quum „ *xuper* (qua est in litterarum studia studiososque omnes „ *excelsa regiaque benignitate praeditus*) *Academiam* „ *Complutensem* inviseret, hac a nobis Oratione pro loco, „ *tempore & persona exceptus fuit, quam, intermissa no-* „ *te una ante eius adventum, commentati sumus.*

ORA-

ORATIO I.

In laudem Philippi Principis.

Capit benevolentiam a persona Principis.

Expositio.

Ratio expositio- nis.

Mouet commi- serationem ab interitu praece- ptorum & iactura Academiae.

Amplificatio a simili.

Metaphora.

Redditio.

ORBIS gentium Academia Complutensis amplissi-
ma, Princeps Serenissime, novo quodam adventus
tui illustrata splendore, sic hodierno die exultat ac
serio triumphat, ut certissimam posthac felicitatis
spem regiam istam & augustam praesentiam tuam
secum attulisse putet. Ante hunc quidem diem feli-
cissimum & beatum, quum non merita nostra, sed
humanitatis clementiaeque tuae magnitudo fecit, ut
in his te scholis inter studiosorum classes summo
omnes perfusi gaudio videremus, fatalis quaedam
calamitas cunctos reip. litterariae ordines pervase-
rat, in quos sic est grassata crudeliter, ut sordida-
tae pleneque squallore Musae, partim patronis or-
batae lugerent, partim (ut fit, quum vel aliquis bel-
li tumultus increpuit, vel teterima pestis late se
diffudit in populos) velut indicto studiorum silen-
tio, per menses quinque conticescerent. Itaque si-
luerunt toto illo temporis intervallo, quod longis-
simum fuit, humanitatis studia: iacuerunt pulcher-
rimae artes, & Academia ipsa siti veteris ubertatis
exaruit: extinctisque disciplinarum professoribus,
quibus longe florebat, humi destituta consedit. Sed
ubi

ubi celsitudo tua, in qua tantum est aequitatis &
clementiae, quantum potentiae & imperii in patre
Caesare, se inopinato nobis hodierno die ostendit,
illico exhilarati atque recreati mirifice sunt animi
nostri, ipsaque ex recenti vulnere languentia stu-
dia, quantum nunquam alias recordari licet, la-
sciviente natura, subito refluoruerunt. Sit itaque fau-
stus ac felix iste tuus adventus, sit propitius ac dex-
ter Academiae Complutensi, quae invictissimi Cae-
saris patris, tuoque semper recreata patrocinio, no-
vis quotidie incrementis viguit, adversariorumque
impetus non modo sustinuit fortiter, sed propulsa-
vit etiam vehementer. Nihil quidem tam decet Prin-
cipem, mitem intelligo & humanum qualis tu es,
addo etiam liberalem, prudentem, iustum, magna-
nimum (quarum sane virtutum non adumbrata so-
lum, sed expressa in te vestigia videmus) quam eas
tueri artes ac defendere semper, quae plurimum sint
reip. profuturae. Nosti enim, Philippe, Princeps
prudenterissime, ibi imperium diu stare non posse,
neque florentem reip. statum praeclare contineri, ubi,
repudiatis litterarum studiis, ignorantiae tenebris
obcaecati rectores omnia temere & pro animi libi-
dine, sine legum moderatione & consilio, sine Phi-
losophiae sanctissimis praeceptis, sine historiae lu-
ce & prudentia administraverint. His tantis tam-
que toti reip. exitalibus pestibus haec una, ceu mu-

Complexio sive conclusio exor- dii.

Propositio, quae potest praestare speciem status.

Ratio.

rus

rus quidam fortissimus, Complutensis Academia opponitur, dum in omni doctrinae genere praecellentes viros frequenter mittit in lumen gentium, amplitudinem imperii, salutem orbis terrae: cuius pulcherrimum domicilium, ars, praesidium, summam feliciter glorioseque tenente Carolo, Caesare invictissimo, & illius te lucis rerum, tantique fulgoris particeps, Hispania profecto est. Quidquid igitur in hanc contuleris Academiam (quod si tuum est, non potest non esse amplissimum, magnificentum, regium) in totam te collocare remp. puta. Quae quum te Principem caelesti divinoque munere habeat, ad magnitudinis cumulum, & summam humanae gloriae se pervenisse rata, nimis effert fortes generososque animos, ac nescio quos novos spiritus in immanes Turcas, & universos religionis hostes in dies confidentius sumit. Raro enim haec de principibus concepta spes, quae hominum prudentium altius infixae est animis, non in summam rerum claritudinem evasit: eorum praesertim, quos patris & avorum illustria fortiaque facta, vel ad imitandum strenue impellunt, si ingenius pudor adsit; vel si otio torporeque iaceant; quum victorias & triumphos coram narrari audiunt, nisi deiecto animo humilique prorsus sint, ad maiora vehementer excitant. Quid enim dicam de Carolo Caesare, patre tuo, cuius animi celsitudo, magnanimitas, decus,

glo-

gloria, maiestas, cum in tuenda religione, propagandoque Germaniae Hispaniaeque imperio, ante oculos nostros hoc tempore reluxerant, tum sanctissimis moribus ac disciplinis te formando filio, quem amplissimo regno dignum successorem reliqueret, maiori laude, & non minori amplitudinis fructu magnitudinem suam apud nos commendarunt? Nam de rebus bello praecclare gestis, quae facultas orationis meae potest esse tanta, quod flumen ingenii tam exuberans, ut dicendo aliquando consequi possim, expugnatam in Africa opibus & viris florentissimam urbem Tunetum, turpiter expulso fugatoque tyranno? propulsatum a Poloniae Vngariaeque finibus potentissimum illum Turcarum regem summo cum dedecore tam numerosi exercitus? Rhenum denique ipsum (quod memorabile aeternique nominis factum fuit) fractis subactisque Germaniae principibus, nuper captum? Iam vero quantus nunc stimulus virtutis tibi, magnanime Serenissimeque Princeps, subiiceretur, refricata Maximiliani imperatoris avi tui memoria, & Fredenandi regis, illiusque inclitae viraginis Elisabes, quorum sanguine procreatus fumosas Hispaniae imagines maiorum infulis clarus geris? Quum audis acerrimis fractos proeliis Illiberritanos populos, & totam illam oram Tingitaniae virtute partam, florentissimisque Hispaniarum regnis additam? superatam toties Neapo-

Bbb

lim,

Gradus per asyn-

Conclusio.

Amplificatio
conclusionis,
quae adirem
praestat ad lau-
des Caroli im-
peratoris.Laudatur a re-
ligionis propa-
ga-gatione & in-
stitutione filii.Laudatur a factis
in bello.Laudatur a re-
vi Principis Phi-
lippi, quod in
ipsum refundi-
tur Principem.

Memerantur
bella, quae con-
fecit rex Frede-
randus.

Adiunctio ad la-
crimas Alexan-
dri & Caesaris.

Epilogus.

Traductio.

Enumeratio.

Exoratio ab ex-
pectatione recipi-

lim, apertum praeterea huius fortunatissimi regis tempore vastum lateque supinum Oceanum ultra Insulas Fortunatas, atque in novum illam orbem nullis antea nationibus tentatum; Hispanorum arma immissa concrepuisse? quos non stimulos sentis? quae non praeclara & illustria tibi proponis? quae non animo moliris? Credo equidem ingemiscere te cum Alexandro & Caesare eo tempore, & in altam simul atque claram vocem prorumpere: o excellens dignitas Hispaniae! o nomen meorum maiorum! qui magistri fuerunt virtutis in bello, & religionis in pace. Sed modus iam sit, Princeps Serenissime; si modus tamen ullus esse potest tam infinitis laudibus, quarum quum principium facile venerimus, modum tamen non est inventus qui queat invenire. Huius enim generis sunt, tuus in studia litterarum favor, in doctos omnes benignitas, in probos honestosque viros amor, in rempubl. pietas, in Deum religio, & illa quae te maiorum commendant, antiqua claritas, proelia, victoriae, triumphus: ut non modo me, qui parum eloquentia possum, sed exercitatissimum quemque oratorem ubertate & copia diffluentem, multitudine obruerent, & magnitudine superarent. Illud ad extremum orationis meae, sed non tuarum profecto laudum, illud denique ipsum in memoriam tuam revocabo, magnam esse totius reipubl. de te expectationem, summam

mam bonorum omnium spem, infinitam virtutis sponsonem: gentes denique & nationes multas in oculis tuis, in tuo ore vultuque adquiescere. Memineris, optime Princeps, iustitiae opinione primum reges fuisse creatos: eosque dignos diademate tantum cogita, qui aequitate constituenda laboraverint: illis certum esse definitumque locum in caelo existima, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint. Quare sic te in reliquam aetatem, cuius plurimum restat, compara, ut tuarum virtutum admiratio reipubl. benevolentiam conciliet, benevolentia reverentiam pariat, reverentia obedientiam ingerat, obedientia pacem & tranquillitatem Hispaniae adferat.

Exortationis
amplificatio
prima regum
creatione.

Rursum exhortatur a praesentia spe.

Gradatio.

ARGVMENTVM DELIBERATIONIS.

*F*icto declamatorioque themate vocatur in consultationem coram Paulo III. Pontif. Max. an e re dignitateque Ecclesiae hoc tempore sit, cogi celebrarique Concilium generale. Fingitur Paullus dubius pendensque animi, in diversa studia ac partes a duobus declamatoribus agi, qui Aurelii & Eusebii sustinent personas & nomina.

Bbb 2

ORA-

ORATIO II.

Dissuasio Concilii. ()*

AURELIVS.

Benevolentiam
malem & decili-
tas conciliatur
a conditione
status reip. prae-
sentis.Propositio est,
quae summam
continet totius
negotii.

Memoria mecum repetenti conditionem rerum humanarum, & statum reipubl. praesentem, Paulle Christi Vicarie Max. occurrunt dicenti multa, quae me non modo ab Eusebii sententia vehementer deterreant; sed prudentissimi cuiusque fundatas atque optime constitutas cogitationes ab eadem cogendi Concilii temeritate procul avocare debeant. Quod si in digitos partiri causam licet, & principio orationis meae coram conferre utilia cum inutilibus, & cum inhonestis morosa, prae fractaque cura componere honesta; effundet se protinus, Pater Paulle, sentina quaedam putida malorum, & scelerum immensa colluvies, quae omnes illas commoditates coacti Concilii obruat, totamque famae laudem dis-

si-

(*) Monitum te velim, benigne lector, iterum atque iterum perpendas diuina, quae sequuntur, Oratorum *argumenta*, ne quid durius aut aequo liberius auctori nostro excidisse temere credas. Nam, si quae sint *Aurelii*, quae item *Eusebii* partes animadvertas, facile intelleges, Aurelium exhiberi in scenam, tanquam hominem subdolum ac versipellem; qui sub pietatis larva rationes omnes cogendi Concilii capiosis suis commentis ac sophisticis cavillis intercipere aggreditur: & pro veritate mentis nugae nobis obrudit. Hinc tot incommoda, tot difficultates praetendit. Quae merito vapulat ab Eusebio optima causa patrono ac veritatis vindice, qui in sua Oratione Aurelii sophismata ad examen revocata penitus dissipat. Vides igitur, propositum fuisse auctori nostro sub persona Aurelii haeticorum sui temporis Tridentinam cogi synodum aegre ferentium technas patefacere & omnibus ridendas propinare, id quod egregie praestitit. Haec si aequa mente perpendas, nihil sane reperies, quod te possit offendere.

sipet, quam negotii magnitudo esset adlatura, si ea res populo senatuique Christiano bene ac feliciter eveniret. Etenim satis grave incommodum illud esset in primis, & ruentis imperii Ecclesiae iactura inaestimabilis, si nihil videretur in Ecclesia stabile, nihil firmum, nihil perpetuo constans; sed statis temporibus interirent Ecclesiae leges, & divina maiorum decreta, perinde ut res aliae fragiles & caducae. Concilium quidem generale omnia, quantum ego video, Pater Paulle, novaturum est: leges feret novas, alia decretorum onera, numquam antea superioribus patribus & antiquis Ecclesiae proceribus audita: alia constitutionum examina, quibus liber populus queratur se premi, & sublata libertate Christiana, iugum sibi molestum imponi; dum iterum quasi ad recutita sabbata, iterum ad Neomenias, & Phases celebritatem prope videatur impelli. Quis, obsecro, iste est nodus reip. tam gravis? quis casus imperio tuo tam vehementer pertimescendus? quae iactura *Fidei* tam ingens & atrox, cui iam vel privatis Conciliis olim, vel generalibus etiam Conventibus, si res tanti esset, non sit occursum a maioribus tuis? Insurgunt, inquis, haeretici novi, sane insurgunt novi, sed non haereses quidem novae, aut quae non fuerint antehac damnatae sectae. Novus fateor est hostis fidei Lutherus, novus inimicus religionis Occolampadius, novus adversarius

Chri-

Incommoda
quae sequuntur
per locum a
inhonesto tra-
data.Amplificatio a
non necessarioObjectionis de-
pulsio.

Repetitio.

Christiani nominis Melanchthon; sed ita vero novi, ut precaria haeresi vivant, & omnes hausto aliunde veneno furant & debacchentur in Ecclesiam. Sonat enim, mihi crede, spiritus Vvicleffi in nefario Luthero, detegit se impietas Hussi in sceleratissimo Melanchthone, furit Pelagius in teterrimo sacrilegoque Oecolampadio: nec mihi e praesentibus unum dabis, qui turbent statum reipubl. Christianae, in quo personatum non exhorreas Arium, vel unum aliquem ex illa tragoedia antiqua, quam olim palliata Graecia non sine lacrimis & lamentis repraesentari vidit. Sed luerunt iam illi, luerunt suas poenas, *Vniuersalibus* coactis Conciliis, ut hoc labore & metu posterius levaremur, si quando huiusmodi impuri & noxii spiritus in similem personati scenam prodirent. Perit iam olim cum Vvicleffo Martinus Lutherus, uno illo percussus fulmine, quod de Ecclesiae militantis caelo Ioannes XXIII. Sigismundi temporibus, fortiter proiecit. Corruerunt praeterea uno fato haeretici omnes, letali inflictâ plaga haud ita multis a memoria nostra retroactis saeculis celebrato ab Innocentio III. Lateranensi Concilio, quo nihil Occidentalis Ecclesia vel celebratius vidit, vel post Graeca illa septem memoratissima admirabilius unquam audivit. Quorsum igitur per fidem, Sanctissime Paulle, in aetate Ecclesiae iam inclinata & senio quasi confecta, celebrari Con-

Metaphora.

Repetitio.

ventus attinet, quum nihil statuere hoc tempore praesertim possis ita pium, ita sanctum, ita religiosum, quod non maiores tui nascentis Ecclesiae temporibus vel sanxerint prudentius, vel providerint religiosius? Fuit quidem necesse tempestate illa, quum religionis imperium late fundabatur, religare Prometheos istos, qui multi tunc exoriebantur in Ecclesia, ad petram fidei, & devinctos extrahere tricipites canes dura praeceptorum catena, ne tennellam Ecclesiam, & per aetatem adhuc vagientem in cunis crudeliter discerperent ac devorarent. At vero in aetate postrema mundi, novissimoque huius nostrae mortalitatis saeculo, quid utilitatis & pulchritudinis habet novum moliri Concilium, post tot leges, post tot senatus consulta, post tot plebis scita, post tot edicta patrum, quibus satis consultum est rebus humanis, si quidem a nobis praeclare servarentur? Quid enim calamitatis est hodie in Ecclesia, cui antiquis Conciliis non sit abunde provisum? Complectere animo, Beatissime Paulle, priora illa florentis Ecclesiae, beneque constituta saecula, recale cogitatione ab ipsis iam inde Apostolorum temporibus auream illam aetatem ad nos usque ductam; tum demum invenies nihil reliqui tibi fecisse priores, quod coacto Concilio, & tanto molimine rerum providendum sit. Quare vide, Pater Paulle, ne, dum filiorum carcinomata curare stude-

Amplificatio
rursus a non
necessario.Dissuadet a me.
10.

des, validius serpat haec pestis: & latius propa-
 ta, in omnes Christianismi se diffundat insinuetque
 partes. Enimvero aestimabit protinus indecens vul-
 gus, haec ab Ecclesia, dum viderit Con-
 cilium denuo cogi, & populis nova iura dari. Quod
 si tantum vetera revocanda sunt, actum quidem
 agimus, quum in dies labente magis aetate, dete-
 riores multo sint homines futuri, ut sperare non li-
 ceat, melius posthac servatum iri disciplinam maio-
 rum, quam aut patres nostri coluerunt, aut poste-
 ri reveremur. Quid? quod illorum plerique, velut
 deficientes in limine, nec te Caput Ecclesiae con-
 fitentur, nec Christianorum coetum Ecclesiam ap-
 pelari volunt: controvertunt potestatem tuam, du-
 bitant de clavibus, te successorem Petri, non Chri-
 sti agnoscunt: te labi, decipi, errare, vel in ipsis
 caussis publicis, & *Fidei* quaestionibus adfirmant.
 Quid agas istis accersito Concilio, qui conciliabu-
 lum appellant, non Concilium? Quid doceas eos,
 qui germanum Scripturae sensum se solos tenere
 praedicant? Vt reprimas & infringas nefarios illos
 gladiatores, qui non solum supra imperium tuum,
 sed omne etiam, quod dicitur Deus, consceleratum
 caput attollunt, Mitte, Pater, resecata membra pu-
 trescere, mitte palmites a vitae divulsos non florere,
 mitte haedos separari ab ovibus, mitte male per-
 eant, qui Ecclesiae tuae periculum creant. Non re-
 si-

Dissuadet a dif-
 ficili.

sipiscent, mihi crede, qui semel diris se devooverunt,
 qui communia fieri omnia volunt: opes commu-
 nes, honores communes, nuptias communes, cibos
 sine delectu communes. Age nunc coge his Conci-
 lium, qui consilii capaces non sunt: quid dixi ca-
 paces? immo qui tuorum maiorum Concilia irrident,
 &, velut aram tenentes, ex eodem poculo ebrii
 omnes in Christianismi perniciem semel iurarunt.
 Sed finis iam sit, ne in sententia dicenda, quae bre-
 vis in consiliis postulatur, effundi supra quam par est,
 mihi contingat; aut maiore apparatu verborum, quam
 pondere & gravitate sententiarum, datum delibera-
 tioni tempus extrahere videar. Tantum illud te ob-
 secro, sanctissime Pater, & per fidem, quam pro-
 fiteris, obtestor, ut in ferenda sententia, non quae
 primo aspectu adrident, protinus complectare; sed
 altius inspicias singula, & cuncta prius praesenti a-
 nimo rimeris, ne sera aberrantem sequatur poeni-
 tentia.

ORATIO III.

Suasio Concilii Generalis.

SI quantum eloquentiae repetitaeque antiquitatis
 proxima Aurelii oratio visa est habere, tantum ve-
 rae pietatis, solidique consilii publicis rebus adferret,
 Paulle, Ecclesiae Praefecte maxime; non equidem
 dubitarem, relicto omni dicendi labore, in eius sen-

Ccc

ten-

Comparia peccor-
 petitionem.

Permissio ironi-
 ca.

Correctio.

Epilogus per
 objectionem.

AVRELIVS.

Concilium bene-
 volentiam a
 pe. oratorum
 satii.

tentiam sponte mea venire. Verum, quum se procul ab utili, prorsusque hoc tempore necessario Concilio diserta magis, quam vera sententia dimoverit; non est cur amplectenda sit mihi eius viri auctoritas, qui, quum facundia plurimum valet, ipso quidem tempore & deliberandi otio dubiis rebus per te dato, more magis declamatorio, quam forensi, & vero intemperanter fuerit abusus. Excurrit ille statim initio orationis per amoenum & liberum campum loci communis sublatus aura, nihil omnino novandum esse proclamans in conditione hac misera labantis Ecclesiae; sed tenenda semper decreta maiorum, veteremque illam rigidam ac severam a primis huius imperii fundatoribus traditam disciplinam, qua bene constituta, lateque propagata coepit primum Ecclesia florere, numquam a manibus esse dimittendam. Aberrat mea quidem sententia a vero Aurelius, nec conditionem infirmitatis nostrae mutabilem satis advertisse video: cui si omni aetate, & vario rerum eventu casuque quotidie inopinato (ut est natura haec mortalitatis nostrae multis per se subiecta malis) eadem remedia repetenda censet, perdet citius, quam sanabit aegras reip. partes. Enimvero, beatissime Paulle, quantum ego meminisse possum, & initii religionis nostrae memoriam recordari ultimam, multiformem habuit Ecclesia vicissitudinem & mutationes varias, for-

manr

namque aliam exstitisse prioribus illis saeculis invenio, quam maiores nostri nobis reliquerunt; dum semper in pace consuetudini, in bello utilitati parent, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodantes. Narrant enim fuisse quondam tempus, quum pulchrum scilicet erat Ecclesiae abstinere ab idolothytis, a suffocato animante, a fartis sanguine distentis, quum communia erant omnia, & non sua cuique domus, non privatum domicilium; sed intra eosdem parietes cum viris concorditer habitabant feminae; quum protinus concionator aliorum erat, quicumque ex imperito vulgo nomen Christo dedisset; quum aqua lustrali tingerentur sine temporis aut loci discrimine, quos Christus dignatus esset ad Ecclesiam suam, magno quidem & incomparabili misericordiae munere vocare; quum nemo, qui recens esset ex Iudaismo ad libertatem Evangelicam adscitus, aut sicarius, aut luxu vinoque perditus ganeo Ecclesiasticis honoribus & magistratibus fungeretur. Verum, procedente tempore, mutata est conditio reipubl. mutata quoque sunt magna ex parte maiorum decreta, quae rata in aeternitate esse non poterunt, quod volvente se quotidie, perpetuoque tenore caelo, plures subeat mortalitas nostrae naturales conversiones, quam ut unis semper moribus & legibus vivere queat. Immo vero sic rerum con-

Ccc 2

di-

Opponitur statim adversativa.

Ratio adversativae.

Ratio altera oppositionis adversativae, quae controversiam status docilitatisque captat.

Refutatio a mutabili natura omnium rerum.

Propositio principalis.

Ratio longius repetita.

Confirmatio.

Completio.

ditionibus, & statui reipublic. Ecclesiae singula sunt a maioribus accommodata prudenter, ut qui leges illas immutabili necessitate in omnem eventum latas nunc esse putaret, non minoris impietatis nota is mihi inurendus esset, quam stultitiae argueretur extremae, si quidem omni loco, & tempore reiiciendas esse affirmarent. Sed, ut propius iam ad te accendam, Aureli, negas celebrari oportere Concilium? Quid vero negas? ais vero, homo prudens, oportere omnia novari Concilio. O ineluctabilem rationem! vicisti tandem, Aureli; nos arena cedimus: nos hastas abiicimus. Sed age modo, &, quo iudicio & consilii pondere istud decernas, tantisper videamus. Omnia inquis Concilio novatum iri: rem profecto ineptam & irridendam prorsus! Istud ipsum est, Aureli, quod quaerimus, istud, quod factum cupimus, istud, quod utile, quod honestum, quod necessarium putamus. Nam quid, rogo, aliud praestiterunt prisca illa florentis Ecclesiae Concilia, aut quid alienum, & diversum ab isto tuo scilicet praeclearo fundamento, quod tamquam ensem iugulo, sic nostrae causae opponis, veteres illi sapientes, celebratis Ecclesiae Conventibus, effecerunt, quam ut multis sublatis, aliis mutatis, nova quasi inducta inventa, aut longo intervallo desita revirescerent omnia, aut alia, quae magis e re dignitateque Ecclesiae futura putarentur, excogitata denuo, traderentur Ecclesiae?

Adeo

Adeo omnes posteros insanire putas, quibus nihil maiorum praescriptis addere, nihilve immutare liceat per insaniam? aut illos tam insigni beataque sapientia excelluisse arbitraris, qui ceu dii quidam humani, venturis saeculis in totum prospicerent? Variat se Protheus iste marinus novis subinde coloribus, Aureli: atque uno temporis momento in miracula rerum se vertit: quomodo tu nodo uno perpetuo retinendum cogitas? Sed age, nihil amplius moror; do tibi, nihil omnino novandum esse in decretis maiorum; largior, veteres mores in aeternum complectendos; concedo, antiquam consuetudinem minime relinquendam: quid tum postea babes, Aureli? num a carie & situ, & tanta iam neglectione & incuria nostra non sunt vindicandi perditissimi nostri mores? non est inveteratae malitiae a virtute excutienda rubigo? non revocabitur illa maiorum praeclara disciplina, quae iam elapsa est torpore & inertia nostra e manibus? Quid haec praestiteris non advocato totius orbis Concilio? Ita nullius est hoc apud te momenti, ut sine Christianorum principum conventibus, sine Caroli Caesaris maiestate & fortuna, sine Academiarum propugnaculis, sine monachorum pietate & sanctimonia, qui late per Ecclesiae imperium dispersi sunt, rem tantam, & tam divino auxilio providendam solus efficere poteris? Sed me rursus mente &

co-

Expeditio per
correctionem.Refutatio per
subiectionem,
quae acriter est
cum ironia.Rerouet causam
in adversarium
per repetitionem,
quae urgetur hominem.Pugnat ab
exemplo.Dilemma per
interrogationem.

Solutio dilematis.

Condonat nonnulla
adversario, ut
vehementius, quae
cupit, extorqueat.

Inuit acius in
adversarium,
quem attollit ut
magis satiam
deiciat.

Contentio est
amplificata ex-
emplis, quae
per subiectionem
v: hementem
suscipitur.

Permissio ironi-
ca.

cogitatione, quantum potes, sequere; dolet enim, quod vir honestis disciplinis ornatus, & ingenio minime malo minimeque imprudenti, tam verecunde in his rebus nunc aberres, in quibus opes imperii, disciplina morum, & salus totius Christianismi mihi collocata propemodum esse videntur. Cedo igitur, Aureli, si lupus abigat oves, non continuo citatis canibus, & voce ululanti & clamosa, ut stentora etiam vincas, celer & festinus opem feres: quod iam alias a te male multatus ex ovili saepe fugerit? Quaero igitur, si militum tumultus aliquis, aut quod summae est non infelicitatis modo, sed terroris etiam imperatoribus, totius exercitus defectio fiat, non summo statim consilio, altissima praesentique prudentia, & precibus interdum ac lacrimis universos a rebellione dehortaberis, singulorum manus prensabis, iratos suavi blandaque oratione placabis, quod similes seditiones solitus sis antea componere? Quid ais tandem? si te fracta navi transversum egerit tempestas, non utcumque vel oblato ad nixus remo, vel ex proximo adrepta tabula in littus enatare conaberis, quod iterum naufragium evaseris? Hac lege detrecta pharmaca & catapotia aegrotus, quod idem recurreret morbus, a quo luctuosissimo pestis tempore medicinae beneficio fuisti liberatus. Sed mitto iam tecum loqui, quem erroris conscientia confusum ac labantem intueor: &

te,

te, Pater Paulle, unum appello, cuius fortissimis humeris tota haec domus Ecclesiae inclinata recumbit, cui nisi in tempore utroque iam cornu laboranti succurris, actum est (quod Deus avertat) de imperio tuo; quod si divelli ac subverti funditus non poterit, proterea quod super petram fundatum sit; totum tamen aedificium multis luxatum partibus, crebro flagitiorum ariete lababit. Nam quid hic memorem, bone Deus! monstra & prodigia scelerum immania, quibus hostiliter oppugnatur scapha ista Petri, mille iam ictibus perforata? Tu nosti, Pater Paulle, nova malorum lerna inundari quotidie terram, quae, velut undique effuso Nilo, terribilissimas pestes gignit, Hispania in primis, quae unicum religionis nostrae praesidium est, ardet avaritia, ut aestu immoderatae cupiditatis in Ecclesias usque ipsas iam erumpat flamma, tantumque non dicam *Simoniae*, (nam id durum vocabulum est) sed aviditati, aureo piscandi hamo redditus & vectigalia Ecclesiae; quae pro avito & gentilitio patrimonio posteris per manus relinquuntur, incendium est excitatum, ut nullis lacrimarum undis iam restinguatur: atque ulterius fortassis flagrantes immitteret faces, nisi alium Vulcanum & Cyclopa alios timeret. Gallia vero tota his annis proximis dissidebat bellis, conabaturque more gigantum, admissis intra sacros lares, & Christianissimae olim Fran-

ciae

Apostrophe.

Narratio inter-
currentis de statu
Ecclesiae.

ciae penates Turcis, immanissimis religionis & pietatis nostrae hostibus, Carolum detrudere ab orbis imperio, sed stultitia simul & impietate dignum pretium tulit. Multum praeterea a maiorum constantia, fide, & religionis laude degeneravit, ac nescio quomodo severa illa, & ab exteris semper nationibus laudata morum disciplina iam pridem inoleverit. Iam vero Anglia (quod indignum quidem fuit tam nobili, & multarum antelatione virtutum praedicata natione) nuper domi monstrum aluit, impigisse quidem dicebatur in petram, & offenso pede claudicare. Nam quid ego de Germania dicam? quid loquar? quae aures ita durae, ita ferreae sunt, ut verbum ex me unum sustinere queant? O pietas antiqua, & prisca fides! quam multis monstris illa, quae *Fortis* cognomen semper habuit, nunc dilaceratur Germania! Prodiit enim nuper memoria patrum quidam e Germania crudelissimus immanissimusque aper, qui vineam illam Domini Sabaoth multorum Martyrum irrigatam sanguine, innumerabilibus excultam Sanctorum meritis, miseris modis totam deformavit, ut nihil ex illa tanta amoenitate & ubertate religionis reliquerit, quod non sit summa impietate & sacrilegio populatus. O rem miseram, & calamitosam conditionem praesentis saeculi! quum infimum iam est omnium scelerum, rixque inter crimina connumeratur, quod sis adul-

ter,

ter, gladiator, latro, sicarius, parricida, ganeo, nepos. Quod si haec pro nihilo ducit malitia hominum caeca & deplorata, qualia putas, sanctissime Pater, esse, quae pessima & nefaria existimat? qualia, quae sacrilega, & naturae Deoque adversa? Sed cur ego tam multum de misero ac calamitoso reipubl. Christianae statu loquor? Nec me amplius, Pater Paule; sed ipsam potius audi sic apud te de infortunio suo querentem Ecclesiam: quid agis, sanctissime Paule? adeone altum dormis somnum, ut voces meas & clamores non audias? Expergiscere tandem, si me salvam & incolumem cupis, ex isto gravi & profundo mentis lethargo. An non audis sponsam male multari ab haereticis? excindia schismaticis? deludi a foeneratoribus? excarnificari ab impiis? dilacerari a sacrilegis? non te mei cura tangit? Hiccine amor ille est, quo sic te oportuit erga me flagrare, ut pro salute mea, si opus esset, vitam etiam impenderes? Cur formosam obscuro, foedari tam aequo animo pateris? cur aduancis milvorum rostris discerpi columbam negligis? Age Concilium coge, Vicarie Christi, coge conventus, coge senatum, & eice domo meam sententiam istam malorum, eice pestes & monstra, quae interitum, exitium & vastitatem quadraginta circiter continuos annos mihi minantur impune. His te compellat Ecclesia verbis, beatissime Paule, cu-

Ddd

ius

Congeries.

A minori ad maius amplificatio.

Epilogus.

Prosopopoeia, qua introducitur Ecclesia expe-
stulans cum Pontifice.

Exclamatio pathetica.

Metaphora haereticici Lutheri.

Exclamatio.

ius lacrimas & lamenta ne ipsi quidem nefarii & sacrilegi homines sine summo dolore possent audire. Tu vero per summam istam & amplissimam dignitatem, quam geris, fac, ut aliquando his malis relevata, quiescat respublica Christiana, quae tantis nunc agitur procellarum tempestatibus.

CAP. XV.

De genere Iudiciali.

Forensis genus in totum iam exsolevit, quod vivente etiam Cicerone magna ex parte mutata reip. conditione languere coepit. De quo non semel queritur Cicero, occlusum quidem oratoribus esse *forum*, obsitum dissuetudinis situ eloquentiae curriculum, sublatam denique contentionis gloriae arenam. Et magnum certe fuit, quamdiu duravit illud iudiciorum Theatrum, quo exterae peregrinaeque nationes ius suum repetiturae confugiebant. Sed unius Caesaris dominatu usurpata respubl. caruit hac luce & forma administrationis. Hinc quidem, sublatis virtutis praemiis, minus in dies coepit esse studium eloquentiae, quod per varios casus & temporum vicissitudines ad nostram usque aetatem multum dissimile antiquae maiestati pervenit. hoc autem truncum, lacerum, deformatum, ita tamen ut elo-

eloquentiae quaedam quasi obscura vestigia potuissent cognoscere, multorum disertorum opera, quorum & patrum & nostra floruerunt memoria, non sine longo desiderio nostro in Hispania accepimus. Quare, quum nullum huius generis usum hoc tempore esse animadverterem, nihil adferre utilitatis communibus studiis eum laborem iudicavi, qui in revocandis ad aetatem nostram antiquis iudiciis, vel exponendis etiam forensis stili praecipis futuri inanique opera impenderetur. Praesertim quum genus hoc *iudiciale* multa cum *demonstrativo*, sed plura cum *deliberativo* habeat communia, ut qui duo illa noverit, magnam huius teneat etiam partem necesse sit. Sed, ut ex rhetorum fontibus aliqua huius quoque generis delibemus, *status* causarum, de quibus longa & perplexa est apud praecipuos artis dicendi disputatio, quam poterit fieri brevissime aperiemus. *Status* itaque est caput generale *causae* sive *quaestionis*, ad quod, qui dicit, omnia confert, & quod auditor praecipue spectat, velut in causis forensibus praecipue spectatur, *An sit factum*, quod obiicitur, *Quale sit* & *Quid sit*. Primus status dicitur *coniecturalis* sive *inofficialis*; alter *qualitatis* sive *iuridicialis*; tertius *finis* sive *definitivus*. In primo *utrum* quaeritur *coniecturis*: in secundo, quoniam de facto convenit, *an iure factum sit*? In tertio, quoniam de utroque nul-

la est dissentio, definitione quaeritur *nomen facti*: quamquam interdum mutato nomine *crimen* quoque tollitur: veluti si *Milo caedis reus*, *negasset Clodium occisum*, fecisset statum *coniecturalem*; nunc quoniam id fatetur, superest alia coniectura, *uter alteri insidias fecerit*? quae includit statum *qualitatis*: nam in confesso est, per insidias adorientem iure occidi. Sic Orestes non inficiatur, matrem a se occisam: sed nititur statu *qualitatis*, adfirmans iure occisam. Item, si reus confiteatur, se sustulisse pecuniam profanam e loco sacro, *furti crimen* agnoscat, *sacrilegii non agnoscat*, dicens tum *deum sacrilegium* esse, quum res sacra tollitur de loco sacro: aut si quis habuit rem cum uxore aliena in lupanari *fornicationem* fateatur, *adulterium* neget. Aut si queratur utrumque: *Amatorium*, *odiue potionem dedit*? teneatur *veneficii*, an *iniuriae* tantum nomine? Porro ducitur status optime inventa iudicatione; at vero *iudicatio* ex Intentione, Depulsione, Ratione, Firmamento & Continente petitur: quae res veteri communique rhetorum exemplo constare facillime possunt: ut, *Orestem parricidii reum ago*, *quia occidit matrem*, Intentio est. Depulsio: *Occidit, sed iure*, cui protinus additur ratio: *Illa enim occiderat Agamemnonem, Orestis patrem, suum maritum; nec hoc contenta, pro occiso induxit adulterum*: Huic actor opponit Firmamentum:

tum: non propterea tamen oportuit matrem a filio *indemnatam occidi*, poterat enim poenas dare legibus. Firmamento reus opponit Continens: *Illa hoc animo erat in liberos & in totam familiam, ut non decuerit, eam ab ullo magis occidi, quam a liberis; nec id citra auctoritatem fecit Orestes, sed admonitus oraculo Apollinis*. Ex his commissis nascitur iudicatio, quum Clytaemnestra occiderit Agamemnonem, & induxerit adulterum, ac tali animo fuerit in suos, tum quum Apollo id admonuerit, *an Orestes iure occidit matrem*. Haec rhetorum preceptio nihil aliud agit, nisi ut dicturus vigilanter circumspiciat, quid pro se facit, quid pro adversario aut dissentiente. Et *iudicatio* nihil aliud est, quam extremus causae status, quo reperto, nihil superest, nisi ut iudex pronuntiet. Hinc illud etiam plane colligimus, plures in unam causam *status* incidere, unum tamen esse potissimum, de quo sit iudicandum. Invento tamen *statu*, si *hypothesi* continebitur, producenda protinus erit causa usque ad *thesim*, siue *quæstionem* universaliorē, ut cum uberiori fructu, & argumentorum foenore ad causam ipsam revertaris. Vt si in deliberationem controversiamque a proceribus Hispaniae hoc tempore vocetur: *Conveniatne, Philippum Hispaniarum principem, credito procuratoribus regno, procul a patria peregrinari, dum Carolus Caesar longissime abest, atque in*
his

his sit nunc locis, quae regiones imperium Germaniae rebus illius gestis definiunt? relicta tantisper hypohotesi sive quaestione finita, infinitam prius & generalem tractandam censeo: *An conveniat principes peregrinari.* Posterius vero ad propositam causam descendendum est. Ab his itaque, quae ampliori significatione ceteris praestant, eloquentiae opes velut subsidia causis petuntur. *Judicialis* tamen oratio quinque absolvitur partibus, *exordio, narratione, confirmatione, confutatione, epilogo.* Has tamen non perpetuas in omnem rerum eventum sic praescribimus, ut si orator unam omiserit, non perfectam propterea orationem putemus. Nam qui narrabit actor, ubi crimen, cuius reus accusatur, sponte sua confitetur? Repudianda igitur eo tempore generalis narratio est. Nam particulares narrationes quamplurimae in actionem incidere possunt, quemadmodum in causa *Cluentii* permultae sunt. Sed hoc praeceptum postremo omnium rhetorum auctoritate etiam atque etiam commendari solet, ut ars ipsa occultetur, quod summae quidem artis esse putant. Cavetur enim is a iudicibus, qui in dicendo artem detegit, quod se ab illo circumveniri arbitrentur. Reliqua petant studiosi ex genere *demonstrativo* & *deliberativo*, a quibus, paucis remotis, non multum *iudiciale* distat. Sed, ut pleniori obsequio amatores eloquentiae demerear, exemplum *Declamationis* in

hoc

hoc genere a me non multis abhinc annis elaboratae, quam nomine ipsius Ecclesiae in Lutherum lusi, sponte mea proponam.

Argumentum Declamationis Judicialis.

Per conformationem, quam *αεγορομοίαι* Graeci vocant, more institutoque declamatorio persona Ecclesiae introducitur, quae in iudicio expostulat cum *Luthero.* Causa agitur coram *Paullo III. Pont.* in *Conventu universalis Synodi.* Status est *iudicialis:* *An iure vel iniuria Lutherus accuset Ecclesiam.*

DECLAMATIO

Ecclesiae contra Lutherum.

Qvae multum & saepe precata sum a Deo ipso immortali, *Paulle Christi Vicarie* maxime, ut coaucto aliquando per te Concilio amplissimo, in quo de rerum mearum statu misero atque calamitoso ageretur, haec eadem hodiernus dies magno & singulari eiusdem Numinis beneficio attulit. Neque enim huius mei sive desiderii, sive perpetuae deprecationis ardor, ita ante hoc tempus consopitus fuit, ut non totos iam triginta annos ad aures usque tuas, quamlibet a me remotas & peregrinantes, non pervenire potuis-

Expositio, quae sumitur a loco benevolentiae per deprecationem & commemorationem beneficii Dei Opt. Max.

Ratio expositionis.

Redditio rationis.

tuisset. Etenim summis ego semper exoptavi votis, quotidianisque precibus a divis omnibus & caelitis contendi, ut diem unum tandem terris feliciter exoriri vellent, quum una ego iudicio tuo cum meis adversariis sisterer, ut a perditissimis gladiatoribus crudelissimisque hostibus vexata, per te ac tuam fidem aliquando recrearer. Nihil quidem toto illo tempore (quod longissimum fuit) ex quo a pietate Christiana, fideque mea defecit Martinus Lutherus, me una aut laboriosius quidquam fuit, aut certe sollicitum & exercitum magis, quod vidèrem equidem unius hominis dolo & perfidia (si homo illè appellandus est, qui violatis naturae legibus, sine mente & iudicio, plus quam ferino more, multis iam annis vivit) misera funestaque calamitate universam remp. Christianam propemodum labefactatam, cuius ego saluti tantisper timui, donec coacto auctoritate tua generali totius imperii, orbisque terrae Concilio, tanta pestis tolleretur e medio. Fuerit hactenus ista Ecclesiae iactura, Pater Paulte, quasi fortunae quidam reflantis ludus, dum maiori posthac pietatis foenore, fideique lucro pleniori status imperii nostri pristinus revocetur, ut vel eos ipsos, quos acerrimos coniuratissimosque dignitatis nostrae inimicos pertulimus, devinctissimos in posterum amplitudinis Ecclesiae amicos experiamur. Verum illud initio orationis meae tibi ac Deo ipsi Optimo

Ma-

Redditionis expositio, quae per commiserationem mover adfectum.

Correctio.

Complexio sive conclusio exordii.

Præmissio status.

Maximo testor, non sic me in meos animatam esse adversarios, ut crudelem eorum exitum, caedem, vastitatem, magis quam salutem, incolumitatem, mentem meliorem vel ante id temporis exoptaverim, vel nunc vehementer cupiam. quamquam ea est atrocitas criminum, & scelerum inveterata malitia, ut gravem animadversionem, & horrendi exempli supplicium mereretur. Verum recordor, neque id sine ingenti animi mei dolore, fuisse aliquando filios, qui capitales hostes nunc sunt, uberibus meis educatos, qui suis modo dentibus pectora, quae suxerunt, dilaniant; disciplinam pietatis nostrae pueros didicisse, qui natu grandiores parentis leges oppugnant, maiorumque decreta rescindunt: &, quod gravissimum omnium est, me sponsam Christi, illam unice dilectam; illam, inquam, sine ruga & macula, caelesti semper puritate nitentem, adulterii ream agunt. Sed, ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis caussa ducitur, iugulum totius controversiae petam, propriusque ad eam ipsam litem accedam, quae mihi manifesta calumnia, inveteratoque odio & invidia a meis adversariis intenditur: quamquam non tam mihi illud per totam actionem conandum est, ut dignitatem meam videar tueri magis, quam ut turbatum Lutheri animum, mentem fluctuantem & confusam, ingenium immensis tenebris occupatum, errore eximam, invidia liberem,

Ecc ve-

Constituere status, an Lutherus iure accuset Ecclesiam.

Statuitur propositio affirmativa status.

vero confirmem. Nam quis, ut iam tecum congre-
diar, sacrilege Luthere, aequo tacitoque animo fe-
rat, immo quis, quantalibet voce possit, non prin-
cipio statim caussae exclamet, erroris mihi maculam
foedissimam abs te inuri, quod liberi quidem mei
humana interim ratione persuasi, fragili incertoque
ingenio fisi, labantur saepe, ridiculeque decepti nu-
gentur in rebus? Quis vos, o Constantine Ma-
gne & Phoca, imperatores religiosissimi, hoc lo-
co non appellet, fidemque illam vestram, quam
mihi inviolatam immortalemque servastis (quorum
donis amplissimis maiestas & amplitudo accessit
ab eo tempore imperio nostro) non imploret, nunc
bona illa, quae beneficio sane regio & Augusto mi-
hi obvenerunt, a Martino Luthero invadi, in
unam omnibus haereticis coeuntibus vocem, hor-
rendumque proclamantibus, venenum in Ecclesiam
eo tempore profusum, quum primum opibus libe-
ralitate vestra donata fui? Iam vero quanta est il-
lud atrocitatis crimen, propter paucorum admissa,
quos vel imbecillitas humana in luxum solvit, vel
furor perturbatae mentis rapuit in praecipitium
malorum, argui protinus monachorum secessum,
incusari caelibatum, culpari instituta maiorum,
elevari caerimonias, & ea ludibrio haberi omnia,
quae, quum per se pulchra sint & honesta, per-
peram quis usurparit. Aberras plane, Luthere, &

nu-

mugaris in caussa, quum de filiorum erratis matrem
ipsam accusas. Confer pedem propius, & calumniae
tuae commissum nefas conspicias. Quid haeres, Lu-
there? quid titubas? quid conscientia recte facti re-
tardaris? O Deum immortalem! cuius ego monstri
artes pertuli, in cuius feritatis colluctatione duravi!
Sed redeo, ne interim e manibus elabare. Cedo sce-
lerat, tam capax es sycophantiarum & scelerum,
ut erroris mihi crimen obiicias, quod liberi inte-
rim aberrant mei? Vnde tanta tibi materia mentien-
di? unde peccus tam secundum fraudibus? Confi-
teor equidem interdum aberrare filios; sed dum ma-
trem non audiunt, dum sibi blandiuntur, dum pro-
priis viribus fidunt, dum sponsi praesentiam non
requirunt, dum divina tractant infirmitate freti hu-
mana. Haecine matris, ais, esse peccata, filios pa-
rum morigeros invita matre peccare? Num ob id
fortassis servum arbitrium facis, & imperiosam ne-
cessitatem voluntati hominum imponis, ut, quum
filii peccaverint, mater una luat poenas? Quid ego
commerui, aut quid deliqui, Luthere, si Ioannes
ille Pont. Max. qui vicesimus secundus huius nomi-
nis connumeratur, turpiter erravit? & Caelestinus
Papa, dum morti timet, invitus discesserit ab Ec-
clesia? Errarunt quidem illi, non inficior? Sed ho-
mines errarunt, non Pontifices, victi infirmitate
humana, non caelesti divinaque ope sustentati;

Ecc 2

pri-

Ab indignatio-
ne incipit argu-
mentari.

Apostrophe ad
Constantinum
& Phocam im-
peratores.

Dilectis obla-
tae quae: o-
nis a Luhero
per infirmio-
nem, quod su-
mitur a particu-
laribus ad gene-
rale, ut sunt artes
& instituta vi-
tae, qui saepe
modum argu-
mentationis nu-
gacius est.

Per exclamatio-
nem erumpit
affectus.

Subiectio

Contraria illi
sensu per simi-
litudinem cadentem

privati, non Praelati: ut magis profecto fuerit humanae fragilitatis, quod peccaverint, quam potentiae & magistratus, quod a peccato sublati fuerint. Sed age, omnia rogo scrupulose agantur, quamquam non sustineo in tanto animi motu argumenta conquirere, nec impetus indignationis meae in digitos descendit: sed in formulam, modo respicias, Luthere, utcumque veniam: quid enim pro salute tua non feram? Sublata mihi omnia bona cupis, ademas opes, ereptas facultates. quo meo tandem, nefarie, merito? qua noxa? quo piaculo? Luditur, inquis, totum aevum a Proceribus Ecclesiae alea, patrimonium Christi cum scortis & ganeonibus consumitur; equi aluntur & canes; parasiti & scurrae laute accipiuntur, dum pauperes Christi fame, frigore solitudine & moerore oppressi, passim in nuda humo prostrati, sine ullo miseriarum levamento moriuntur. Nec his tantis tamque atrocibus malis aliter occurri posse proclamas, quam si illud Constantini in Ecclesiam respersum venenum his tuis salutiferis amuletis foras eiiciatur. O nimium invidendam opulentiae conditionem, quam nec ferre possumus, dum suppetit, nec patienter sustinere, quum abest! An inopia putas, Luthere, magnatum luxum coerceri posse, nepotumque prodigalitem dura paupertate frenari? Non habitant, mihi crede, una pudor

Obicatio;

T10/21.

T10/22

&

& fames. Nam quum semel saevire coeperit impotens illa domina, adiget, certo scio, consceleratos homines, ventris & libidinis mancipia, in atrociora crimina, quam opulentia divitiisque insolentes antea perpetrabant. Perdant illi, quantum volunt, Ecclesiae opes, decoquant, consumant, profundant; num protinus durum paupertatis iugum imponendum est? aut, quod tibi magis placere video, in communionem & usum omnium hominum divitias redigendas esse censebis? Stupeo per fidem cavillos tuos, Luthere, & magis exhorreo mendacium, quum vero similis est. Sed detegit se tandem, homo imprudens, ista tua simulata ars, & detracta pietatis persona, quam falso obtendis, insidiae prodicionis tuae aperiuntur. Velim mihi vires sufficerent, & latera durarent diutius: aliquid enim ex iam aridis faucibus residuae vocis exiret, quo tot gentium, & Germaniae primum late patentis imperii miserabilem funestissimumque casum tuis, Luthere, illatum facibus, tuis incendiis immissum, deplorarem. Quanta hic mihi indignatione opus erat, ubi pro tot hominum millibus dolendum esset, quos tu doctrina scelerata ac nefaria perdidisti? Quae par crimini erit poena? quod supplicium? quis cruciatus? Sed age rursus, nam dolor prodicionis tuae abrum-pit mihi subinde orationis filum: redi mecum una

Per locum communera.

ad

ad causae statum, in quo nostra controversia erat. Adimis mihi, parce & frugalis homo, opes universas, agros, redditus, vectigalia, cultum, satellitium, domesticum splendorem. Rara ista profecto est frugalitas tua & parsimonia, qua vel clarissimorum imperatorum donis nos expoliari cupias. Sed mitto hoc tecum exostulare, & illud mihi statim responde: quo tu animo imagines, templa, caerimonias, confessionem auricularem tollis? Usque adeone Romanae Ecclesiae fastidium te capit, ut nihil, quod illius sit, non detesteris? Nihil video equidem, quod tibi placeat, quod nostrum sit. Non placet caelibatus, non monachatus, non solitudo, non auricularis confessio, non Eucharistia, non secreti ordinum praerogativa sacerdotum a saecularibus, non liberum arbitrium, non decreta Pontificum: quid demum placet? Atqui mirabilis est ingenii tui natura, cui ex tanta rerum copia nihil placeat. Necesse est per fidem, ut vel tu inter tot mortales unus sapias, reliquique omnes stulti aberremus, aut ipse (quod palam in hoc sacro amplissimoque Concilio testamur) perfidiose labaris, nobis exadverso fide consistentibus. Sed quis impetrabit, ut errorem tuum agnoscas, Luthere? Num tu? atqui servo es arbitrio, & fatali necessitate libertatis fores tibi clausisti. Num qui a te sunt haeretici? isti vero eodem

Ironia.

Transitio ad
aliam quaestio-
nem.

Inductio.

Dilemma.

Subiectio.

dem insaniae poculo ebrii omnes tecum ad aras bacchantur. Num ego? En si cupis, adsum adhuc mater, cui noxium virus miscuisti; sed refusum est facinus in auctorem suum. O Deum immortalem! quot tibi uno crimine mala peperisti, Luthere. Excidisti miser ex domo illa aeterna, ubi sidera volant, & sacri torquentur axes, ubi humanis se offerunt oculis sanctorum agmina, ubi beatae illae mentes sempiterno aevo fruuntur, ubi laetissimum Numen se patitur ab omnibus videri, quo nemo pervenit, nemo Ecclesiae Romanae hostis. Tu tibi hanc fortunam fecisti infelix. Quod si nunc daretur tibi tantisper in te descendere, & purgatissimis oculis praesentem vitae tuae conditionem inspicere, non dubito, quin te ipsum statim exhorresceres, & velut quodam immane monstrum squalido ore, barbaro, & ferali murmure, totas evomens Stygias pestes, continuo fugeres. Sed non vides, insane, quod tibi oculos effoderis, & caecitatis remedium non quaeris. Quid vero non quaeris? an luce ipsa forsitan offenderis? maius hoc malum ipsa oculorum orbitate est. An salutem desperas? & id praeterito crimine gravius est multo. Ignosce tibi iam tandem, Luthere, parce miseriae tuae, pete veniam, lava dolori habenas, funde lacrimas, precare Divos, macta hostias, decerne supplicationes; exorabis, mihi crede, peccati

Amplificatio.

Repetitio.

Hypotiposis.

Subiectio.

Epilogus per
disiunctionem,
quae celeritate
adfert et
venementian.

ti veniam. Quin omnes , quotquot huic coronae Concilioque adsumus , in unam coeuntes vocem, clamemus , supplicesque ad Deum ipsum Opt. Max. manus tendamus , ut per eius immensam misericordiam a furore & mentis insania respiscas.

FINIS.



ORAE

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. VIRO

ANDREAE DE CVESTA

EPISCOPO LEGIONENSI

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS

S. P. D.



Ridie Nonas Decembris, Illustrissime Reverendissimeque Praesul, *Orationem* habui in Doctoratu Theologiae doctissimi ornatissimique viri *Didaci Sobannii*, Academiae Complutensis aequissimi moderatoris. Quam in vulgus hominum statim edendam, tuoque illustrissimo nomini dicendam quamplurimis de caussis curavi. Ex multis vero una haec potissima fuit, quod is scilicet, pro quo est a me oratio habita, sit propinquus tuus, quem ego hoc nomine multis abhinc annis non dilexi modo, sed amavi etiam vehementer, & quasi alumnum disciplinae tuae semper colui. Fuit insuper altera huius editionis causa, quod a perpaucis hominibus, ex innumerabilibus paeneque infinitis, qui ad eam Theologicae laureae celebritatem, & me audiendum convenerant, propter exilitatem vocis illo die auditus fuerim. Laborabam enim tum podagra, quo sane morbo quum illigatis

Ff

es-

essem pedibus, sella si non curuli, certe coriacea humeris hominum in theatrum sum euectus. quod nemini post conditam Academiam Complutensem, praeterquam mihi uni contigisse aiunt. Eo vero tanta studiosorum iuvenum, & virorum gravissimorum eruditorumque multitudo confluit, quanta nunquam Complutum convolasse dicitur: ac nescio equidem, an plures olim Demosthenes auditores habuerit, quum in conspectu totius fere Graeciae pro Ctesiphonte contra Aeschinem dixit. Itaque incredibile studium, quo multi me audiendi tenebantur, & nimius etiam favor circumfussae hominum coronae mihi plane dicenti obstitit, quominus vox mea ad omnes perveniret. Quocirca, dimissa concione, transcribendae orationis copiam a quibusdam viris nobilibus sum efflagitatus, quibus, nisi typis excusa oratione satisfacere omnino non potui. Hanc ego foras mittere, & publicare nunquam auderem, nisi me illustrissimo nomine tuo & patrocinio tegerem. Quod quantum in rebus omnibus sit auctoritatis & momenti, non modo Academia Complutensis iam pridem novit, quae te alumno suo merito gloriatur, sed tota fere Hispania tuis litteris, virtutibus, & optimis prudentissimisque consiliis illustrata, una omnium, claraque voce testatur. Vale, Praesulum & Theologorum decus. Compluti ad X. Kalen. Februarii.

ORA-

Habita in Doctōratu Theologiae ornatissimi viri, Didaci Sobannos, Academiae Complutensis Moderatoris.

MUltum ac diu mecum ipse dubitavi, Rector amplissime, Cancellarie sapientia & auctoritate praestantissime, doctores gravissimi, viri imaginibus non tantum illustres, utrum difficilius, an maius esset negare viro amplissimo, eidemque reipub. nostrae principi & moderatori, quod saepius a me per hosce dies tanta contentione petebat, an efficere id, quod per amicos etiam communes non minori studio ille rogaret. Nam negare ei, quem in summa potestate imperii nostri divina quadam sorte subito collocatum viderem, quem ego etiam ante id aetatis propter raras eius & excellentes animi virtutes unice diligerem, summoque fuerim honore prosequutus, durum admodum mihi videbatur. Suscipere vero tantam rem, quantam non modo ingenio meo aut facultate ulla dicendi consequi difficile esset, sed cogitatione ac mente complecti, vix arbitrabar eius hominis esse, qui doctorum ac prudentium virorum reprehensionem vereretur. His vero difficultatibus illud quoque accedebat, quod me ancipitem quidem & dubium in diversa subinde agi-

Ff2

ta-

tabat, adfecta scilicet mea aetas, multis magnisque laboribus exhaustum corpus, diuturnisque morbis adeo confectum, ut hac tanta imbecillitate adfectus animus, prae incredibili taedio ac langore moereat. Ingenium insuper, quod eloquentiae flosculis in hoc amplissimo theatro olim nituit, nunc veteri alacritate omnino amissa, hebes ac retusum sine viribus iaceat. Illa postremo, quae me quondam apud vos saepissime dicentem commendarunt, vox suavis & canora, firma latera, vultus gravis & erectus, fulgura & tonitrua verborum, quibus (quod sine adrogantia & invidia dicam) totum hoc theatrum commovere solebam, aetate & morbo deformata omnia conciderunt. Vidi ego, Patres, longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summos in Hispania divinae sapientiae oratores, quotidie aliquid ex ea, quam meruerant, auctoritate, perdentes, quum illis concionantibus, quos principes fuisse quondam in eo dicendi genere non erat dubium, alii (quod indignum videbatur) riderent, alii erubescerent, alii dormirent: qui si antequam in illas aetatis insidias pervenirent, receptui canerent, & in portum integra nave se reciperent, numquam in illos auditorum risus temere incidissent. Mihi vero, P. ne quid simile hodierno die contingat, vehementer timeo: nam quum putarem me iam liberum ab invidia, procul ab his contentio-

ni-

nibus dicendi, famam in tuto collocatam, omnia denique mea secundis flatibus ferri, ecce tu, *Didace* ornatissime, cui honesta petenti reluctari modice per aliquod tempus potui; omnino vero negare non licuit, me ad hoc vetus gloriae curriculum multum ac diu recusantem impulisti. Sed nescio equidem, an satis honori tuo & dignitati consulueris, an satis videris illo die, quo me tuarum laudum praeconem esse voluisti. Licebat enim ex hoc flore iuventutis unum aliquem fortem ac robustum oratorem quaerere, qui dignam tuis meritis, dignam excellentibus virtutibus orationem haberet. Sed quando in me unum ex tanta virorum eloquentium copia oculos coniecisti, qui vitam tuam in omni contentione virtutum iam inde a puero eleganter traductam oratione mea ornarem; faciam equidem, ut aliquando ex me erumpat vera vox tuarum laudum, quam a cunctis Academiae nostrae ordinibus incredibili attentione iam dudum expectari video. Quare P. a vobis peto, ut dum de huius viri splendore ac dignitate pauca dico, in quo summa reipubl. nostrae hoc tempore constituta est, totis adesse animis pro singulari humanitate vestra & sapientia hodierno die velitis.

Multa sunt, P. quae mihi in hunc virum crebro intuenti, & amplissima eum cumulatam laude, & in omni virtutis genere excellentem plane testan-

tur;

tur : verum huius claritatis viri nullum est testimonium maius ac praestantius , quam quod proximis comitiis divinitus quidem declaratum fuit. Hic enim non humano consilio , non caeca ac temeraria sorte , non casu aliquo aut fortuna , quae rebus saepe popularibus dominari solet , in tanta virorum amplissimorum competitione , qui huius Academiae summum magistratum ambiebant , contra omnium expectationem praefecturam obtinuit , sed nutu quodam potius caelesti ac divino ad reip. nostrae administrationem adductus fuisse videtur. Quod si , ut tum res gesta fuit , memoria repetere velitis ; si procellas & tempestates , quibus eo tempore Academia nostra agitabatur , mente ac cogitatione persequamini ; si pericula , quae tum impendebant reipubl. litterariae , in animum revocetis , non hominem illo die vestris adfuisse comitiis , sed numen potius aliquod praefuisse dicetis , quod sortem illam salutarem ex urna tulit. Dicam hoc loco , P. vestra bona cum venia pauca de statu & conditione Academiae Complutensis , remque ipsam paullo altius repetam , ut quam magnum firmumque subsidium perditis Academiae rebus attulerit illa sors , brebiter intelligatis. Mihi quidem , P. memoria vetera repetenti , & tempus illud incipientis ac florentis deinde Academiae nostrae saepius contemplanti , aurea gens illa visa est , quae tum gubernacu-

cula reipubl. nostrae tractabat , regnumque prorsus Saturni (ut est in poetarum fabulis) sic apud maiores nostros vigeat , ut si cum illis nunc vellem reip. nostrae homines comparare , illos quidem aureos & vere beatos , hos ferreos & inquietos , nescio an recte satis , nominaverim. Erant fere universi , qui hanc scholam moderabantur , ingeniorum praestantia excellentes , cunctis virtutibus cumulati , omnibus perturbationibus liberi ac soluti , qui & iure aequabili , & unis moribus ac legibus , sine odio , sine invidia , in communi omnium rerum iucundissime vivebant. Florebant tunc opes Academiae nostrae , nec erat quidquam de vectigalibus imminutum : sed re laeta , integra ac florenti , sic unus omnibus imperabat , ut nemo aliis serviret. Nemo tum Cantaber erat , nemo Celtiber , nemo Carpetanus , nemo Vaccaeus , nemo Baeticus ; sed unius omnes civitatis ac reip. concordissimi cives. Verum quum haec sit rerum omnium humanarum conditio , quae quum ad summum fastigium pervenerunt , paulatim decidant & labantur ; mutata est forma Academiae nostrae , novi mores inducti , regnum Iovis tumultibus ac seditionibus plenum , post illam auream pacem introductum fuit. Sinite me , P. hoc loco lugere calamitatem nostram , & libere dicere quae cum magno meo dolore sentio. An non licebit , P. in republica libera libere loqui ? An-

tacitus praeteribo casum & ruinam Complutensis Academiae. Si enim filius Croesi laudatus est, quia, quum cerneret hostem in patrem districto gladio irruentem, illa solvit linguae impedimenta, quibus natura erat colligatus, illamque & salutarem patri, & omnibus admirabilem vocem emisit, *ne occidas patrem*; cur ego cuiusquam vestrum reprehensionem incurram, si quum videam quotidie, hanc miseram Academiam crudeliter trucidari, horribili stentoreaque voce inclamem, ne occidas matrem. Quid amplius dicam, P. pergamne longius in hac querela mea? Effundam sentinam omnium malorum, quae in republ. nostra fieri video? Facerem fortassis, nisi me natus pudor conantem dicere cohiberet, & vestra auctoritas, P. vestra, inquam, auctoritas, verecundum hominem retardaret. Verum vos ipsi tantisper cogitate, quas pestes, quas furias, quibus etiam clamoribus & verborum tonitruis, evomere potuisset liber aliquis orator, si hunc dicendi locum, qui mihi est hodierno die datus, consensu vestro obtinuisset. Quamquam haec conquestio, P. quae de occasu & interitu Complutensis Academiae a me suscepta fuit, non alio quidem spectat, quam ut tacitis animis divinam huius viri electionem fuisse, existimetis. Quoniam in tanta morum corruptela, in tanta hominum dissensione, qui *remp. nostram* gubernant; in tanta rerum

omnium confusione hic *Didacus* noster velut a caelo opportune missus fuit, qui convulsam ac deformatam *remp. litterariam*, qui fluentes mores nostros pristinae dignitati prudentia sua restituat.

Satis mihi multa verba fecisse videor, cur hic amplissimus vir divino declaratus testimonio, ad *reip. administrationem* accesserit. Restat nunc P. ut de eius vitae honestate, sanctissimis moribus, studio bonarum artium, patria & ornatissimis parentibus dicendum esse videatur. Haec quum vobis ostendero in hoc viro fuisse maxima & amplissima, non equidem dubito, quin pro uno me, quamplurimos sit habiturus ex his, qui adsunt, virtutis suae laudatores: tum vos illud intelligetis, P. ad communem omnium salutem & huius Academiae gloriam munere quodam divino ac caelesti hunc virum Rectorem fuisse creatum. Enim vero P. ut primum *Didacus Sobannius* eum est aetatem ingressus, qua certo aliquo iudicio, & confirmata mentis ratione inter viros gravissimos versari potuit, eam continuo de se egregiae indolis ac virtutis lucem splendoremque diffudit, ut nemo eorum, qui hunc eo tempore cognoverunt, dubitaret, quin ad res maximas & amplissimas esset procreatus. In hoc enim omnes aetates, omnes ordines, omnes tribus Arundensis civitatis conveniunt; sic eum a puero in studio moderationis, mansuetudinis & lenitatis evi-

gilasse, ut quum propter hanc unam perfectam cumulatamque virtutem omnibus esset carus, tum nemo erat, qui hunc non summo honore ac quovis munere dignum putaret. Verum ut de huius viri singulari moderatione plura disserere omittam, quid Deum immortalem! de eius admirabili continentia dicam? quid de verecundia, pudore, pudicitia, & reliquis divinis virtutibus? Quis unquam, P. hoc virtutum cumulo excelluit magis? quis hoc uno in rep. vestra temperatior fuit? quis verecundior? Quis maiore studio & ardore animi, non praemio aliquo populari adductus, virtutes omnes per se coluit? Numquam hic, P. verecundus fuit, ut bene apud vos audiret, numquam erubuit impudica loqui, ut rumorem bonum colligeret, numquam infamiae metu pudicus fuit, numquam ex liberalitate praemium ullum expectavit, numquam iustitiam mercenariam fecit. Novit enim ille, novit per se expectandas esse excellentes & praeclaras virtutes, quas si quis emolumentum causa amaret, numquam is vir bonus, numquam praeclarus haberetur. His animi bonis, quae vel sola, vel pulcherrima bona sunt, adiunxit *Sobannius* noster multarum artium & disciplinarum praeclara ornamenta, quae magnam quidem vim habent, cum ad vitam recte constituendam, tum ad informandos alios, qui hoc humanitatis cultu, negotiis aliis impediti, caruerunt.

Et-

Etenim longo aliorum usu didicerat, quod saepe ex illustri propinquo suo, Episcopo Legionensi, viro cum ingenio singulari, tum doctrina excellenti audierat, numquam elegantiam bonarum artium ab humanitatis laude esse seiunctam: immo semper ingenii suavitatem cum omni litterarum cultu ac nitore, incredibili amoris societate fuisse coniunctam. Est enim tanta vis in optimis artibus ac disciplinis, ut nulla sit tam barbara, immanis & fera natura, quae non illarum ope ac praesidio mitis atque mansueta reddatur, & ad omnem humanitatis rationem admirabiliter excolatur. Igitur quum omnem operam & studium in litteris ponere cogitasset, Mathematicas primum disciplinas sibi parandas putavit, quoniam in his & acuminis plurimum, & satis etiam lucis inesse intellexit ad reliqua doctrinae studia cum laude capessenda. Ex hoc eruditionis & sapientiae studio opportune dimissus, ex quo sibi celebritatem nominis, & ingenii famam amplissimam fecit, sic continuo utramque Philosophiam totis animi viribus est complexus, ut nemo fere esset eo tempore suorum aequalium, quem non *Didacus* noster percipiendi industria, admirabilique Philosophiae doctrina longe anteiret. His itaque omnium artium disciplinarumque praesidiis egregie munitus, ad sanctissimum deinde Theologiae studium acriore impetu animum retulit, cum quia in hoc sapientiae perce-

Ggg 2

le-

lebri domicilio florent viri in omni Theologiae genere excellentes, tum quia nullum Theologia munus aut maius aut melius a Deo fuisse homini datum putaret, his praesertim temporibus miseris & calamitosis, quum Lutherani, impii ac nefarii homines, in Hispaniam irruerunt. Quantum in hoc caelesti ac divino studio profecerit, quantum promoverit ingenium, quantum eruditionis famam propagaverit, & illa saepe declararunt publica in litteris certamina, & vos, P. plausibus vestris & crebris acclamationibus aperte significastis. Haec doctrinae studia, quae breviter vobis exposui, Patres, sic *Didacum Soban- nium* illustrem ac celeberrimum virum reddiderunt, ut ea mihi saepenumero consideranti, multo quidem melior bonarum artium ac litterarum conditio, quam regnorum potentia esse videatur. Haec enim in unius hominis fortuna posita sunt, & unius saepe culpa exstinguuntur & corruunt, illae vero vivunt & vigent in dies magis, quae neque morbo, neque aetate consumi, neque ulla temporis circumscriptione terminari possunt. Quocirca magni & excellentes viri, qui bellicae laudis gloria florent, quum earum rerum, quas gesissent, memoriam non satis fore diuturnam sperarent, nisi ab hominibus ingenio praeditis celebrarentur; eos, qui id praestare possent, summo semper in honore habuerunt. Sed mitto litteras cum regnis & imperiis comparare, quoniam
apud

apud eos viros verba facio, qui quum ipsi sint litterarum lumina & ornamenta, numquam permittent litterarum caussam ullo iudicio labefactari. Quare redeo ad hunc virum, ex quo laus haec & commendatio in litteras promanavit, cui ex litteris vicissim honor, gloria, decus & infinita paene commoda exstiterunt. Qui eo usque cogitatione & ingenio in omnibus artibus & disciplinis processit, ut huius quidem exemplo non solum mihi persuadeam, multos Augustinos & Hieronymos aliquando in Academia vestra exsistere posse, sed fore etiam quamplurimos nostrorum hominum, qui veterum admirabili sollertiae industria sua longe antecellant. Dies me deficeret, P. si eodem orationis impetu persequi vellem cetera huius viri amplissima ornamenta, quibus honestas generis, dignitas patriae, delati honores, opes, favor, gratia contineri videntur. Sed quia fluxa haec & caduca bona semper fuisse putavit, quae ut temeritate quadam nobis saepenumero obveniunt, ita quoque (quum libet) possit adimere fortuna: negat hic ornatissimus vir, ab his rebus sibi laudem quaeri, quae non ad veram & solidam gloriam, sed ad plausum solum popularem accommodatae videntur. Poterat sane *Did. Sobannius* de antiquitate familiae, agnationibus, & vetustate patriae iure gloriari, modo ea *Clunia* sit, in qua celebres olim conventus citerioris Hispaniae, & lapides speculares fuisse memorantur. Verum
haec

haec contempsit omnia, quae vulgi homines plurimi faciunt & admirantur, & ad illa solum animum adiecit, quae pro parentum & patriae mortali conditione immortalitatem essent adlatura. Nullum quidem a parentibus patrimonium accepit maius, quam verae & cumulatae virtutis gloriam, & rerum gestarum memoriam. Nullum a patria beneficium praestantius, quam quod ex tenuitate caeli promptum & acutum ingenium ad percipiendas disciplinas, & in omne virtutis decus propensum animum haberet. Quare quum haec iam luce sua ac fulgore his omnibus viris amplissimis pateant, voceque mea manifesta sint, quid tandem restare videtur, *Didace* sapientissime, nisi ut te tui muneris & officii tantisper moneam? Vide primum, ornatissime vir, ut illa ingenii tui & praestantis naturae subsidia, quae in te uno incredibiliter elucet, illa tot artium & disciplinarum admirabilis cognitio, illa propensio animi ad res omnes praeclaras & excellentes, illa denique maiorum tuorum rigida ac severa virtutis disciplina te ad laudem administrandae reip. vehementer commoveant. Memineris, obsecro, in omni procuratione negotii & muneris publici magnos tibi suscipiendos esse labores, infinita pericula subeunda, multorum hominum devorandam esse molestiam: ut, nisi tua illa praesto adsit nativa prudentia, quae ratione moderetur omnia, abiecto subinde clavo, navem reip. elides. Compara te igitur
in

in omnem fortunae eventum & casum, ut sis excelso & erecto animo, humanaque omnia despiciente, & in omni contentione virtutis semper invicto. Excitantur ambitionis procellae & tempestates inter tuos collegas, erumpunt variae cupiditates, certant de honore, rectum tene clavum. Vide ne quisquam sit apud te superior, quia sit amicus, quia provincialis tuus, quia *Vaccaeorum* partes sequitur: omnia omnibus aequabili iure imperti. Postulat *Baeticus* in vestrum collegium & societatem cooptari, cur ei negabis, si bonus & doctus est, quia tu in *Cantabria* natus, non in *Baetica* fuisti? *Ambit* *Carpetanus* artium aut *Theologiae* munus, cur si vere *Theologus* est, & litteris competitorem suum aequat, aut fortassis excellit, occultis insidiis repulsam accipiet? An tu existimas posse fieri, ut tam amplae & florentes resp. quantae olim *Atheniensium* & *Romanorum* exstiterunt, alio scelere conciderint, quam iustitiae & aequitatis penuria? An tu humana omnia & divina iura violabis, ut in re, quae tua non est, nec cuiusquam hominis privati, placeas amico? Omnes tu (mihi crede) appellabis amicos, sed nemo tibi amicus erit, nisi sola respublica. O quanta tibi gloria elucebit illo die, quum, depositis privatis commodis, te totum ad iustitiae & aequitatis studium traduxeris. Quid, obsecro, aliud, tantam odii & invidiae flammam in *Academia Complutensi* excitare solet, quam voces illae
ne:

nefariae, ab omni iure & humanitate alienae, quae usu iam & consuetudine in moribus nostris inveterarunt? *Est civis, est conterraneus, in municipio meo natus, meo suffragio collega erit: cetera. Quid mihi cum Baetico? quid cum Cantabro? quid cum Carpetano? Vaccaeus ego sum, illos solum agnosco, quos Pintia, quos Arunda, quos Campania mittit: reliquos nihil moror, quos una mihi patria non copulavit. O voces impias, & plusquam sceleratas! O mores perditos nostri temporis! Ad te non existimas pertinere eos, qui non sunt tuae nationis, neque municipii? Quid ais tantae Academiae Rector? Tu alienos arbitraris eos homines, quos una fides, una spes, una caritas, una domus, unum contubernium, unum vitae institutum non cives modo, sed fratres, & unius quoque regni heredes fecit? Haec est vox hominis Christiani, ne dicam Theologi Complutensis? Quare si tanta vis est in iustitiae & aequitatis splendore, ut hac una pulcherrima virtute sublata de medio, amplissima regna corruant & evertantur, nullaque sit reip. constitutio, nullus ordo, nulla dignitas, nulla denique vivendi ratio, hanc tu unam omnibus tuis emolumentis & cupiditatibus anteponendam cura. Haec si feceris, si praestiteris, si reip. causa complexus fueris, intelliget demum Academia Complut. sortem illam fuisse divinam, quae te ad communem omnium utilitatem Rectorem declaravit.*

F I N I S.

IL.

ILLVSTRISSIMO

Multisque nominibus clarissimo Viro

GARTIAE LOAISAE GIRONI

Archidiacono Carracensi & Doctori Theologo

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS

Hispalensis, & Rhetor primarius Academiae Complut.

S. P. D.



Rtes omnes nobiles atque disciplinas ingenuas, Illustris Loaisa, quondam floruisse accepimus, & ad summum honoris & dignitatis fastigium pervenisse, veterum auctorum monumenta testantur. Quae, quum in Graecia primum, deinde in Italia longe propagatae vigerent, tamdiu auctoritatem suam & dignitatem retinere potuerunt, quamdiu Graeciae libertas conservata est, & senatus Romanus rerum dominus fuit. Amissa igitur Graeciae libertate, & praecipitante republica Romana, bonarum artium studia una cum patria perierunt: quae una quidem fuit & praecipua causa corruptarum artium, sed non sola. Nam *Ludovicus Vives* Valentinus, huius calamitatis causas quamplurimas in eo libro refert, quem *De corruptis disciplinis* erudite conscripsit, imitatus, quantum

Hhh

ego

ego arbitror, Fabium Quintilianum, qui multis antea saeculis *De causis corruptae eloquentiae* volumen ediderat. Nec est cur ego dubitem, quin omnia in hoc opere prudenter prius cogitarit ac viderit *Vives* Valentinus, quam librum suum foras emitteret: quippe homo fuit acerrimi ingenii & prudentiae non vulgaris: verum eius quoque prudentiae fuerat, quasdam corruptarum artium causas silentio praeterire, ne (quod postea evenit) audacissimis hominibus ansam praeberet debacchandi in optimos auctores. Hinc enim (ni ego fallor) adrepta occasione, *Petrus Ramus* stilum strinxit in Aristotilem, Ciceronem & Quintilianum, non leviori quidem impietate ac scelere, quam gigantes olim (ut est in fabulis) Iovem atque ceteros deos a caelo deturbare conarentur. Sed haec alia querela est, quam missam facio, & ad eloquentiae interitum venio: quae quum primum deflorescere coepit, reliquae omnes artes liberales pessumdatae sunt, quoniam sola fere eloquentia & linguarum cognitione veteres disciplinae continerentur. Haec igitur usque ad Antoninum philosophum pervenit, quamvis circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artibus, illa inquam, quae olim omnium artium pulcherrimarum domina fuisset: sed nondum expulsa omnino fuerat suo regno, non mutata iudicio-

rum

rum forma. Verum posteaquam Marcus Antoninus philosophus censuit non expedire, ut iustum atque iniustum dicendo confunderentur, crevit Iurisperorum potentia, & forenses Musae prorsus conticuerunt. Quin ab interitu Ciceronis in ea tempora eloquentia incurrit, ut orationes (quod Cornelius Tacitus queritur) ad lyram non aliter, quam poetarum carmina canerentur: erat enim mollis & deliciosa & fracta compositio, ita ut genus dicendi ex sano & sobrio & severo ad luxum & voluptatem & delicias omnino traductum fuerit. Quocirca quum legibus iam a principibus constitutis iudicia exercerentur, visum est adhiberi potius ad examinandam causam iuris & legum peritum, quam facundum aliquem oratorem. Recepta deinde pietate Christiana, passi sunt principes, quod univ-
 sis in commune conduceret, ut presbyteri ad populum de rebus sacris loquerentur. Ita sacri concionatores priscis illis oratoribus succedere; sed dissimillimo successu. Nam quanto illos superamus rebus, tanto partibus omnibus eloquentiae, tota vi persuadendi, sententiis, argumentis, dispositione, verbis, genere orationis inferiores sumus. Huius enim rei culpam non equidem in concionatores transferendam existimo; nam quidam eorum callentissimi usus & totius prudentiae communis erant, ac tractandorum animorum non ignari artifices, sed in

Hhh 2

rei-

reipublicae conversionem, & mutationem temporum, quibus tenente uno principe totius imperii clavum, eloquentia ipsa bonarum artium regina est tamquam flos quidam delicatus flante Borea decussus. Sacri itaque concionatores in eloquentiam iam corruptam ingressi fuerunt, parendumque illis fuit sui temporis consuetudini, ut ea saepe dicerent, quae theatri scenae magis congruerent, quam severitati sacrarum concionum. Quare ego dolore tantae iacturae partim commotus, partim quotidianis amicorum precibus victus, revocare tentavi fugientes Musas: quae praeter causas, quas commemoravi, adventu etiam barbarorum in Italiam, velut accepta plaga, non fugisse modo ex toto Latio, sed cum patria intercidisse mihi videntur. Duos itaque libros perbreves conscripsi, alterum *De tribus dicendi generibus & de recta informandi stili ratione*, alterum *De methodo concionandi*: quibus pro viribus sum conatus, corruptam hanc & lascivam dicendi rationem, qua iam inde ab Annaeo Seneca non in foro modo, sed in sacris etiam concionibus omnes fere posteriores usi fuerunt, ad veterem dicendi scribendique modum referre. Pulcherrimam quidem & magnificam causam suscepi, quam si propter imbecillitatem ingenii mei non obtinero, illud certe, si aliud minus, efficiam, ut viros doctos & eloquentes excitem, qui pro bono publi-

co

co nullum recusantes laborem, tam honestae causae patrocinentur. Atque quum viderem, nihil a me neque in dicendo, neque in scribendo, ad veterem orandi formam & imaginem sine imitatione praestari posse, Ciceronem omnibus concionatoribus proposui, quem in omnibus linguis nemo non imitaretur: de vulgaribus autem linguis loquor, quae nobis sunt vernaculae, quas Ciceronis artificio informandas esse censeo. Nam vir hic cum primis magnus fuit, & in omni doctrinarum genere praestantissimus: qui, quo genere orationis humanae vitae rationes, & communes sensus cogitationesque nostras tractari oporteret, solus fere inter Latinos novit. Hos igitur libellos cui dicarem, saepe ac multum mihi cogitanti, tu Vir Illustris, non semel venisti in mentem, quem ego prae ceteris hoc munusculo dignum putarem. Quoniam si in patronis, quorum fidei ac tutelae freti lucubrationes nostras & ingenii monimenta divulgamus, generis nobilitas plurimum valet, quibus obsecro viris vel maior, vel illustrior nobilitas umquam fuit, quam Loaisis, Gironibus, Carvaialiis, quorum antiquissima nobilissimaque stirpe procreatus es? An est ulla gens clarior, quam ea, in qua frequenter magnae virtutes enituerunt? aut illa, quae frequentia clarissimorum hominum illustrata est? Exstiterunt enim permulti viri in gentilibus tuis bellica fortitu-

di.

dine excellentes, & iuris civilis scientia praestantes, cuius cognitione ac disciplina qui sunt destituti, saepius errant in rebus gerendis, quam Vlyses olim erravit in mari. His quidem duabus maximis praestantissimisque artibus maiores tui egregie instructi, in republica sunt dominati, & familiam suam illustrarunt, splendidissimisque titulis insignem reliquerunt. Si vero vitae integritas expetitur, ipsa te fere sola virtus carum bonis omnibus & venerabilem reddidit, ad omnemque decoris & dignitatis excellentiam idoneum praestitit. Si eruditio quaeritur, Complutensis Academia illo die testificata est, quantum studio Theologiae ceteros tuos competitores anteires, quo scilicet die litteraria comitia habuit, in quibus totius ordinis Theologici tu unus inter multos maximarum scientiarum admirabiles viros primus Theologus tacitis suffragiis renuntiatus es, sortitione vero postremus. Quod si in bonis habenda est pulchritudo, quae non potest esse (ut ait Aristoteles) nisi in proceritate: ex ea, nisi me pudor tuus vetaret, futurae claritatis magnum argumentum deducerem. Ceteras vero res, quas vulgus hominum avidissime appetit, prudens praetereo: & quod eas iam inde a puero neglexeris, ad veram virtutis gloriam solum adspirans, & quod non solum te vivo in ore omnium sunt, sed multo etiam magis post mortem per cunctorum hominum linguas

VO-

volitabunt. Quare merito te mihi patronum ex multis Hispaniae principibus viris delegi, cui commentarios meos nuncuparem, qui quamvis breves sint, eximium tamen & magnificum est, & multae variaeque eruditionis argumentum, de quo sunt a me conscripti. Parvi enim uniones gignuntur in conchis, sed inestimabilis sunt interdum valoris. Non ergo magnus versuum numerus, & ingens volumen pretium libris augent, sed eruditio & sermonis elegantia, atque in multos redundatura utilitas. Illud praeterea apud te non minimum valere debet, quod Theologiam & liberales disciplinas in Hispania didicerim, quae quidem provincia non modo a falsa doctrina, sed ab omni erroris suspitione Divino munere quam longissime abest: eosque praeceptores nactus fuerim, in quorum mentibus natura rerum tota propemodum refulsit, litterasque cum pietate veraque religione coniunxerunt. Quare si intellexero, lucubrationes meas dignitati tuae placuisse, maiores in posterum spiritus concipiam provehendi pro viribus meis humanitatis studia, quae digna quidem sunt, quibus a Theologis & Iureconsultis plus operae impenderetur, quam his temporibus impendi video. Vale, Vir Illustris ac doctissime, diutiusque ad salutem & incolumitatem reipublicae Christianae vive.

IDEM

IDEM ERVDITO LECTORI.

QVum superiore anno quatuor mensium inducias mecum podagra fecisset, quae me iam annos continuo decem miserrime excruciauerat, erudite Lector, visusque mihi essem tantisper respirare: quam primum mecum ipse cogitare coepi, quid efficere possem, quod & studiosis omnibus utile, & mihi ipsi gloriosum esse videretur. Atque post multam diuturnamque cogitationem, opportune venit in mentem, nihil me aut gratius quidquam, aut praestantius esse facturum, quam si *De recta informandi stili ratione* commentarium aliquem conscriberem, quoniam nulla re alia magis destituti essent nostri Hispani, quam hac una pulcherrima excellentique virtute. Nam, ut demus plerisque eorum ingenium, doctrinam, copiam, naturamque aptam ad dicendum, numquam tamen ad tantam laudem adspirarunt, ut rectam stili informationem essent consequuti. Sunt enim permulti abundantia quadam ingenii praediti, maximis praestantissimisque artibus atque disciplinis instructi, quibus tamen quum industria desit, ab eloquentia puritateque linguae Latinae, quae totius pulchritudinis atque elegantiae caput est, quam longissime absunt: quum

nul-

nulla quidem infelicitas hominibus doctis liberaliterque institutis possit evenire maior. Tanti enim fecit princeps ille Romanae eloquentiae Cicero hanc unam puram tersamque Latini sermonis elegantiam, ut foedissimam barbariae notam Marco Antonio inureret, propterea quod *contumeliam facere* dixisset. *Quis* (inquit Cicero) *sic loquitur? Satius esset mutum esse, quam sic loqui.* De optimo vero stili genere ingentes cum Bruto, Laelio, Cotta, aliisque doctissimis primariisque viris contentiones habuit: ut non solum ab eorum dissideret sententia, sed stili tenuitatem illis obiiceret. Nam, quum Laelius & Cotta genus illud dicendi lene, fusum, tractum, & aequabilitate quadam profluens, quo Cicero praeter ceteros oratores eo tempore floreret, adsequi non possent elegantis stili breuitate contenti, fusam illam & amplam orationis maiestatem, Ciceronis invidia moti, contemnere coeperunt. Quam facete rursus & acute Favonium oratorem irrisit! qui quum susceptam causam male peroraret, *accusavit Nasica* (inquit) *inhoneste, at modeste tamen dixit, ut Rhodi videretur molis potius, quam Moloni operam dedisse:* atqui fuit Apollonius Molon praestantissimus dicendi magister, cuius discipulus Rhodi fuerat Favonius. Porro, erepto e vivis Cicerone, acrior de optimo dicendi genere pugna inter vivos doctos conserta est. Nam Titus Livius,

quem lacteo eloquentiae fonte manantem D. Hieronymus miratur, Asinio Pollioni pingue quoddam & rude sonare visus est, & quamdam sapere Patavinitatem. Iam vero Fabio Quintiliano, qui propter ingenii praestantiam & dicendi facultatem omnibus bonis artibus & disciplinis instructam, secundum inter oratores locum obtinuit, obiecta est a Francisco Philepho linguae Latinae peregrinitas. Quid? quod Erasmus eiecerit Lactantium Firmianum ex eorum numero atque dignitate, qui Ciceronem imitarentur, propterea quod *dispositiones aeternas* dixisset, pro *decretis divinis*. Quanti, obsecro, apud hos auctores ducebatur, ut quis pure ac Latine loqueretur, quando propter unam phrasim, quae Ciceronis non esset, Lactantius non est habitus Ciceronianus? Insequuta sunt deinde tempora, quum variae paeneque innumerabiles barbarorum copiae influerent in Italiam, quam devastarunt, diripuerunt, & fortunis omnibus spoliarent. His autem temporibus miseris & calamitosis imperio Romano, cum ruina interituque patriae lingua quoque Romana concidit: ut posteri omnes, non tam in excolenda poliendaque lingua Latina certarent, quam in vindicanda adserendaque a barbarorum iniuria laborarent. Verum, posteaquam in regni sui possessionem revocata est, & pristino nitore dignitatie, quantum per ea tempora licebat,

re-

restituta, vetus de stilo atque de optimo dicendi genere controversia, quae longissimo temporis intervallo fuerat praetermissa, a viris eruditis repetita agitataque est. Nam Petrus Bembo & Iacobus Sadoletus, & quamplurimi alii excellentes doctrina & ingenio viri, qui ex tota fere Italia horum sententiam fuerant sequuti, unum Ciceronem imitandum esse dicebant: ad cuius imaginem effingendus esset stilus. Hinc occasionem nactus Erasmus, dialogum *Ciceronianum* cum multorum ignominia & invidia nominis sui iucundissime conscripsit: in quo tantum abest, ut istos, qui se Ciceronianos esse iactarent, in Ciceronis numerum aliquem referret, ut ab eo loco, quo se totos huius cognominis amplitudine & maiestate muniebant, usque adeo universos deturbaret, ut ipsum quoque Valerium Maximum, cui vel propter vetustatem honor aliquis habendus esset, non magis similem Ciceroni, quam mulum homini esse diceret. Quare quum in tanta opinionum varietate praestantissimos homines versari animadverterem, ut nihil de informandi stili ratione, deque optimo dicendi genere certi deduci posset: manum ego huic argumento admovi, non ut novi aliquid (neque enim tam adrogans sum) me adferre posse putarem, sed ut susius & tenodatus, ea, quae Cicero in libro de perfecto *Oratore* disputata reliquit, studiosis elo-

Iii 2

quen-

quentiae adolescentibus explicarem. Haec igitur mihi commentanti, paeneque ad finem iam perducen-
ti, nescio quo meo fato accidit, ut quidam me ve-
teres necessarii & familiares salutandi gratia con-
venirent: quibus quum id exponerem, quo essem
occupatus, novum mihi laborem, & longe quidem
imparem viribus meis, quod multis quidem a me
precibus impetraverant, in valetudinem meam pa-
rum miserati, non sine detrimento salutis meae &
iactura fortassis honoris addiderunt. Atqui ingen-
tem me Theologorum initurum esse gratiam mihi
dicebant, si de ratione *Concionandi* quid ego sen-
tirem, litteris mandarem: quod mihi quidem facile
esset, quoniam hoc totum opus maxime oratorum
esset. Recepi, me illis in hoc argumenti genus, &
quod grave esset, & quod concionatoribus ad obeun-
dum munus suum cum primis videretur esse necessa-
rium, quoad per valetudinem meam liceret, diligen-
ter elaboraturum. Magnum quidem opus suscepi,
sed curabo, quando semel id a me amici mei extorse-
runt (quibus ego nihil, quod honestum esset, ne-
gare debui) ut huius totius quaestionis opus aliquod
exstet. Quamquam me ab scribendo celebris Era-
smi fama deterrebat, qui quatuor *De modo concio-
nandi* libros iam olim foras emisisset. Verum, quum
ii libri Inquisitorum nota inusti repulsique fuerint,
ut neque eos legere, neque domi habere Hispanis
ho-

hominibus liceret, a proposito meo discedendum
non putavi. Accessit praeterea illud, quod prae-
cepta *Rhetoricae*, quae duobus libris continen-
tur, paucis essent Divinae Scripturae illustrata
exemplis: modumque concionandi, quod maxime
fieri oporteret, ad veterem Ciceronis dicendi usum
minime referret. Tractarunt post Erasmum hoc i-
psum argumentum Laurentius a Villavicentio & Al-
fonsus Oroscus, monachi Augustiniani, docte qui-
dem ac luculenter, ut par erat ab his viris tracta-
ri, quorum alter apud Theologos Lovanienses pro-
pter ingenii doctrinaeque praestantiam in summo
haberetur pretio, alter propter egregiam dicendi fa-
cultatem concionator regius sit creatus. Verum
ita hoc argumentum persequuti sunt, ut partes ali-
quot mihi relinquerent, quas ego latius amplifica-
re, & de more oratorum expolire possem. Nuper
autem Andreas Semperius, medicus Valentinus, li-
brum *De sacra ratione concionandi* editum ad me
misit, qui unus huic muneri par esse poterat, quo-
niam insignis sit rhetor, & litteras humaniores ar-
temque dicendi Valentiae profiteatur, nisi brevitati
studens, multa etiam necessaria praetermisisset. Ita-
que, quum locum mihi aliquem ad scribendum pa-
tere viderem, librum unum brevi tempore perfeci,
quo totam concionandi rationem (ut ego arbitror)
complexus sum: quam ad veterem orandi metho-
dum,

dum, quae Graeci Latinique oratores uterentur, referendam putavi. Hanc autem librum superiori commentario *De Tribus dicendi generibus*, sive *de recta informandi stili ratione*, ea de causa adiunxi, quoniam fundamentum totius huius rationis concionandi positum esset in optimo dicendi genere, qui locus est a me uno libro pro viribus perpurgatus, ut quae esset recta informandi stili methodus, a nemine non intelligi possët. Neque enim huius quaestionis disputatio esset plene cumulateque perfecta, nisi priori loco ingressus essem de optimo dicendi genere, de formandaque eloquentia scribere. Sed, quamquam huic toti quaestioni his meis commentariis esset abunde satisfactum, tamen concionatores qui ad summam dicendi laudem aspirant, his non debent esse contenti; quin potius de meo consilio se totos Demostheni & Ciceroni, atque aliis Graecis Latinisque auctoribus addicent: in quibus post Divinae Scripturae cognitionem, Conciliorum decreta, Sanctorum Patrum saepe repetita volumina, omne suum studium, operam & diligentiam ponant, ut eloquentiam, quam tantopere expetunt, horum imitatione aliquando adipiscantur. Hoc quidem illi facient exemplo Iustini martyris, Gregorii Nazianzeni, Basilii Magni, Ioannis Chrysostomi, Clementis Alexandrini, Eusebii, Cypriani, Tertulliani, Arnobii, Lactantii Firmiani, Augustini,

Hie-

Hieronymi, qui cum religione Christiana ethnicorum litteras atque eloquentiam coniunxerunt. Neque vero existimet Theologus, se iam idoneum, mirificeque ad concionandum paratum esse, si Aristotelis tantum Dialectica, & unius alteriusve auctoris scholastici quaestionibus munitus fuerit. est enim illi totius antiquitatis repetenda memoria, historiarum tenenda cognitio, multarum maximarumque artium habenda scientia. Illud praeterea oportet, nullum esse poetam, nullum historicum, nullum oratorem, quem non ille degustaverit. Nam, quae (malum!) dementia est, ne dicam impudentiam, velle quemquam hominem, nondum triviales scientias ingressum, sacrosanctum Christi Evangelium praedicare? Vtinam veterum Romanorum consuetudo adhuc exstaret, in moribusque nostris permaneret, ineptos indisertosque oratores adversis acclamationibus interpellandi. Quod si hoc in more nostro positum esset, multi sane concionatores adversas acclamationes pertimescentes, in suggestum non auderent conscendere, unde compertum haberent, sibilis & cachinnis cum dedecore se esse eiciendos. Sed iam receptui oportet canere; ne, dum de paucis indoctis adolescentibus querimur, de doctis etiam ac praestantissimis concionatoribus immerito queri videamur. Nollemque, ut quisquam moleste ferat, haec tam libere a me dici, nam testor Deum immortalem,

nul-

millius me hominis aut odio, aut invidia, aut similitate in hunc sermonem incidisse: sed ut politioris potius litteraturae studio, concionatorum benevolentia, pietate incredibili erga patriam flagrans, ad capessendas bonas litteras Hispanos meos exhortarer. Quare tenera puerorum aetas Graecae Latinaeque linguae nitore & elegancia imbuenda atque informanda principio est: quam si semel barbaries occupaverit, numquam postea, quum adultior iam & robustior fuerit, eam maculam, quae in prima litterarum institutione insedit atque inveteravit, deleere stilo poterit. Novi ego quamplurimos nostrae nationis homines, acutos dialecticos, praestantes philosophos, divinos Theologos; non ultra tamen scholasticos auctores progressos: qui, si humaniores litteras linguarumque peritiam essent edocti, in allos quidem Augustinos & Hieronymos fortassis evasisent. Nam unde, quaeso, tantam dicendi vim, & orationis vehementiam nactus est Gregorius Nazianzenus, nisi ex Demosthenis Attica divinaque eloquentia, ad cuius se imitationem totum a puero dedit? Ex quo item alio eloquentiae fonte illa tanta orationis suavitas, quantum in Basili Magni concionibus admiramur, tam copiose promanavit, quam ex Isocratis ludo atque officina? Unde illa Chrysostomi tam profusa eloquentiae ubertas, tam dives lingua & aureus orationis fluvius exstitit, nisi

ex

ex multis oratoribus Graecis, quos didicit, hausit, expressit? Atque ut ad nostros veniamus, unde Divus Augustinus longos illos stili ambitus & circumductas periodos imitatus est, nisi ex Marci Tullii Orationibus, quas non modo legit, sed publice etiam Romae & Carthagine enarravit? unde D. Hieronymus tam tersum & ornatum stilum sibi comparavit, ut auderet Erasmus dicere, quibusdam eum virtutibus oratoriis superiorem Cicerone fuisse, nisi quia se totum ad Ciceronis & Demosthenis imitationem & exemplum retulerit? Praetereo Lactantium Firmianum, Ambrosium, Gregorium, D. Leonem Papam, qui ethnicos auctores cunctis bonis artibus ac disciplinis spoliaverunt, ut ad illustrandas Divinas Scripturas apti atque idonei esse possent. Quare optarem ego, eos omnes, qui muneri concionandi destinati sunt, ut ad horum sanctissimorum virorum, qui lumina & ornamenta Christianae religionis exstiterunt, imitationem & imaginem vitam suam & studia instituerent: ut non solum in Hispania Christi Servatoris nostri Sacrosanctum Evangelium apte atque decenter praedica- rent, sed in fines usque orbis terrae cum ingenti auditorum fructu, & magna sua laude, personarent.

Kkk

AD

AD ERUDITISSIMUM
ET ELOQUENTISSIMUM VIRUM
ALFONSVM GARSIAM MATAMORVM

Simonis Cugnae Riberæ Lusitani

EPIGRAMMA.

*Dum iuvenem eloquii splendentibus induis armis,
Et iacere altisono fulmina ab ore doces:
Quod praestare soles, id mira praecipis arte,
Dulceque Nestoreo fundis ab ore melos.
Iure igitur, Matamore, tui dum pectoris omnes
Thesaurus promis, deliciasque meras:
Te solum spectat, te solum suspicit orbis,
Te solum eloquii iudicat esse patrem.
Mutatisque notis merito tibi, Garsia, posthac
Gratia pro veteri nomine nomen erit.*

ALIVD

ALIVD EIVSDEM

EPIGRAMMA

AD LECTOREM.

*Vt quondam Antaeus terrae omniparentis alumnus,
Viribus & mira dexteritate potens,
Luctando quoties defectus viribus esset,
Membraque difficilis frangeret aegra labor:
Majores animos, duplicato robore vires,
Lassus ab herbosa concipiebat humo.
Nam quoties fessus genitalia tangeret arva,
Materno stratus languida membra sinu,
Acrior, & solito violentior ibat in hostem,
Omnia collecto robore concutiens.
Sic qui sensa animi concinne expromere nescis,
Distincteque suo dicere quaeque loco:
Si magni exoptas fieri Ciceronis alumnus,
Et regere arbitrio plena theatra tuo:
Has pete divitias, haec clara volumina versa,
Invigila his noctes, invigilaque dies.
Nam velut Antaeus, vires animumque resumes,
Hos quoties tanges, lector amice, libros.*

Kkk 2

IN-

Quaestionum, quae in hoc tractantur commentario.

- CAP. I. Quod tria sint genera dicendi, in quibus versari debet orator, ut sit in arte dicendi summus.
 CAP. II. Quid sit stilus, & quibus nominibus appelletur.
 CAP. III. De tenui dicendi genere, sive de stilo humili.
 CAP. IV. De genere dicendi intermedio sive temperato.
 CAP. V. De sublimi & gravi dicendi genere.
 CAP. VI. Quod sit optimum dicendi genus.
 CAP. VII. De numeris & periodis.
 CAP. VIII. De particulis circumducentibus periodum.
 CAP. IX. De puritate sermonis Latini.
 CAP. X. De variis stili formis ex Hermogene.
 CAP. XI. De imitatione Ciceronis.

CAP.

DE TRIBVS DICENDI GENERIBVS

SIVE

DE RECTA INFORMANDI STILI

RATIONE COMMENTARIVS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Quod tria sint dicendi genera, in quibus versari debet orator, ut in arte dicendi sit summus.



Marcus Tullius, Romanae facundiae facile princeps, tria in universum dicendi genera constituit: a quibus quum omnis eloquentiae vis, ceu ex uberrimis perennibusque fontibus promanaret, tum universa informandi stili ratio contineretur: quam nemo quidem ex Latinis oratoribus ante ipsum Ciceronem adsequutus fuerat. Nam qui aetate Crassi & Antonii nomen aliquod ex eloquentiae laude sibi compararunt, quum ad hanc dicendi varietatem, propter quam ad tantum honorem vivente Cicerone adscendit eloquentia, aspirare minime possent, cunctas res natura & dignitate dispares & longe lateque dissimiles uno orationis filo pertractabant. Cicero vero, quae eius unius inter cunctos

La.

Latinos immortalis gloria fuit, parem rebus orationem & aequalem omnino reddere coepit, quum parva submisse, mediocria temperate, & summa graviter, novo quidem & inaudito Romanis exemplo, diceret. Vnde tria illa dicendi genera fluxerunt, *tenuē, intermedium, & summum*, sine quibus nemo Cicetonis iudicio potest esse omni laude cumulatus orator. Neque enim me latet, innumera- biles ac paene infinitas dicendi formas in diversis hominibus passim animadverti, quas non rerum ulla quidem differentia constituit, sed hominum potius varia multiplexque natura, in Rhetorum scholas & in forum, atque adeo in orbem ipsum invexit. Vt enim sua est cuique homini facies, ut sua cuique vox, ut suus postremo cuique genius, & totius corporis diversus est habitus; ita quidem sua est cuique homini dicendi forma, ab ingenio cuiusque & natura fluens, gravis, levis; hilaris, moesta; vehemens, lenis; brevis, copiosa; atque ut multa brevi oratione complectar, tot sunt dicendi formae, stilique discrimina atque caracte- res, quot sunt homines ipsi, qui loquantur: ut qui de iis velit dicere, multa quidem ille de homini- bus fortassis dicet, sed de re ipsa parum: propter- ea quod haec tam fusa & tam late patens, mul- tiformisque *stili* varietas citra illorum trium dicen- di generum rationem numquam excurrere poterit.

Ver-

Vertat se orator in omnes partes, quantum volet, mutet se in varias subinde figuras, induat novos dicendi habitus: occurrat nobis modo laetus, mo- do tristis; modo facetus & urbanus; modo horri- dus & durus: tentet dicendo omnia, cuncta expe- riatur stilo, vel aliorum vestigia imitatus, vel suo potius indulgens ingenio, numquam sic ab his tri- bus dicendi figuris se disiunget, quin in unam ex illis tribus continuo incidat, aut in *tenuem*, aut in *summam*, aut in *mediam* ex his, & quasi tem- peratam. In his singulis multi & priscis tempori- bus, & nostra patrumque memoria, viri excellen- tes floruerunt, ut erat cuiusque hominis ingenium, aut ad submissam eloquentiam propensum (quae vulgo Attica dicitur) cuius tota vis in subtili qua- dam & pressa dilucidaque oratione posita semper fuit; aut ad aequalem & temperatam dicendi ratio- nem, quae uno semper tenore fuit; aut ad subli- me illud & grandiloquum dicendi genus, quod am- plitudinem, vehementiam, copiam, varietatem cum sententiarum gravitate maiestateque verborum ad permovendos animos requirit. De horum itaque dicendi generum informatione pauca dicere aggre- diar, quod equidem putem, huius quaestionis dis- putatione quamplurimis adolescentibus eloquentiae studiosis me valde gratificaturum.

CAP.

CAP. II.

Quid sit stilus, & quibus nominibus appelletur.

Veteres auctores qui eloquentiae praecepta litteris mandarunt, variis nominibus *stilum* appellarunt: nam phrasim, dictionem, characterem, filum orationis, habitum orationis, tenorem, formam, & figuram dicendi, appellatione quidem varia, sed sensu eodem, dici prodiderunt. Est enim *stilus* habitus orationis a cuiusque hominis natura fluens, qui inventionem, dispositionem, & eloquentiam artificiose comprehendit. Quocirca barbari homines, & qui vinctae compositaeque orationis leges ignorant, *stilum* non habent. Quo certe fit, ut imperitorum hominum phrasis nihil nobis adiumento esse possit ad iudicandum de auctoribus, quoniam incerta est & soluta vagatur, nullis compositionis aut informata praeceptis, aut adstricta legibus: eloquentium vero nullus certior index ad cognoscendos explorandosque auctores, quam *stilus* esse potest: qui quamquam vel pro aetate, vel pro argumenti natura, vel studio, vel profectu, vel pro animi habitu non nihil varietur, numquam tamen sic faciem omnino mutat, ut dignosci non queat. Alia est quidem Ciceronis oratio in Philip-

lip-

lippicis orationibus, quas senex scripsit, quam in Verrinis actionibus, quas iuuenis elaboravit; & alio dicendi genere defendit Milonem, quam quo disseruit *de Officiis*: & multo quidem eloquentius informat *Oratorem* suum, quam praeceperat *de Inventione rethorica*: sed ita his de rebus tractat, ut facile agnoscas auctorem. Nam in excellentibus praestantissimisque auctoribus nulla de *stilo* potest esse dubitatio: in mediocribus fortassis haesitare interdum de *stilo* non est ignorantiae tribuendum: propterea quod in viris illis magnis & excellentibus ingenii vis, doctrinae magnitudo, eloquentia singularis, aliaeque dotes eximiae & admirabiles *stilum* reddunt inimitabilem: quemadmodum Apellis manum, quam vel primo quidem aspectu propter artis praestantiam nemo non pictor olim novit; imitari tamen aliquis si conaretur, numquam sic penicillo eam exprimere potuit, ut pro Apelle reciperetur. exhibet enim semel totius animi simulacrum oratio ipsa: neque secus quam in corporum propagatione parentum habitus in liberis repraesentatur; ita quoties ingenium exertis viribus gignit aliquid, omnes mentis notas illic licet agnoscere. Quare qui *stilum* certum esse indicem ad cognoscendos auctores negant, veterem profecto regulam receptam etiam ab his, qui eloquentiam cum vitae integritate & religione coniunxerunt, turpiter ab-

LII

ii.

iiciunt. Nam quis, obsecro, in Cicerone, in Caesare, in Livio, in Quinctiliano, & in sanctissimis eloquentissimisque viris Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Cypriano, Lactantio, qui omnibus stili ornamentis usi fuerunt, non continuo quibusdam insignibus & privatis notis eorum scripta ab aliis internoscant? At mihi dices, omnia mutat aetas, & adfectus animi varius genus dicendi contorquet; tum imitationis studium in aliorum mores & ingenia imitatores abire cogit. Sunt praeterea non parum multa, quae quotidie in stilo variantur, quoniam nulla res est, in qua maior varietas esse possit. Ego vero naturam hominis perfici posse, novisque deinde cumulari ornamentis non diffiteor; inverti vero omninoque mutari, numquam mihi quisquam probabit. Cicero enim studio, exercitatione, aetate, multum a primis illis eloquentiae rudimentis cum Roscio patrocinatus est, seipsum postea subduxit, oratorque perfectus omnibusque numeris absolutus evasit: ita vero orationem suam locupletavit & genus dicendi moderatus est, ut ingenium expoliret, naturam autem non labefactaret. Summa itaque propositi mei est, non temere eos facere, qui de auctoribus sententiam ferunt, phrasi & stilo persuasi: vel quod suus cuique sit stili naturae quibusdam notis distinctus ac insignitus, ita uniuscuiusque hominis naturae ingenioque aptus, ut

ut non alia re magis animi mores prodantur, ingenium demonstratur, adfectus cuiusque hominis & propensio naturae proferantur, quam oratione assoluta, aut vincata & contexta, quae *stilus* vulgo nominatur. Hic enim est magni laboris, in quo uno excolendo & formando, totam vitam magni cum primis & excellentes viri consumserunt: ex quorum numero unus fuit divinus Plato, qui quum esset alterum & octogesimum annum natus, poliendo stilo mortuus est. Hunc Theophrastus imitatus, a divina phrasi nomen est adeptus, quum antea Tyrtamus, ut refert Diogenes Laertius, appellaretur. Nec minorem laudem ex aureo orationis flumine D. Chrysostomus reportavit: quem utinam Graeci Latini-que omnes scriptores postea sequuti essent, haberemus hodie Theologos nostros multo elegantiores, quam eorum scripta demonstrant.

CAP. III.

De tenui dicendi genere, sive de humili stilo.

TRia esse dicendi genera, cum Ciceronis, tum etiam Homeri, veterumque auctorum testimonio atque exemplo constituimus. Quam quidem tripartitam divisionem ipsarum rerum natura (ut superiore capite diximus) perspicue demonstravit. Nam

omnia quae dicenda subiiciuntur oratori, aut sublimia sunt, aut humilia, aut intermedia. Quum autem & eloquendi genera rebus aptari debeant, & eloquutionem citra rerum decorum contemnat orator, tot dicendi species esse necesse est, quot rerum dicendarum genera constituuntur. Primum igitur dicendi genus, quod *tenuē*, *humile* & *gracile* appellatur, reliquorum generum velut fundamentum quoddam est, propterea quod in sola elegantia & sermonis puritate positum esse videtur: ceteris vero dicendi formis praeter linguae proprietatem, quae prima orationis virtus est, ornatum & amplitudinem adhibere solet orator. Stilus autem *humilis* & *infimus*, quum rebus & verbis constet, sententias omnes habet humiles & vulgares, quae verborum itidem compositione tenui, & ornatu humili vestiuntur. Atqui gracili filo texuntur partitiones, definitiones, descriptiones, interpretationes. Ad eandem tenuitatem referuntur divisiones, colloquia, & levium rerum narrationes: leves narrationes intelligo eas, quae iocantur. haec sane omnia nihil aliud volunt, quam pure, & dilucide, & usitato sermone monstrari. In hoc tenui dicendi genere summam laudem omnium veterum scriptorum testimonio Iulius Caesar promeruit, qui *Commentarios Gallici Civilisque belli* tanta puritate & venustate sermonis Latini conscripsit, omni veste oratoria detracta, ut maiore qui-

quidem non posset Cicero. Epistolae fere omnes Ciceronis ad *Atticum*, & septimus *Epistolarum* liber ad *Trebatium* in tenui orationis figura, humilique stilo versantur. Virgillii etiam *Eclogae*, & *Comediae* omnes *Terentianae* & *Plautinae* tenui orationis filo sunt contextae. Ciceronis orationes pro *Quinctio* de societate, & pro *Aulo Caecinna* de fundo, pro *Roscio Comoedo* de debito, graciles & submissae sunt. Quod si *Georgius Trapezuntius* intelligeret, numquam quidem pronuntiaret, omnes *M. Tullii* dictiones arduas & sublimes videri. Est quidem haec in stilo humili summopere servanda methodus, ut nullis amplificationibus, nullis digressionibus, nullis locis communibus, nullis aut amplis aut sonantibus verbis, nullis comprehensionibus, nullis denique neque longis, neque plenis periodis utatur orator, sola sermonis proprietate & elegantia contentus. Maiora vero si crepet, & plenis, quod aiunt, faucibus buccinetur, in illud continuo vitium incurret, cuius est apud *Martialem* festivum exemplum:

*Non de vi, neque caede, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto,
Hoc iudex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,*

Et

*Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque Muciosque
Magna voce sonas manuque tota;
Iam dic, Postume, de tribus capellis,*

Iucundissime sane Martialis Mutium irridet, qui quum tenuem causam *de tribus capellis* defenderet, digrederetur longius a controversia, & magna illustrium clarorumque virorum nomina & proelia sonaret. Addit praeterea Cicero submisso dicendi generi acumen, iocos, sales, venustatem: ex quo uno genere, qui vocantur Attici, ad omnem sermonis gratiam politi & limati prodierunt. Nam Atticos vulgus nominat omnes auctores acutos, tersos & elegantes: qui venusta quadam breuitate omnia dicendo comprehendunt. Atque hoc errore quamplurimi homines persuasi, submissum genus dicendi totis viribus exprimere conantur, quoniam putant idem esse Attice dicere, quod presse & eleganter dicere. Verum Cicero in libro de perfecto *Oratore*, omnem hanc controversiam perspicuam fecit: qui nihil esse aliud Attice dicere ostendit, quam pro rei natura dicere. Neque enim Atticus is erit existimandus, qui uno semper orationis tenore fluit: sed qui subinde pro natura rei mutat stilum: quam quidem praestantem divinamque laudem uni Demostheni inter omnes oratores Graecos Cicero tribuit: quem

quem vere Atticum appellat. Quod si hoc loco me quisque roget, quid sit *Ciceroniane* dicere, idem ego non temere fortassis respondebo, nimirum Ciceroniane dicere, idem prorsus esse, quod pro rei natura dicere. Quae una quidem res in causa est, ut saepe in gravi sublimique causa partes quasdam humiles & tenues apud Ciceronem inueniamus. Cuiusmodi quidem illud est in causa Milonis: *Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu Ruscio, verbi causa, cave sis mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.* Quae certe phrasis ab stilo comico nihil differre videtur. Illud itaque est *Attice* & *Ciceroniane* dicere, quod omnes eloquentiae partes attingit. Huius sane interpretationis summa est principi eloquentiae Ciceroni habenda gratia, cuius auctoritate sciolos omnes & contentiosos homines refellemus, qui Atticum genus esse putant quidquid est humile, tenue, iocosum, facetum, pressum, limatum, acutum, praeterea nihil. Tota igitur nostra haec de stilo tenui disputatio huc spectat, ut certam huius generis methodum tradamus, quam in dicendo & scribendo sequantur adolescentes, qui magno animo eloquentiam ingressi, ad eius culmen quotidiana exercitatione adspirant. His tenuem oratorem talem depingimus, qualis a Cicerone in suo *Oratore* eleganter exprimitur. *Tenuis orator (inquit Cicero) modo*

sit

sit elegans, in faciendis verbis non erit audax, sed in transferendis verecundus & parcus, & in priscis, reliquisque cum verborum, tum sententiarum ornamentis demissior: translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur, non modo urbanorum, sed etiam rusticorum. Indicavi etiam auctores, quos nobis in stilo tenui ad imitandum proponemus: nam opus est oratori futuro *imitatione*, quae quod praeceptis deest, implet, & quod habent praecepta, confirmat. Auctores vero quos imitabimur, ab una aut altera sententia non continuo iudicabimus, aut submisisse, aut temperate, aut graviter egisse, nam nostra nos falleret ratio: a toto autem corpore, vel a tota parte iudicanda est potius forma dicendi. An ideo Virgilium tenuiter cecinisse Bucolica dicemas, quod versiculus est tenuis?

Prondè super viridi, sunt nobis mitia poma: haud quaquam: sed illorum bonam partem humili materia & eloquentione confecit: Interlecit enim aliquando optimos versus, qui in canenda heroum maiestate non dedeçant. Porro in Virgillii Eclogis, in quibus nihil fere est, quod opilio non intelligat, quaedam, interdum inferuntur a poeta, quae non ab aliis, quam a viris doctis intelligi queunt. Quod idcirco summus poeta mihi fecisse videtur, aut ut veterum morem referret, aut ut temporis decorum servaret. Constat enim, rem pastoralem in honore ma-

ximo olim fuisse, & in ea versatos esse viros egregios, qui non ignorarent scientiam naturae. Quae ratione motus Virgilius intexuit, non exposuit multa, quae physici disputata suis libris reliquerunt. Sunt enim haec maiora vulgo rusticorum, quod significat hoc versiculo Virgilius Maro:

Sicelides Musae, paullo maiora canamus.

Verum ut haec ita sint; non protinus ab his, quae rara sunt, iudicium de auctore & de stilo est faciendum: nam nemo est tam indoctus, ut rem pecuariam velit adscendere, quo heroicae gravitatis amplitudo pervenit. Haec sane habuimus quae de *methodo stili tenuis* diceremus.

CAP. IV.

De genere dicendi intermedio, sive temperato.

GENUS dicendi *mediocre* legitima quadam ratione aequabile & temperatum Cicero appellat, quia uno orationis tenore, & placido amoenoque orationis decursu quieto amni simile fluit. Id vero quinque orationum generibus ab eodem summo oratore accommodari solet: nam laudationes, exercitationes declamatoriae, historiae, panegyrici; & quae in genere epidiético versantur, hoc uno intermedio & dulci orationis genere tractari debent. Sunt enim haec

genera pulsa foro, & sola fere inspiciendi caussa ad ostentationem inventa, quibus haec est a Cicerone praescripta methodus, ut dulce sit hoc orationis genus & solutum & fluens, hoc est sine contentione & sine argumentis, copiosum deinde, & a perpetua narratione nihil omnino abhorrens. Quare tota haec phrasis, quae temperato generi tribuitur, in copia & amplificatione maxime consistit, quoniam res, quas exponit, omni ratione conatur amplificare, & quam maxime extollere, quemadmodum Cicero in oratione pro *M. Marcello* res gestas Caesaris divina quadam copia & aureo orationis flumine exornavit: & in *L. Manilia* non solum summa rerum & verborum amplificatione Cn. Pompeii laudes est prosequutus, sed acutis etiam sententiis orationes illas multo suaviores fecit. Atqui est illa ad laudem in oratione pro *L. Manilia* arguta sententia: *Fuit profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem & gloriam divinitus adiuncta fortuna.* Rursus illa: *Quo minus incerta est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet hominis vita atque virtute.* Ad vituperationem rursus est illa: *Neque enim potest is exercitum continere imperator, qui seipsum non continet: neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult.* Verba deinde debent esse in hoc genere plena & sonantia, ut illa in eadem

ora-

oratione: *Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris.* Et illa: *Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet.* Porro usurpabit in hoc genere orator eas omnes figuras, quae iucunditatem, amplitudinem & suavitatem adferunt, cuiusmodi sunt similiter cadentia, similiter desinentia, articuli, gradationes, agnominations, antitheta, metaphora: reddet paria paribus, relata relatis, & id genus *schematis* orationem suam exornabit floribusque consperget, ut pompae & ostentationi longe aptior esse videatur, quam palaestrae & contentioni: nam hae sunt exornationes, quibus in genere *temperato* & *demonstrativo* frequenter utimur. Illud rursus erit operae pretium paucis explicare, quibus nimirum orationis partibus hoc sedatum & dulce dicendi genus maxime conveniat. Nam quamvis lenis ac temperatus stilus in omnes se demonstrativae orationis partes late diffundat, sunt tamen earum quaedam, quae omnium maxime stilum sedatum requirant: ut *exordia* & *narrationes*, quibus honesta, verecunda, tracta & suavis oratio est omnino accommodanda. His locis ambitu, atque longis plenisque periodis utendum erit. quae praeterquam quod dignitatem & amplitudinem orationi conciliant, illud etiam praestant, ut lenior ac remissior fiat oratio, qualem in caussarum principiis, & narrationibus saepissime a Cicerone usurpari video. Hoc loco pauca mihi de *stilo* histo-

Mmm 2

ri-

rico dicenda sunt , opportunam a Cicerone occasionem nacto , qui historiam ad temperatum dicendi genus referendam putat : cui omnes eloquentiae flores , cuncta ornamenta , stili suavitates , leporem , universas denique delicias , quae cum comi urbanaeque severitate non pugnant , non modo non adimit , sed velut propriam supellectilem reddendam praecipit. Is enim ad Atticum scribens , historiam de rebus gestis in suo consulatu se Graece texuisse testatur , in quam Isocratis myrothecia , & discipulorum Aristotelis arculas se profudisse gloriatur. Contra vero inculti horridique stili Atticum notat , qui quum eiusdem argumenti historiam conscribendam susciperet , sine ullis eloquentiae ornamentis aridam & ieiunam reliquisset. Idcirco Cicero nihil umquam magis in votis habuit , quam dari sibi a rebus publicis nonnihil otii ad scribendum historiam , propterea quod Latini historici , qui res gestas populi Romani ante Sallustium & Titum Livium litteris mandarunt , hac laude prorsus caruerunt , erant enim breves atque ieiuni rerum enarratores : historiae vero partes aut ignorabant , aut praestare non poterant : vel quod hoc opus (ut ait Cicero) maxime oratorium sit , vel quod magni cum primis viri ac prudentissimi sit historiam conscribere. Quare nescio ego qua fronte quamplurimi homines huic excellenti praestantique muneri se ido-

neos

neos arbitrentur , quum non modo artem dicendi non didicerint , quae sola hoc officium praestare potest , sed studium Philosophiae reliquarumque artium nobilium contemserint : a quibus omnibus civilis prudentia , quae oratores & historicos maxime decet , ad omnem orationis commoditatem proficiscitur. At video quid mihi contra ab adversariis opponi possit , nam uno se tuebuntur Caesare , qui *Commentarios* de bello Gallico atque Civili sine his eloquentiae lenociniis conscripsit , quae longius ab historia sua ableganda putavit. Ego equidem Caesari do quantum homini Romano in elegantia & venustate , & Latini sermonis proprietate dari umquam potuit , nec existimo quemquam inter Latinos exstitisse , qui hanc laudem praecepisset Caesari. Verum ego non de Latinae linguae puritate loquor , sed de partibus historiae disputo , quae ut plena & perfecta sit , his omnibus ornamentis , quae enumeravi , cumulari debet. Caesaris enim historia numeros omnes non implevit. Nam illa Attica brevitatis , qua praeter ceteros Latinos auctores excelsit , copiam omnem abiicit , in qua multo magis , quam in brevitate se ostendit eloquentia. Expressi , quantum potui , medii ac temperari generis imaginem : quam facile cognoscet , qui non modo rem , de qua agitur , cuius sit dignitatis consideravit , sed numerosum & profluens dicendi genus exploravit : quod

quod quinque orationum formis accommodatum esse diximus, inter quas historiam etiam (ut visum est Ciceroni) referendam multis de caussis duximus. Exempla vero intermedii ac temperati dicendi generis passim apud Ciceronem inuenies. Nam ut omittam huius eloquentissimi viri *Officia*, quae stilo aequabili ac temperato ipse a se conscripta fuisse testatur, duae inter alias exstant eiusdem auctoris orationes pro *M. Marcello*, & pro *L. Manilia*, absolutum & expressum temperati ac mediocris dicendi generis exemplum. Quod si exemplorum maiorem copiam huius generis studiosi adolescentes desiderauerint, libros de *Philosophia* editos a Cicerone diligenter evolvant. Nam tres eloquendi formas imitatus est Cicero: *tenuem* in *Epistolis*, *mediam* in *Philosophia*, *gravem* in *Orationibus*. Iudicium hoc de Cicerone a toto (ut dixi) corpore facimus, non ab una aut altera sententia, quae nos plane in eam solum intuentes decipere posset. Nam sunt permultae Ciceronis epistolae gravi stilo compositae: sunt non paucae caussae tenues: sunt postremo multa intra unam vel epistolam, vel orationem, quae varias induunt dicendi figuras, & pro natura rei de qua agitur, subinde variant stilum. Verum haec unius aut alterius sententiae varietas non continuo iudicium de toto opere factum evertet, quod a themate scilicet, & a dignitate sus-

ce-

cepti argumenti, ab universaque operis structura expendendum est.

CAP. V.

De sublimi & grandiloquo dicendi genere.

DE *summo* dicendi genere multo aliter iudicabit Cicero, quam vulgi homines existimare solent. Nam quidquid est sententiarum varietate conspicuum, verborum flore iucundum, figuris pictum, iunctura molli, numerisque fluentibus aptum, id demum indocti homines genus esse maximum atque sublime putant: eius certe vim atque naturam ornatu solum & orationis suavitate aestimantes. Hoc igitur errore seducti, ineptum sane atque prorsus ridiculum de Cicerone, Tito Livio & Virgilio iudicium faciunt: quos totos graves, totos arduos & sublimes arbitrantur. Atque quo quisque auctor dulcior & ornatior est, eo quidem gravior ac sublimior ab imperito vulgo iudicari solet: quod quam longe absit a vero incorruptoque iudicio, vir eloquens ac vere doctus evestigio deprehendet. Nam si ex solo ornatu & orationis floribus, ac dulci numerosaque concinnitate de stili gravitate & magnitudine sententia ferenda sit, in illa continuo incommoda incurreremus, ut Isocratis pigmenta & myr-

the-

thecia , & dulces illas stili delicias , quibus totas suas orationes hic auctor conspersit, maiorum esse virium, quam Periclis fulgura & tonitrua iudicarem: essetque Isocrates (si diis placet) acrior & vehementior orator Pericle : qui ut Aristophanes dixit, fulgurabat & tonabat , tota:nque dicendo commovebat civitatem. Sed huic sententiae protinus omnia theatra reclamarent , totaque commoveretur Graecia , aegre molesteque ferens tam gravem iniuriam Pericli inuri, cui Isocrates numeri & concinnitatis magister praefereendus putaretur. Ciceroni vero longe aliter visum est , qui arduum dicendi genus appellat grandiloquum , amplum , vehemens , ornatum , varium , copiosum , grave , acre , ardens , & ad convertendos praeterea animos instructum & paratum. Hoc uno Cicero Catilinam a senatu urbeque Roma eiecit : M. Antonium fregit atque debilitavit , & patriae hostem declaravit : Clodium terruit : Pisonem profligavit : hoc intonuit , fulminavit , sensus hominum animosque commovit. Quum gravis orator Hortensius, quum pater Curio, quum adversarii in stuporem rapti, aut cum pudore tacebant, aut in maximos clamores erumpebant , sibi eloquentiae veneno ereptam esse memoriam. Atqui dictione ardenti tum Cicero pugnat, plurima frequentabat, humilia adspernabatur, verbis utebatur acerbis. Adumbravi (quantum potui) imaginem stili *gravis* , sed in genere : nunc faciliorem hu-

huius summi generis methodum praescribam , ut habeant adolescentes viam aliquam magis certam & compendiarium informandi stilum in gravi atque sublimi dicendi figura. Tria igitur ad informationem summi dicendi generis brevi commentatione persequar : primo enim loco ostendam quibus nominibus constitui informarique debeat hoc dicendi genus , quod summum & grandiloquum vocamus : propriis deinde nominibus eas figuras referam , quae ad huius generis amplitudinem magis facere videantur : illud postremo loco indicabo , in quibus orationis partibus praecipue regnet stilus sublimis. Principio igitur illud erit pro comperto habendum , ea omnia nomina sublimia esse & ardua , quae dignitate & amplitudine splendescunt : ut apud veteres poetas nomina Deorum immortalium cum propria , tum communia : ut *Deus* , *conditor* , *pater* , *regnator* , *genitor* , *numen* , *rex* , *omnipotens*. Illa rursus quae propria dicuntur , ut *Iuno* , *Minerva* , *Diana* , *Apollo* , *Mercurius* , *Hercules* , *Iupiter* , & id genus multa , sine quibus etiam nunc Christiani poetae sua poemata iacere aiunt , ideoque ad carminis maiestatem suis subinde inserunt libris. Nam dicunt *Cererem* pro pane , *Bacchum* pro vino , *Neptunum* pro mari , *Iunonem* pro ambitione , *Minervam* pro arte , *Martem* pro bello , *Mercurium* pro eloquentia , *Tellurem* pro terra , *Plutonem* pro divitiis. Quae sa-

ne nomina sive ex consuetudine, sive ex magnitudine propria gravius & antiquius efficiunt poema. Ferunt praeterea secundas magnitudinis partes in hoc summo dicendi genere nomina illustrium & clarorum virorum, gentium, populorum, regnorum, montium, fluviorum, urbium: ut *Caesar, Pompeius, Hector, Achilles, Alexander*. De nationibus, ut *Persae, Babylonii, Thraces, Galli, Itali, Germani, Hispani*. Tertium postremo sublimitatis locum obtinent nomina virtutum: ut *prudencia, fortitudo*, & quae ex his sequuntur, *triumphus, victoria*: nomina quoque magistratum, ut *consul, dictator*: quibus iunguntur nomina animalium nobilium, ut *tigris, leo, elephantus, aquila*. atque (ut rem fusam & late patentem in pauca contraham, ardua sunt cuncta nomina rerum maximarum vel quantitate, vel pretio, ut *caelum, sol, luna, astra, ignis, aer, aqua, terra, ventus, flumen*, & illa quae pretio aestimantur, ut *aurum, argentum, aes, crater, patera, gemmae, marmora, statuae*: sunt enim haec omnia & sublimitate praestantia, & splendore quodam insignia, quae mirum in modum gravem & sublimem efficiunt stilum. Huius sane generis illa oratio fuit, quae apud Titum Livium lib. VII. primae *Decados* est a Lucio Camillo habita, qua vir ille praestantissimus facile impetravit, ne Romani, relicta urbe Roma, migrarent Veios. Nam fuit in illa oratio-

tione plurimus sermo de diis laribus & tutelariis urbis Romae, de solemnibus statisque sacrificiis, quae in alium locum transferri nefas erat: tota denique oratio deorum immortalium, & sacrorum populi Romani crebra frequentique mentione usque adeo perfusa refertaque fuit, ut pondere ac gravitate ipsarum rerum tribunos plebis, qui Romanos ad deserendam urbem sollicitabant, a sententia sua deiecerit. Iam vero oratio Ciceronis pro Cornelio Balbo tota undique spirat gravitatem, ut quae in summo eloquentiae gradu fuerit a Cicero constituta: in qua, ut tacitus praeteream multa, quae de legibus, de foederibus, de more etiam populi Romani in adsciscendis exteris hominibus in suam civitatem disputantur, de quibus divite quadam vena, & aperto plenoque eloquentiae canale Cicero est eloquutus; illud unum ex eadem oratione summi dicendi generis exemplum referam, in quo ego existimaverim circumfusam turbam exclamasse: nam id etiam Fabius Quintilianus ad eius orationis commendationem memoriae prodidit. Sic enim Cicero habet: *O nomen nostri imperii! o populi Romani excellens dignitas! o Cn. Pompeii sic late longeque diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur! o nationes, urbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, testes Cn. Pompeii non solum virtutis in bello, sed etiam religionis*

in pace vos denique, mutae regiones, imploro, & sola terrarum ultimarum: vos maria, portus, insulae, littoraque. Quae est enim ora, quae sedes, qui locus, in quo non exstent huius cum fortissimis; tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia? Licbat mihi ex oratione pro Rabirio perduellionis reo, in qua Cicero maiestatem populi Romani expressit, gravis figurae exempla non pauca adferre, ad quam mihi potius visum est adolescentes remittere, quam totas Ciceronis exemplis implere paginas. Sunt praeterea Ciceronis complures orationes, quas qui ad sublime dicendi genus contendit, incredibili studio & diligentia imitari debet. Sed quamquam his praeceptis futurum oratorem informamus, non tamen ab re fuerit ex principe poetarum Virgilio unum saltem totius praestantiae atque magnitudinis exemplum hoc loco praescribere. Atqui sic Virgilius VI. libro suae *Aeneidos* cecinit:

*Principio caelum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor & caelestis origo.*

Haec sane carmina rerum ac verborum pondere excellunt

cellunt, specimenque habent summi generis dicendi. Verum omitto Virgilium & reliquos poetas heroicis, qui nihil aliud profecto sonare videntur, quam nomina deorum immortalium, claros & illustres viros, & *Martis horrentia bella*: ex quorum lectione maxima eloquentiae ornamenta licebit rhetoricae artis studiosis sibi comparare. Sed ut ad methodum informandi stilum gravem revertar, illud, quod quamplurimis adolescentibus negotium facessit, summa brevitate percurram. Nam id cum admiratione a nonnullis quaeri video, qui fieri possit, ut ardua & sublimia sint ea nomina, quae a pastoribus & a mulierculis, a pueris & a vulgi hominibus frequenter usurpari solent? Quod certe mirum videri non debet alicui: nam res arduas vulgus admiratur, & ab infantia earum nomina didicit, subindeque loquitur deos, ritus, mores, nationes, urbes, praefecturas, bella, praelia, foedera, pacem, iura, leges: immo quanto res ipsae magnitudine & sublimitate praestant, tanto quidem magis notae conspicuaeque vulgo sunt, atque in omni sermone frequentiores. Neque idcirco licebit colligere vulgus esse grandiloquum: quia non unum aut alterum verbum grave & sublime arduam continuo atque sublimem orationem facit: quin potius humilium verborum fuga, sublimium frequentia, sententiarum gravitas & apta compositio, quae vulgus imperitum

prac-

praestare minime potest. Nam quum vulgus se attolere conatur, neque humilia effugit, neque sublimia frequentat, neque in sententiarum gravitate persistit. Est postremo apta compositio ad gravitatem litis una de summis maximisque rebus, ac nescio an omnium maxima: quoniam haec constituit genera dicendi, & stili formas atque characteres distinguit. Neque enim (ut ait Cicero) alia sunt sermonis, alia contentionis verba: neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos adripimus e medio, & sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus & fingimus. Itaque tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus. Qualis itaque fuerit *compositio*, non dubium est, quin talis quoque sit dicendi genus, aut *subtile*, aut *temperatum*, aut *grave*. Constat vero *compositio collocatio*, *numero* atque *figura*: quae sane tria omnem stili differentiam faciunt. Quocirca collocatio & numero praetermissis, de quibus breviter in libro *de ratione dicendi* conscripsimus, de figuris gravi summoque dicendi generi maxime accommodatis pauca hoc loco pertractabo. *Figurae* igitur gravi dicendi generi convenientes, quantum ego ex Cicerone consequi potui, sunt *iterata verba*, *conduplicata*, *gradationes*, *frequentationes*, *exclamationes* crebrae, *commorationes* in eadem sententia, *ironiae* acerbae, *descriptiones*, quae

rem

rem acerbam subiiciunt oculis, *prosopopoeiae*, *hyperbole*, & si quae sunt aliae quae magnis lateribus accommodantur, ut *apostrophe*. Vnus Cicero ingentem exemplorum copiam nobis suppeditabit: nam iterati & conduplicati verbi figura usus est Cicero prima contra *Catilinam* invectiva, ut complures alios locos praetermittam, cum absoluto exordio, quod per ardentem *percontationem* constituerat, evestigio subiecit: *O tempora! o mores! senatus haec intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo vero etiam in senatum venit.* Hoc loco studiosos eloquentiae non gravabor admonere, hoc me in Cicerone saepenumero animadvertisse, numquam hunc praeclarum oratorem una simplici figura solitum esse pugnare cum adversario, sed multis, eisdemque magnis ac vehementibus figuris consertis atque conglobatis in aciem instructum prodire. Quoniam adhibitis totis eloquentiae copiis, multo facilius esset repellere a suaque deiicere sententia adversarium. Quod hoc uno in *Catilinam* exemplo aperte constare potest: nam *exclamatione* primum utitur, qua acres ac vehementes movet adfectus: deinde *disiunctione*, qua maiore festinatione urget adversarium: postremo *iteratione* & *correctione*, quibus non modo orationem plenam adfectibus, sed ardentiorum *correctione* verbi reddit. Adferam rursus alterum exemplum Ciceronis ex oratione pro Quinto Ligario, quo nihil umquam

vel

vel ardentius, vel maiore artificio ad obterendum adversarium a viro eloquenti excogitari potuit. Sic Tuberonem Cicero adloquitur: *Quid enim, Tubero, districtus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? nimis urgeo, commoveri videtur adolescens.* Haec Ciceronis periodus nimis est vehemens & ardens, ac dubito, an in cunctis Ciceronis orationibus alia gravior atque ardentior inveniri queat. Totam autem hanc vehementiam ex quinque figurarum coniunctione accepit, quarum unaquaeque per sese magna quidem est & omnino gravis: est enim figura figuris, velut arma armis conserta, ut totis viribus coactis prosterneret adversarium: quod quidem Cicero obtinuisse fertur. Nam Caesar, apud quem Cicero causam Ligarianam defendebat, tacitus ac quietus ad eum usque locum fuit, quem, Cicerone decenter graviterque personante, velut amens a sella statim prosiluit, non sane ferens summi illius oratoris impetum. Hanc itaque periodum instruxit Cicero in primis *apostrophe*, quoniam convertit sermonem ad Tuberonem, munivit deinde *percontatione*, quae interrogat & non expectat responsionem: *distinctione* praeterea eandem corroboravit, quae nihil a *frequentatione* abesse videtur, quoniam sine coniunctionibus magis adversario instat:

membro postremo & articulis maiores vires adiecit. Est vero inter *membrum* & *articulum* haec a viris doctis animadversa differentia, quod singula *membra* constructionem absolvunt, sententiam non item: *articulus* vero hoc idem facit acrius, verbis brevi respiratione distinctis. *Membra* sunt, *Cuius latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorum tuorum?* *Articulus* est, *Quae tua mens, oculi, manus, ardor animi?* Hoc admirabili excellentique artificio si rei sacrae concionatores in publicis concionibus scienter ornateque uterentur, non equidem dubitarem, quin saepius auditores persuaderent, quos victos etiam atque repugnantes in suam sententiam pertraherent. In eadem praeterea contra Catilinam oratione Cicero *exclamatione* vehementer commovet senatum, quam subiecta *repetitione* acriorem facit. *O dii immortales!* (inquit) *ubinam genium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus? Hic, hic sunt nostro in numero.* *Exclamationem* praeterea extulit interrogatione. *Hyperbole* vero contra Antonium pugnat. *Quae* (inquit) *Charybdis tam vorax? Charybdin dico? Quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam cito absorbere potuisse.* Cum Oceano M. Tullius comparavit rapacitatem Antonii. Non minus urget *prosopopeia*, qua Cicero Catilinam in eadem *invectiva* perterrituit,

nam patriam producit expostulantem cum Catilina: *Quae tecum, (inquit) Catilina, sic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum aliquot iam annis facinus exstitit nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum virorum neces: tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit.* Porro in oratione pro Caelio adolescente Appium Caecum revocat ab inferis, ut Clodiam, feminam impudicam, obiurget. Socrates etiam apud Platonem fingit leges dissuadentes, ne se furtim subducatur a carcere. Incredibile dictu est, quanta fiat animorum commotio huiusmodi fictionibus. Inter figuras rursus, quae adfectus movent acres atque vehementes, *descriptio* numerari solet, quippe rem ante oculos ponit: ut descriptio captae urbis, aut victoriae partae, aut aliarum rerum, quas non modo oratores, sed poetae & historici eorum oculis subiiciunt, qui animis fortasse, si aliter narrarentur, concipere non possent. Licebat mihi hoc loco spatium per varios auctores; verum brevitati studens, satis esse duxi exemplum unum pulcherrimae descriptionis in Tito Livio I. lib. primae *Decadis* indicare, ubi inter Horatios & Curiatios commissum singulare certamen Livius narrat, immo vero posteris spectandum reliquit. Per multos enim invenias ex veteribus auctoribus hac una virtute maxime praestantes. His figuris adiungitur *interpretatio*, quae *repetitioni* maxime adfinis est;

est; hoc tamen distat ab ea, quod in *interpretatione* eadem iteratur sententia, verbis commutatis, ut Cicero in *Catilinam*: *abiit, excessit, erupit, evasit.* *Commoratio* postremo in eadem sententia nihil non impetrare potest: nam variarum rerum copia in unum congesta locum, tum eiusdem loci amplificatio & expositio omnia admiratione complent, & pertinaci pugna auditores expugnant. His figuris & aliis nonnullis eiusdem notae Marcus Tullius stilum gravem & sublimem informat, cui frequens locus est in confirmatione, & refutatione, & peroratione; in ceteris vero partibus orationis sedata magis opus est dictione atque leni, quam concitata & ardenti: quamquam Cicero in oratione pro Cluentio in medio fere narrationis cursu exclamavit, iudicesque vehementer commovit contra Sassiā Auli Cluentii matrem: *O mulieris (inquit) scelus incredibile, & praeter hanc unam in omni vita inauditum! o libidinem effrenatam & indomitam! o audaciam singularem!* Atque tota fere narratio repetitionibus, frequentationibus, amplificationibus, & adfectibus tragicis ardet: quod sane in narrationibus raro accidit, nisi quum res ipsae fuerint nimis atroces, & casus inauditi explicantur, qui sine gravi aliquo sensu & animi motu neque exponi, neque audiri possunt. Si hac methodo a nobis tradita, quae partim ex Ciceronis praeceptis, partim ex eiusdem sum-

mi oratoris usu & exemplo concinnavimus, declamatores, qui comparandae eloquentiae gratia fictas causas agunt, declamationes suas informarent, neque illis tantopere frigeret in scholis actio, neque de male proclamata causa circumfusa turba rideret.

CAP. VI.

Quod sit optimum dicendi genus.

GRavis est cum primis, & supra quam dici potest difficilis quaestio, quae a me proponitur de optimo dicendi genere: cui pertractandae solus quidem Cicero par esse potest: ceteris vero Latinis auctoribus (uno excepto Quintiliano) huius quaestionis explicationem haud libenter sane committerem. Ego vero neque tam audax sum, neque in tradendis disciplinis tam insolens & inverecundus, ut tenuitatis ingenii mei oblitus, velim eius rei disputationem suscipere, quam unus aut alter ex veteribus oratoribus vix absolvere posset. atque id in causa fuisse credo, cur tam pauci hanc quaestionem in disputationem vocaverint, quum tam multi existerint & nostra & maiorum nostrorum memoria, qui rationem dicendi multis editis voluminibus sint persequuti. Hanc igitur quaestionem magis proponam, quam absolvam, futurum quidem sperans, ut vi-

viri aliqui docti & eloquentes existant, qui quod a nobis inchoatum fuerit, id ad summum ipsi fastigium perducant. Igitur hoc loco est illa Ciceronis partitio de tribus dicendi generibus revocanda in memoriam, quae in genus *humile*, *medium* & *summum* fuerat distributa. Quorum quod sit optimum & perfectissimum, neque a me hoc loco quaeritur, neque ab ullo umquam auctore in quaestionem verti scio: quoniam singula genera perfecta sunt & absoluta, suaeque sunt laude unaquaeque cumulata, neque aliud alio aut est melius aut perfectius. Quoniam genus dicendi *tenuis*, non ideo quod submissum sit, *temperato*, aut *gravi dicendi* genere deterius est, aut dignitate inferius, quum in illa sua tenuitate omnes perfectionis numeros impleverit. Quocirca singulorum generum quicumque vim singulis consequuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. Nam Cotta in *tenui*, Hortensius in *temperato*, Sulpitius in *sublimi* excelluisse dicuntur. Atque quum horum nemo in omnibus dicendi generibus praestitisset, magni tamen oratores sunt existimati, quod in uno scilicet egregie versati fuerint. Verum nemo non videt, non esse bonum sutorem, qui una pedis forma omnes homines calceare velit: huic sane non est dissimilis orator, qui uno semper orationis tenore fluit, eademque dicendi figura sententias omnes sive graves, sive tenues, sive medias ex

his

his & quasi temperatas exornat. Boni itaque erunt illi oratores, non equidem nego, qui in uno aut altero dicendi genere summam gloriam sunt consequuti, sed imperfecti quidem & parum cumulati: quippe quum cunctas eloquentiae partes non absolverint, quum humilia submisserint, mediocria temperate, sublimia graviter dicere non potuerint. Quare ut is orator primas in eloquentia merito feret, idemque optimus & perfectus existimabitur, qui parem rebus cultum & ornatum tribuerit, ita sane illud erit citra controversiam optimum & cumulatum dicendi genus, quod rerum dignitati accommodabitur. Neque enim decorum servat, quin evertit potius ac violat naturas rerum, quicumque res ludicras & familiares, quales ab amicis per epistolas frequenter tractari solent, *fluentisono* (ut Sidonius Apollinaris facete dixit) *orationis stilo buccinari* velit. Quod profecto vitium in Ciceronis epistolis idem Sidonius Apollinaris deprehendit: verum Sidonius posteritati paenas dedit praeposteri iudicii, quod de praestantissimi oratoris epistolis fecit. In quantam rursus eruditorum hominum reprehensionem is incurret, qui res dignitate atque gravitate praestantes humilibus, atque ex media vulgi faece desumptis verbis, sine ullo orationis flore, sine *amplificationibus*, sine *apta compositione*, sine ullis *fluentibus numeris*, sine *schematum* vel *amoenitate*,
vel

vel robore, contra & asperitate, ad obtinendam victoriam prosequutus fuerit? Nulla quidem pestis est in eloquentia maior, quam decori ratione non habita, aequabili orationis filo velle omnia contexere. Qua quidem in parte plerique omnes adolescenterum frequenter peccant, atque utinam hoc terribilissimo corruptae eloquentiae morbo eruditiores etiam viri non laborarent, quibus pulchrum visum est pomilioni Herculis cothurnos, ipsa reclamante natura, aptare! Sunt praeterea nonnulli, qui magnum operae pretium in eloquentiae esse putant, se (quantum possunt) attollere in re qualibet, omnem eloquentiae vim in sublimitate & vehementia constituentes: alios e contrario in omni re quum se Atticos & dici & haberi velint, passim irridemus, quoniam in eam tenuitatem se miseri homines coniecerunt, quae inopiae similior sit, quam copia & opulentiae. Haec sane vitia non aliunde meo iudicio in vulgus hominum promanarunt, quam ex ignorantia methodi informandi stili, quae quum in rhetorum scholas sensim serperent, totam declamandi rationem primum corruperunt, deinde in concionatorum suggesta sic penetrarunt, ut complures, ignorata omnino dicendi arte, ingenii viribus dumtaxat confisi ad concionandum prodire audeant, quum hoc munus nihil sane alienum sit ab arte oratoria. Satis mihi sit huius quae-
stio.

stionis difficultatem leviter attigisse, quae quantum pateat, & se per omnes eloquentiae partes diffundat, nemo est qui ex hac brevi commentatione non intelligat,

CAP. VII.

De numeris & periodis.

VT nihil est vel admirabilius vel magnificentius, quam oratio fluentibus *numeris* & pulchris *periodis* apte composita, ita sane nulla res est, quae maiore cum periculo adfectetur. Nam tria illa dicendi genera, a quibus omnis informandi stili ratio proficiscitur, sic prorsus natura sua distincta atque separata sunt, ut disparibus numeris & periodis etiam longe diversis exornari velint. Id autem quomodo fiat, breviter atque (quantum res ipsa patitur) perspicue enucleateque dicemus. Igitur humilii stilo, ut ex frequenti crebroque Ciceronis usu observatum a nobis est, minuti & concisi numeri, sine ulla gravitate fluentes, maxime conveniunt: huic praeterea verba, quae paucas habent syllabas, & exiguas litterarum voces, & tritam significationem, accommodantur: qualia sunt in hoc Terentii versiculo: *Si illum relinquo, eius vitae timeo: sin opitulor, huius minas.* Et in hac oratione Cicero-
nis:

nis: *An in coacta multitudine, in armis, in telis, in praesenti metu mortis, perspicuo periculo caedis, dubium vobis fuit, an esse vis aliqua videretur, necne? Quibus igitur rebus vis intelligi potest, si in his non intelligitur?* Sunt deinde notanda, quae sint spatia graviora plenioraque, ut in *dactylis*, *spondeis*, *paeanis*, quae ab stilo tenui longius abesse debent: quae autem leviora atque graciliora sunt, qualia in *iambis*, *choreis*, *pyrrhichis*, *proceleumaticis* esse putantur, ea tenuis stili & humilis dicendi figurae magis propria esse videntur: nam ex curtis periodis, & saepius ex incisus atque membris inexpleris efficitur illa tenuitas, quae eloquutionem subtilem, pressam atque limatam constituit. Porro *pressa* dicitur oratio & *attenuata*, in qua fere nihil exstat, nihil excellit, nihil eminent sublimius: non incedit regio passu, non ambitiose circumflectit articulos, non iactat brachia, non ostentat ornamenta, neque togam distendit: sed quasi puella honestior & verecundior, amictu simplici membrisque decenter pressis, molitur iter ad propositum finem. In amplo autem & sublimi dicendi genere omnia his contraria reperiuntur: sed cavendum est, ne pressum dicendi genus inopia & tenuitas deterant; grave contra & sublime illud tumor, & inanis puerilisque tonus sequantur. Nam Fabius Quintilianus pressum appellat, quod neque tumidum est, neque
Ppp que

que inflatum, neque redundans: & ea quoque de causa limatum dicitur, quod derasa est illi amplitudo & ubertas augendi. Quod etsi omnia dicat & complectatur, idcirco vel amplius, vel magnificentius non est putandum: quoniam amplitudo dignitatis est, & gravitas orationis atque sublimitas rerum magnarum & amplificationum sunt, non subtilium multorumque sermonum. Medius autem & interiectus stilus utriusque particeps esse videtur: quamquam si verum quaerimus, tenuitatis potius & amplitudinis expertem eum esse dicemus, quia neque hoc, neque illud habet, sed interiectam quamdam moderationem atque temperiem retinet. Quare suaviores numeros & pleniores periodos temperato stilo non immerito Cicero tribuit: in quo dulcissima omnia tractat, in mediaque suavitate versatur; quoniam hac dicendi figura Cicero frequenter exprimit hominum rerumque laudes, & consilia tranquilla, & actiones gratiarum, & Philosophiae partes, omnes denique amplas eruditasque disputationes, sine ulla tamen aut orationis aut pronuntiationis contentione. Verum quia haec pars, de qua disserimus, difficultate ceteras eloquentiae partes longe antecellit, de numeris prius, de periodis deinde brevi, sed perspicua tamen familiarique oratione pertractabo. Atque ut a diffinitione principium sumam, *Numerus orationis est multo-*

rum

rum pedum decens & apta collocatio. Vnde quum numerus ex pedibus fiat, haud ab re quidem erit, pauca de natura pedum, non trito illo, & crasso grammaticorum more, sed rhetorum politiore gravioreque sermone hoc loco disserere. Ante omnia est oratori pedum vis naturaque cognoscenda, ut qualis sit numeri, qui pedibus constat, dignitas, facile existimare queat. Nam ut a minimis incipiam, *iambus* & *trochaeus* humiles sunt & abiecti pedes: alter enim frequens est in ore vulgi, quoniam vulgaris hominum sermo prope semper iambis utitur: *trochaeus* vero volubilis est, tripudiis aptus esse putatur; *dactylus* & *spondeus* omni harmonia & gravitate ornatissimi sunt, eaque de causa heroici appellantur, & sublimi arduoque stilo praecipue accommodantur a Cicerone. *Paeon* est inter hos quasi medius & interiectus, ut qui neque se ad iambi humilitatem demittat, neque ad heroici sublimitatem attolat. Id vero cum ceteris dicendi generibus haud inepte adhiberi potest, tum stilo temperato quam qui maxime congruit. Quare pulchra citra controversiam erit illa oratio, summaque dignitate nitebit atque splendescet, in qua *iambus* humilia, *herous* gravia, *trochaeus* volubilia, *paean* temperata frequentabit. Est rursus hoc cum primis considerandum, ut pro rerum varietate varios itidem numeros adhibeamus: cum quia hoc dignitas

Ppp 2

ora-

orationis postulat, tum quia Cicero vitandos iubet continuatos pedes, ne versum conficiant; quod nihil sit magis inimicum versibus, quam oratio. Idcirco quum in oratione perpetua alia sint tenuia, alia mediocria, alia sublimia, miscendi sunt pedes & temperandi, ut alios tamen frequentius, alios parcius, pro rerum natura collocemus. Illud insuper est notandum, quod quamvis iambus frequentissimus sit in tenui humilique stilo, non tamen perpetuus est in his, quae demisso abiectoque sermone referuntur. Vt Cicero: *Quae gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed etiam praefuit. Paean gravioribus quoque & amplioribus adhibetur: ut idem: Hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam; sed ut praeterita te meminisse, reliqua sperare videamur.* Quod si cum pedum varietate verborum pondera, hoc est, verba significantia & sententiarum gravitatem coniunxerimus, dictu incredibile est, quantam auditoribus voluptatem sit oratio ipsa adlatura. Explicata est a me natura Numeri, quod quidem non tanti putatur, quantum illud quidem est, quod numeri usus orationis suavitati adferre videtur: facile est enim nosse numerum, sed illud vero longe difficillimum, ubi opus sit contexere & propriis locis accommodare. Quocirca a Cicerone & a Fabio quaeri so-

let,

let, in qua periodi parte maxime numerus tenendus sit, & an in omnibus numeris liceat aequaliter particulas incidere? & illud etiam, in quibusne orationis partibus utendum sit incisis, membris & ambitu? Quibus sane quaestionibus quid aliud respondendum est, quam quod duo illa eloquentiae lumina Cicero & Quinctilianus & suis exposuerunt praeceptis, & usu dicendi confirmarunt? Sic enim est ab his maximis summisque viris praeceptum. In periodi extremis maxime tenendum esse numerum: principiis curam minorem esse adhibendam, sed diligentem: media primis ac postremis non debere dissentire. Quamquam Cicero numerose terminari sententiam maxime censet, principia & media non tanti facit, quin haec negligere saepe videtur, dum apte tandem deponantur pedes ad honeste quiescendum, quoniam aures extremum exspectant, in] eoque adquiescunt. Haec autem ut ita sint, componenda sunt tamen principia mediaque dirigenda, ut a principio ad exitum feratur illa verborum comprehensio; ut a capite sic fluat oratio, ut ad extremum veniens optime consistat. Illud vero alterum de *incisorum* aequalitate aut inaequalitate haud temere quidem fieri debet: siquidem incisorum aequalitas ostentationem habet, & numerum implet, laudationibusque aptissima est: & his demum orationibus, quae ad auditorum vo-

lu-

luptatem comparantur, maxime congruunt: quales sunt Panegyrici, & quae in genere epidictico versantur. Narrationes etiam iucundae, loci communes, historia, & quaecumque non repudiant illam modulandi suavitatem, aequalia incisa & membra requirunt. Porro incisa inaequalia numerum dissimulant, quoniam inaequalitas occultius serpit. Idcirco Cicero in causis forensibus, in quibus artificium tegere conaretur, incisorum inaequalitate utebatur. Verum varietati consulendum erit; & modo incisis aequalibus, modo inaequalibus miscenda erit oratio. Postrema fuit illa quaestio, in quibusne orationis partibus aut incisis solum utendum esset, aut membris, aut ambitu? Quod non sine causa a praeceptoribus eloquentiae quaeri videtur: nam in contentione quum ardet oratio, & adversarium urgemus verbisque preminimus, & in arctum cogimus, ut quo se vertat prorsus ignoret, caesim & membratim ferri debet oratio. In exordio & narratione, ambitu longissimisque utimur periodis: quae praeterquam quod dignitatem habent, voluptatem etiam fusiores illi numeri auditoribus pariunt incredibilem. In epilogo, quoniam res amplificantur & adfectus moventur, funditur etiam numerose & solubiliter oratio, quae in eo loco iam incaluit, & auditor oblectatione ductus, non animadvertit: iam enim obsessus est
ut

aut oppidanus, & tenetur uti captivus; nec agit ut insidietur, & observet ut hostis, sed iam favet ut noster, processumque vult & continuationem: & quia vim dicendi maxime miratur, non inquit quod reprehendat. Exempla reperies in omnibus orationibus, quae graviore adfectus: ut pro Flacco, pro Sulla, pro Milone. Nam periodus illa circumducta ad flebiles modos & tristiores actionum flexus optime accommodatur. Sed prius quam huic commentationi finem imponam, illud adnotandum duxi, aliud esse orationem esse numerosam, aliud numerum habere. nam numerosum esse, non est solum habere numerum, sed continet etiam iuncturam & concinnitatem: *iunctura* in syllabarum coagmentatione & dictionum coniunctione cernitur: *concinnitas* vero est, quum paria paribus, relata relatis respondent: *numerus* autem pedum ordine motuque constat. Is, ut ex Ciceronis instituto monui, in extrema periodi parte praecipue tenendus est: nam non sunt pedes abiiciendi, ut turpiter procumbat oratio, sed ut honeste in fine quiescat. Claudunt autem orationem pedes omnes, sed frequentiores sunt in fine dichoreus, creticus, paeon, daetylus, dochimus, iambicus, spondeus, choreus, trochaeus. Longius equidem non progrediar, nam miserum est his rebus occupari, & in numero metiendo consenescere: quamquam haud nimis erit difficile orationis numeros tenere, eosque

que in usum apte conferre, si quis a puero bona disciplina exercitatus fuerit: nam ut citharoedorum manus, ita quidem lingua nobis vel aliud agentibus composite feretur. Scio, plura de numeris & periodis a viris doctis praeceptis esse comprehensa, quae libenter missa feci, quod haec pauca informando stilo satis esse putaverim: tum quod his initiis adolescens eloquentiae studiosus informatus cetera ipse per se inquireret, ut huius artis cumulum adsequatur. Ex partitione, quam proposui, illud alterum restat, ut de periodi nominibus eiusque definitione pauca dicam. *Ambitum*, in quo numerus est, *periodum* Latini reddiderunt: unde *periodus*, *ambitus*, *circuitus*, *circumscriptio*, *comprehensio* verba sunt rationis eiusdem: significant enim genus orationis, quae suis numeris explent orbem: sive quod id translatum sit ab equis, qui, confecto spatio, redeunt in carceres: sive quod orbis res est absoluta, & quae perpetuo ductu in se revolvitur. *continuatio* nominatur, quia non ante interrumpitur cursus, quam totum spatium confectum sit. *Periodum* autem dictionem vocamus, quae sola per se principium habet & finem atque perspicuam magnitudinem. Haec incitatur brevibus syllabis, quae ad contentiones, amplificationes acrioresque locos accommodatur, brevioribusque incisis & membris constat: quin saepe in altercatione a periodo trans-

fer-

fertur dictio ad membra & incisa. Procera autem & tarda pluribus syllabis longis efficitur, quae orationum exordiis & narrationibus maxime convenit. Temperata autem ex longis & brevibus constituitur periodis: qualis a Cicerone usurpata fuit in ornando Pompeio, & quum in Verrem laudaret Siciliam, & in illis iucundissimis expositionibus de Cerere Ennensi, de Segestana Diana, de Syracusarum situ Actione in Verrem VI. Rursus tenui stilo brevis adhibenda est periodus, quae paucis membris constet, ut Cicero Actione III. in Verrem aptissime fecit, ubi agit de praetura urbana & Verris edictis. Stilo temperato fusa longissimaque periodus accommodabitur, quantam quidem indefessus spiritus sustinere possit: quemadmodum Ciceronis exemplo perspicuum est Actione IV. in Verrem, ubi commemorat Heraclii Syracusani calamitatem. Graui sublimique stilo dabitur longa numerosaque periodus, sed diu retinenda non erit, quoniam taedii plenum est diu nimisque continuare ambitum. Ideo a periodo avocanda erit dictio, & ad incisa & membra saepe transferenda: quod quidem Cicero docet cum in aliis quamplurimis orationibus, tum in oratione pro Cluentio, ubi acriter exaggerat Oppianici flagitia. Quare hoc sit in universum praeceptum, ut pro natura rerum numeros & periodos ad orationem accommodemus, quo recta in-

Qqq

for-

formandi stili ratio melius constare possit.

CAP. VIII.

De modo circumducendi periodum.

Periodus est una de maximis praecipuisque virtutibus orationis, si eius absolutio sic constituatur, ut spiritum dicentis non exhauriat, aut auditoris animum alio propter longitudinem avertat. Quod D. Hieronymus (ut iam diximus) obiecit Aurelio Augustino, quoniam aures ipsae quid plenum, quid inane sit iudicant. Quo sane vitio plerique adolescentes laborant, qui usque adeo in longum protrahunt periodos, ut se hac vel una ratione Ciceronem imitari maxime putent, si in medio cursu deficient, aut (plusquam ferat spiritus) deducant absolutionem. Ideo modus tenendus est, ut neque tam brevis sit periodus, quae paucis brevissimisque incisis saltitet, vel tam longa, quae vires omnes amittat. Huius tanti decoris, quantus quidem est in oratione devincta, quae circumductione periodi fit, magna fuit priscis temporibus ignorantia. In Graecia ante Gorgiam & Isocratem, Romae autem ante Crassum & Antonium dissolute fere dicebant omnes, neque absolutionis membra adligabant numeris, nisi forte casus effecisset. Cicero autem ut
ce-

ceteris eloquentiae partibus, ita formandis periodis exemplo suo maximum lumen attulit. Nam qui eius orationes & reliqua divina opera accurate legerit, cuiusmodi in omni orationis genere periodis oporteat uti facile cognoscet. Circumducit autem Cicero periodos his fere particulis: *quamquam, etsi, quantum & tantum, si, ut, quum, non solum*: quoniam his aliae e regione respondent, quae non possunt non in oratione ambitum facere. Idcirco orationum initiis, quae circumducta esse oportet, huiusmodi adhibendas saepissime curavit. Sic orationem pro L. Manilia auspicatus est: *Quamquam mihi frequens conspectus vester: Et Officiorum libros: Quamquam te, Marce fili.* Cuius principii primam clausulam vix septimo versu absolvit. Et laudatissimam illam pro Milone orationem sic est ingressus: *Etsi vereor, iudices.* Rursus Philippicam XII. *Etsi minime dicere videtur.* Item pro Rabirio: *Etsi, Quirites.* Et epistolis aliquot simile est initium. *Tusculanas quaestiones & V. librum de Finibus, & pro L. Flacco, & pro Domo sua, & pro Plancio, & librum de Natura deorum, & somnium Scipionis particula quum est auspicatus, ut, Quum audissem Antiochum, Brute: Et, quum defensionum laboribus.* Pro Rabirio dicens, & pro Sextio, & pro Aulo Caecina a particula *si* exorditur: ut, *Si auctoritas patronorum: Et, si quantum in agris.* His

Qqq 2

de-

denique dictionibus atque aliis eiusdem generis nonnullis, orationem Cicero velut in orbem circumque deducit, quibus ut quibusdam nodis membra illigat atque connectit, ne dissoluta dissipataque vagentur, sed in unum ambitum & comprehensionem implicata conferantur. Vnum tamen hoc tacitus non praeteribo, permultos homines tam exili infecundaque natura esse, ut circumducendae orationi minime idonei esse videantur. Temporibus enim Ciceronis Laelius & Brutus, qui tenui dicendi genere sunt delectati, damnabant genus dicendi Ciceronis, nullam aliam ob causam, quam quod propter imbecillitatem naturae non poterant adsequi illam dicendi ubertatem Ciceronis: neque enim omnibus protrahere in longum periodos licet, nisi his demum qui aptis ac pulchris sententiis possint formosissimum illum orbem implere, ne inanis sonus ad auditorum aures tumide ac ridicule perferatur. Ideo fortassis non parum multi viri docti, ut ingenii sui tenuitati & inopiae titulum aliquem honestum praetexant, Atticos se profitentur, quoniam nihil sit brevi illa orationis proprietate melius: voluntque videri id iudicio facere, quod nequeunt propter naturae (ut dixi) imbecillitatem adipisci.

CAP.

CAP. IX.

De puritate linguae Latinae.

PRima virtus orationis est *puritas* linguae Latinae, quae quum adest, ornatus qui deinde adhibetur, mirifice nitescit: quum vero abest, non minus orationis cultus sordet, quam in femina deformi vestes auro praetextae, atque gemmis & margaritis distinctae: nulla enim re magis commendatur stilus, quam puritate sermonis Latini. Quia vero, ut Iulius Caesar dicebat, verborum delectus origo est eloquentiae, haec ante omnia sunt accurate discenda & exploranda: nam non omnis aetatis verba usurpabimus. Sunt enim quaedam vetustissima, qualia quae *Faunei vatesque canebant* (ut inquit Ennius) & quae erant in carminibus Saliorum, vix suis sacerdotibus intellecta, quaeque in XII. Tabulis Romani iuris, quae iam Cicero non intelligebat. Sunt alia minus antiqua, sed quibus hoc tempore non licet uti, ut Livii Salinatoris, Catonis Censorii, poetae Ennii, Naevii & Plauti. Alia sunt bonae aetatis & cuiusdam vigoris, quum regravit eloquentia, ut P. Terentii, M. Varronis, Ciceronis, Caesaris, Livii: nam Val. Maximum, Senecam, Quinctilianum, & eos, qui usque ad Ve-

spa-

spasianum Caesarem scripserunt, in hoc aetatis albo ego non scribam. Suum ipsi saeculum fecerunt, quemadmodum Plinius Iunior, Caecilius, Corn. Tacitus, Suetonius. Et illi itidem, qui usque ad Gordianum minorem pervenerunt, linguae iam Latinae corruptae peculiarem aetatem constituerunt. Minores deinde sequuti sunt auctores, inter quos referuntur Lactantius, Donatus, Macrobius, Boetius, & complures alii usque ad urbem captam. Postea nulla quidem oratio populi Romani Latina fuit, sed barbara, nempe Gothica aut Vandalica: lingua enim cecidit cum urbe & parente sua. Igitur, quum aetas verborum varia fuerit in lingua Latina, ex ea solum aetate verba sumemus, quae nitorem & elegantiam habuit, qualis sola fuit. Ciceronis aetas. atque praeter Ciceronem, Caesarem, Terentium, vix alium quempiam auctorem invenimus, qui pure loquatur: quin Terentius ipse non nihil interdum propter numerum divertit. Ab his ergo tribus auctoribus ex tanta scriptorum copia, quantam & prisca tempora, & nostra tulerunt, proprietatem Latinae linguae petemus, eorumque vocabula & phrases imitabimur. Nam post hos auctores, nulla cuiusquam lingua tam vicens nunc & florens est, quae aliarum aetatum aliquid non habeat: idque in causa esse arbitror, ut tam pauci sint, qui iure possint hoc tempore appellari Latini.

ni. Quoniam praeterquam quod multa variarum artium atque diversarum rerum vocabula ignorant, tantum abest, ut eorum, quae comperta habent, verum naturalemque sonum pronuntient, ut peregrinitatis merito damnari queant. Quis quaeso Architecturae, Picturae, rei navalis, vestiariae, & omnium artium, quae manu exercentur vocabula exacte tenet? Quis vero cunctorum animalium, sive eorum, qui degunt in aquis, sive quae gradiuntur in terra, sive quae in aere volant, Latina nomina novit? Sed naturae rerum ignorantiam multis ego hominibus libenter condonarem, si cibos, per quos vivunt (ut inquit Plinius) non aequae ignorarent: atque id etiam facile illis ignoscerem, si ea, quae in medio posita sunt, quae vulgus etiam passim loquitur, si se denique ipsos mediocriter nossent. Nam partes corporis humani quotusquisque qui vel Aristoteles, vel Latinus Galenus non sit, Latine nominabit? Nemo igitur posthac gloriatur, se Latinum esse, quando tot Latinarum dictionum notitia caret: atque earum quidem, quae studio didicit, quaedam sunt peregrina aut civitate donata, alia non huius urbis alumnum (ut dixit Fabius) sed inquilinum redolent. Atque propter hanc unam, ut ego arbitror, causam Asinius Pollio Livio *Patavinitatem*, & Franciscus Philadelphus Fabio Quinctiliano *Hispanitatem* obiecerunt.

runt. Quibus si Livius & Fabius Quintilianus putere, hoc est, parum Latine loqui visi sunt, quomodo his auctoribus lingua nostra probari poterit, quae cum illorum, quos reprehendunt, Latina lingua collata, Gothica aut Arabica iure censi potest? Contractum itaque est post urbem a Gothis captam Latini nomen, ut grammatici etiam & oratoris: siquidem orator, quem de rebus omnibus ex officio suo dicere oportebat, numquam nisi in rebus civilibus fuit versatus: & grammaticis sola fere artis praecepta sunt relicta, quum eorum nomen tam late in omni doctrinarum genere pateret. Ad hunc modum Latinos eos appellamus, qui verborum proprietate usi, quatenus hominibus exteris & peregrinis studio & imitatione adsequi licet, ea loquuntur aut litteris mandant, quae in communi hominum usu atque consuetudine sunt posita. Verum de his plura fortassis verba faciam, quum de imitatione pertractavero.

CAP. X.

De variis dicendi formis ex Hermogene.

Hermogenes quasdam dicendi formas adnotavit, quibus Demosthenem enituisse dicit, quoniam in huius summi viri orationibus plusquam viginti orato-

to-

tórias virtutes, velut formosas quasdam gemmas ac margaritas splendescere atque promicare observavit. De his Georgius Trapezuntius Hermogenem sequutus disseruit, quas ad septem dicendi formas contraxit, non sine iniuria, ut ego arbitror, eloquentiae: propterea quod rem tam fusam & late patentem in septem stili formas coarctavit. De eisdem Ludovicus Vives longo post temporis intervallo pertractavit, quas non dicendi formas, sed orationis virtutes merito quidem appellat. Nam *perspicuitas, dignitas, magnitudo, venustas, asperitas, vehementia, splendor, vigor, gravitas, simplicitas*, & ceterae dicendi formae, quas Hermogenes divina quadam methodo persequitur, rectius virtutes orationis, quam dicendi formae appellari debent. Quamquam sive orationis virtutes, sive formae dicendi vocentur, parum quidem mea sententia refert: dum eas dicendi formulas ad illa tria dicendi genera *tenuē, mediocre & summum* referamus, quibus varium etiam stili habitum subiecimus. Est enim *dicendi forma* nihil aliud, quam stili habitus, qui pro cuiusque hominis ingenio ac natura varias, ut Proteus olim, induit figuras: cuius quidem vim octo constare rebus Hermogenes adfirmavit, *sententia, methodo, eloquentione, figura, membro, compositione, clausula, numero*. Idcirco Georgius Trapezuntius *formam* definit, genus esse orationis, *sententia, methodo, ver-*

Rrr

bis,

bis, compositione, rebus subiectis & personis idoneum. *Artificium* vocat viam & modum, quo sententia verbis explicatur; *compositionem* vero eam esse significat, quae syllabarum & dictionum positione inter se conficitur. His itaque partibus octo stilus omnis conficitur, cui pro rerum natura has partes accommodari conveniet. neque enim omni stilo unius generis sententiae, aut eiusmodi eloquutio, aut similis compositio congruit. Vno ego exemplo id perspicuum faciam, ne lectorem in omnibus ad Hermogenem reiicere videar. Incipiam igitur ab stili *puritate*, quae prima orationis virtus mihi esse videtur. Sententiae puritatis sermonis huiusmodi sunt, quae quum nihil habeant longa excogitatione dignum, communes fere omnium & usitatissimae esse videantur. *Arte* deinde purum stilum conficiemus, si ipsam rem solam ita narrabimus, ut nihil in oratione contrahamus: ut genus ad speciem, vel totum ad partem, vel indefinitum diffinito, vel huiusmodi aliquod, quod puritatem propter sermonis contractionem perturbet. *Diçtio* puritatis communis quaedam & usitata esse debet, non translata, non aspera, non ampla. *Schema* stili puri est orationis rectitudo: nam sicut puritas orationis circumductioni opposita est; ita quoniam obliquatio orationem circumducit, rectitudo, quae ei opposita est, puritatem maxime conficit. *Recti-*

tu-

tudo in oratione appellatur, quae non solum per rectos casus, sed per verba ita procedit, ut una res aliam contrahere non videatur: cuiusmodi fere sunt omnes narrationes Ciceronis, quas etsi rerum natura coactus, quod accusatorem saepius pati necesse est, circumducentibus constipat; omnes tamen recte incipit. Tanta enim in puritate rectitudo vim habet, ut dum recte incipias & desinas, purus videaris, ac tanto magis, quanto intertextae circumducentia breviora sunt. *Membra* puri sermonis brevia esse debent, & commata magis quam membra: quae tum maxime puram reddunt orationem, quum unumquodque membrum ita absolvit orationem, ut nullis comprehensionibus oratio composita sit: ut illud Ciceronis in oratione pro lege Manilia: *Dicendum mihi est de Gn. Pompeii singulari eximiaque virtute: huius autem orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est. Collocatio* puri stili simplex ac minime accurata esse debet: quae coniunctione vocalium hiatum non faciat, & de concursu aliarum litterarum minus curet: ut Cicero in epistola ad Lentulum: *Ego omni officio ac potius pietate erga te, ceteris satisfacio omnibus.* Hoc in loco vocalium concursum temperavit Cicero pede *iambo & trochaeo*, qui demissam faciunt orationem. *Clausula* itidem *iambica & tro-*

Rrr 2

chai-

chaica stilo puro maxime convenit. Ex sermonis igitur puritate nascitur *elegantia*, quae praestat, ut aperte omnia dicantur, principiumque est pulchritudinis; ex puritate vero & elegantia perspicuitas orationis efficitur: quae quum ab oratione abest, ceterae omnes virtutes oratoriae parvi fiunt nullamque gratiam habent. Nam ut luna, ceteraeque stellae, quae decorem illum admirabilem caelo adferunt, non propria, sed luce potius lucent aliena: ita quidem virtutes oratoriae, quae velut stellulae in oratione promicant, omnem eam lucem & claritatem, qua tantopere fulgent, ex sermonis perspicuitate mutuo accipiunt. Quare, quum orationis claritas plurimum valeat per sese, ut quae ex puritate & elegantia conflata sit; chorus tamen reliquarum virtutum sorderet omnino, nisi ab hac una omnium principe illustraretur. Reliquae dicendi formae, quae ab Hermogene adnotantur, aut ab eorum dignitate, qui utuntur, nomen accipiunt, aut ex adfectu dicentis, aut a corpore itidem & animo nuncupantur. A *dignitate* utentium nominantur, urbanae, peregrinae, nobiles, populares, plebeiae, rusticae, militares, quae longius possunt deduci. Formantur hae dicendi formae ex verbis & translationibus, & loquendi modis, argumentis sententiis, quae cuique hominum generi atque ordini sunt apta & peculiaria. Ex *adfectu* dicentis, vel qualitate eius rei de qua dicitur, sumunt etiam

ora-

orationes nomina: ut meticulosae, iracundae, invidiosae, criminosae, liberae, furiosae, ardentes, concitatae, remissae, sedatae: quae pro natura adfectus illis octo partibus, de quibus diximus, informari solent. Obiurgatoriae autem orationes, & quae concitatae sunt; vocalium concursus & hiatus non effugiunt: quin asperam compositionem amant in qua vel turba consonantium concurret, vel litterae inter se rixantur. A corpore sive a forma oratio pulchra dicitur, quae numeris est concinna, verbis electis, sententiis aptis, translationibus decoris. Ab animo nascuntur acumen & subtilitas: est enim oratio acuta, cuius verba vel sententiae intima rei penetrant. Quae vero supremam modo faciem perstringit, hebes nominatur. *Adiecta* etiam seu *epitheta* acumen ostendunt, tamquam natura rei uno verbo sive ostensa, sive comprehensa: ut, *male suada fames*, & *turpis egestas*. Acumen circa res minutas animum atque adfectatum in argutias vertitur. D. Hieronymus Quinctiliani orationem acutam appellat, sed acumine facile omnes superat Aristoteles. Orationem rursus Hermogenes magnam appellat, in qua omnes dicendi formae, velut in unum corpus, conveniunt. Vnde ex cunctis virtutibus oratoris magnus quidam & admirabilis conficitur stilus, qualis Demosthenis & Ciceronis fuit. si quidem in horum praestantium virorum orationibus

nul-

nullam non dicendi formam earum invenies, quas Hermogenes adnotavit. Ad hunc modum ceterae dicendi formae, quas viginti & plures esse diximus, his octo partibus constituuntur: quas ego missas facio, quoniam Hermogenes singulas accuratissime pertractavit; & Georgius Trapezuntius mirum in modum deinde auxit, & Ciceronis exemplis illustravit: satis enim esse duxi specimen quoddam informandi stili me in una aut altera dicendi forma praebuisse. Quod si studiosi eloquentiae libenter (ut spero) complexi fuerint, non equidem dubito, quin reliquas ipsi per se consequantur. Illud quoque obtinebunt, ut stilum sibi optimum comparerent, & de auctoribus iudicium facere queant. Nam nihil erit (meo iudicio) facilius, quam hac Hermogenis methodo ducti, auctorum dicendi formulas in partes illas octo dissolvere: quae ubi detectae nudataeque fuerint, ipsaemet omnem stili vim & naturam ante oculos evestigio ponent: eritque stilus certus index, quo virosum eloquentium scripta, sublatis etiam titulis, cognoscamus. Perstrinxi quam brevissime potui, multas stili formas, quas Hermogenes, & Georgius Trapezuntius, & Ludovicus Vives in Demosthene, Cicerone, Homero, & principe poetarum Virgilio acutissime observarunt. Nam Virgilius, ut ceteros, quos nominavi, praeteream, non solum significatione verborum res depingit oculis-

lisque subiicit: sed sono ipso & compositione verborum, ut multis exemplis docet Georgius Trapezuntius. Illud praeterea nostra scire maxime interest, has tam varias & multiplices dicendi formas perinde in oratione permisceri, atque caussarum tria illa genera, quae mutuis saepe auxiliis nituntur, unumque in altero frequenter invenitur. Neque enim facunda vereque absoluta esset oratio, nisi demonstratorium genus cum deliberativo saepe coniungeretur, & utrumque etiam generi iudiciali in quamplurimis caussis subsidio adiumentoque esset.

CAP. XI.

De imitatione Ciceronis.

NVlla quaestio post interitum Ciceronis vel maiore contentione agitata, vel diutius cum periculo eloquentiae a viris doctis pugnacissime disputata, in iudicium vocata fuit, quam ea, quae de imitatione auctorum, & publice suscepta & privatim etiam instituta fuit. Nam ut Fabii Quintiliani saeculum praeteream, quum is fortassis error plerisque rhetores primum invaserat, ut Ciceroni Senecam corrupto sane iudicio quamplurimi anteponebant, quem unum etiam exprimere dicendo conarentur; Angeli Politiani aetas, quum humaniores

lit-

litterae, quae antea continuis in Italiam barbarorum incursionibus ad id temporis oppressae fuerant, tantisper respirarent, doctissimorum hominum factiones tulit, qui an esset linguae Latinae eloquentiaeque imitatio a solo Cicerone petenda in quaestionem verterunt. Siquidem Petrus Bembo, Iacobus Sadoletus, Paulus Cortesius, Ceritus Alamaeon, Stephanus Doletus, Ioannes Sturnius sic a Cicerone steterunt, ut hunc tantum caelestis ingenii virtutem, summum oratorem, & in omnibus etiam artibus & disciplinis eminentissimum imitandum dicerent: ceteros vero auctores cum Cicerone comparatos usque adeo despiciantur ludibrioque habuerunt, ut ex eorum grege Stephanus Doletus, vir quidem inurbanus, stercus appellare non vereretur. Contra vero Angelus Politianus, Erasmus, Ludovicus Vives, Ioannes Sambuccus, Franciscus Floridus, non ita se uni addixerunt Ciceroni, quin ad alios auctores imitandos locus sibi relictus esset: haud malum certe consilium sequuti, si in tam varia auctorum imitatione sibi temperarent. Verum Politianus & Erasmus suo indulserunt ingenio, ampliorem quidem & puriorem stilum facturi, si Ciceronis vestigia sequuti essent. Alter enim usque adeo non adfectavit se Ciceronianum esse, ut in continenti perpetuaque oratione facile agnoscas eum esse poetam. Alter vero nullum unquam verbum

re-

reformidavit, quod in Latino aliquo auctore usurpatum reperiret. Vtinam hic tantus vir aliqua esset stili sive religione, sive superstitione captus! haberemus enim hodie unum nostrae aetatis virum, quem propter egregias ingenii dotes, & variae doctrinae ornamenta imitaremur. Sed ipse sibi peculiarem stilum fecit, quem sic abiecit & extenuavit, ut numquam se in rebus etiam magnis & admirabilibus attollat. Hos ego praestantes doctrina viros non reprehendo, si aut illis facultas aut ingenii propensio ad imitandum Ciceronem defuit: at si voluntate potius, quam facultate destituti sunt, gravi quidem animadversione digni mihi esse videntur: propterea quod inferiores in dicendo esse maluerunt, quam eloquentiae arcem tenere, si totos se ad effingendum Ciceronem compararent. Quare a principio statim videndum est, ad quod dicendi genus nos natura finxerit, ut in eo uno omnem nostram operam, studium & diligentiam opportune collocemus: futurum existimantes, in eo nos florere & excellere posse, ad quod natura ipsa inclinamur & compositi sumus. At si, reclamante natura, hoc ipsum efficere conemur, inanes profecto erunt conatus & labores nostri: quippe nemo in eo fortunatus est (ut aiunt astrologi) a quo genesis abhorret. Naturam enim habilem adiuvat cura, leviter abhorrentem conciliat, & corruptam

Sss

emen-

emendat : prorsus tamen abhorrentem , & ad diversa compositam frustra vexes. Nemo enim ita exsuis naturam suam , ut penitus in alium hominem transformatus fuerit : neque tantum umquam imitatio efficere potuit , quin sui natura semper memor , plus praestare valeret : quam etsi *expellas furca* , tamen (ut Horatius dixit) *usque recurrit* , id est , subinde ad ingenium redit. Quare mihi his rationibus persuaso , sententia cuiusdam Theologi , viri alioqui doctissimi , improbatur , qui ut ab Erasmo fortassis dissentiret , stilum non esse certum indicem ad iudicandum de auctoribus ideo putavit , quod locis , temporibus , ciborumque genere mutata hominis natura sic transformetur , ut nihil pristinae salivae reliquum fieret. Sed redeo ad propositam quaestionem de Ciceronis imitatione , a qua paululum digressus fueram : in qua quidem decernenda & meam ipse inter tot praestantes & illustres viros interponam sententiam. Quod sane citra ullam aut adrogantiae aut ostentationis suspicionem mihi videor posse facere : quod annos iam circiter viginti septem Compluti , id est , in celeberrimo totius Hispaniae teatro eloquentiam professus fuerim. Qua una profecto in re decernenda si qui sunt (sunt autem multi) qui aberrarint , id autem amori erga Ciceronem nimio , aut quorumdam hominum dissimili ingenio , ne dicam tacito naturae odio,

odio , sic tribuendum existimo , ut sententia de Ciceronis aliorumve auctorum imitatione ab amore odiove naturali potius quam a vero incorruptoque iudicio haecenus profecta fuerit. Nam quibus Deus Optimus Maximus naturam & facultatem ad elegantiam dedit , ii continuo Ciceronem , ut deum quemdam e caelo in terras delapsum intuentur : quem non ut eloquentem aliquem hominem , sed ut ipsam potius eloquentiam suspiciunt & impensius adorant. Huius unius auctoris adseclas , imitatores , simias , vectigales , stipendiarios se esse malle , quam aut Politiani , aut Beroaldi , aut Erasmi , aut his similibus appellari filios , profitentur. Qui si modum aliquem imitandi Ciceronem sibi praescriberent , ut ad certam metam accedentes , ulterius non progredierentur , haud equidem ab istorum sententia discederem : verum quum solum Ciceronem ad res omnes pertractandas , quae aut mente percipi , aut excogitari possunt , sufficere iactent , illud plane committunt , ut neque illorum ego sententiae accedam , neque id probem , quod ipsa rerum natura ferre nequaquam potest. Nam qui , obsecro , fieri potest , ut qui historiam numquam conscripsit , qui poema non condidit , qui nihil de agricultura , praeter pauca quaedam in *Catone Maiore* , nihil de Medicina , reliquisque artibus , quas in vitae humanae usum hominum industria invenit , scri-

ptum reliquerit ; is ipse verba suppeditet , quibus explicentur ea , quae aut fortassis Cicero ignoravit , aut litteris certe non illustravit ? An non licebit conscribenti historiam verba & phrases a Livio , Sallustio & Caesare mutuari ? An poema canenti fas non erit a principe poetarum Virgilio , praeter poematis leges , dictiones etiam & vocabula mutuo accipere ? An si Medicina litteris Latinis sit explicanda , Cornelium Celsum non exprimam , qui ea de re elegantissime disseruit ? An si naturae arcana in lucem proferre velim , ad Plinium Secundum non me componam , ut si minus Ciceroniane , Pliniane saltem de rebus naturae dicam ? Atqui hoc facere per Ciceronianos istos minime licet , qui quingenties malunt repetere verbum Ciceronis , quam variandi causa semel a Cesare aut a Livio sumtum efferre . Quae (malum !) haec superstitio aut dementia est , cui nos patimur illigari ? Si Marcus Tullius de rebus omnibus non scripsit , quomodo isti , obsecro , qui se Ciceronianos appellant & esse volunt , Ciceronis verbis de rebus aut novis aut nuper inventis , quae Ciceronis saeculo nondum existerant , neque ipsi Ciceroni in mentem venerunt , se verba facturos pollicentur ? Ab istorum igitur sententia quum alii auctores discederent , multo sane turpius prolapsi fuerunt : nam neque modum , neque numerum , neque concinnitatem , neque ver-

bo-

borum delectum , neque phrasim aliquam , quae Ciceronem redoleret , sequi voluerunt . Quos ego sempiterna macula inustos eo de nomine crediderim , quod ab optimo dicendi genere , quod in summo illo oratore enituit , tam longe digressi sunt . Atqui horum hominum levior esset culpa , si inter tot auctores , quos sibi ad imitandum proposuerunt , inter praecipuos nominaretur Cicero : verum nihil inter Ciceronem & Apuleium barbari homines interesse putarunt , nullumque discrimen inter oratores , & historicos , & poetas esse arbitrati , ad eorum imitationem se contulerunt . Ex hac auctorum mixta confusaque copia stilum sibi , tamquam ex diversis naturis conflatum , cum eruditorum hominum risu in scholas invexerunt . Quare qui medium iter ingressi sunt , extrema vitarunt : & rectam informandi stili rationem , quae imitatione etiam constat , longe facilius sunt adsequuti . Tollenda itaque haec auctorum discordia est , quae tot peperit virorum eloquentium familias : quum alii Ciceroniani nominentur , alii ex eorum grege , qui nullius in verba magistri (ut refert Horatius) iurarunt , sed per omne scriptorum genus libere volitarunt . Quare mihi cuncta praesenti animo perpendenti illa modis omnibus aequa iustaque ratio ad haec auctorum dissidia componenda occurrit , qua nescio an alia possit inveniri vel quaestioni accommodatior ,

vel

vel ad omnem hanc controversiam dirimendam praestantior. Sit igitur in Ciceronis aliorumve auctorum imitatione haec praescripta lex, ut in his rebus omnibus, de quibus Cicero scripsit, & quarum a Cicerone imitatio peti potest, non liceat alium praeterquam unum Ciceronem imitari, modo is, qui Ciceronis vestigia sequi decreverit, non solum ingenio, sed genio etiam & sidere (ut Platonici dicunt) adiuvetur. Nam nisi insita fuerit imitatori, aut potius innata quaedam Ciceronis imitandi cupiditas, quae a propensione naturae ducitur, actum quidem aget, neque umquam voti compos evadet. At in his, quae aut litteris Cicero non illustravit, aut imitatio ab eo nulla sumi potest, tunc eos auctores fas erit deligere, qui purius & elegantius eas res, quas tractare instituimus, memoriae prodiderunt. Quod sic tamen a nobis praescriptum esse volumus, ut orator oratores tantum, historicus dumtaxat historicos, poeta solum poetas imitetur: nisi in his certe rebus, quae omnibus sunt in eloquentia communes. Nam oratorem a poeta adiuvari illique finitimum esse Cicero testatum reliquit: neque hoc tam libere proferrem, nisi ipsum Marcum Tullium huius sententiae haberem auctorem: qui I. de *Oratore* libro, non tantum per omne scriptorum genus eum quem informat, vagari; sed quodcumque in eis utile fuerit,

si-

sibi vindicare vult. Sic enim ait: „Educenda dicitio est ex hac domestica exercitatione & umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque aciem forensem: subeundus usus omnium, & periclitandae vires ingenii: & illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. legendi etiam poetae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores & legendi & pervolutandi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputandumque de omni re in contrarias partes: & quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum. Perdiscendum ius civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina reipublicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est. Libandus est etiam ex omni genere urbanitatis factiarum quidam lepos, quo tamquam sale perspergatur omnis oratio. “ His conveniunt, quae I. III. scribit. „ Sed omnis (*inquit*) loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus ac poetis. sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praecclare loquuti: quorum sermone adsuefacti qui erunt, ne cupientes quidem, poterunt loqui, nisi Latine. Neque ta-

„ men

„men erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam: sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur is, qui in veteribus erit scriptis studiose, & multum volutatus.“ Haec Cicero. Qui si in veterum scriptis & studiose & multum volutari vult oratorem, quanto magis in recentiorum, & eorum praesertim, qui vel cum Cicerone, vel post eum fuerint, versari debet? Oratorum autem qui Ciceronis aetate aut paullo ante floruerunt, nulla, quod ego sciam, exstant scripta: nam Asinii Pollionis, Licinii Calvi, Caelii, C. Caesaris, Bruti, & antiquorum omnium oratorum opera interciderunt. Qui quamquam hodie viverent, hanc palmam Ciceroni liberrime deferre non vereretur: quoniam dono quodam providentiae hic unus inter omnes homines (ut ait Fabius) genitus fuit, ut in eo vires suas eloquentia experiretur. Verum quum id argumenti genus a nobis propositum fuerit, in quo ornando Ciceronis verba nobis defuerint, quae (malum!) ista religio erit, ne dicam superstitionem aut potius dementia, nolle ab aliis auctoribus imitationem petere, quum ipse etiam M. Tullius ad poetas nos relegaverit? Atqui Ciceroniane dicere, quod a me non semel dictum est, nihil aliud profecto est, quam optime dicere: optime autem dicere, est pro rei

na

natura pure & eleganter & apte dicere: quae qui praestiterit, is mihi solus Ciceronianus erit, non qui decem aut viginti Ciceronianis formulis instructus, ad omne se argumenti genus probe pertractandum idoneum esse putat. Quid igitur, tanti est epistolam sic auspicari? *Non oblivione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae, ad te nullas litteras misi: aut, Quamquam me nomine negligentiae tibi suspectum esse doleo: aut si illud usurpes: hoc te vehementer etiam atque etiam rogo: aut, quidquid ei accommodaris, erit mihi mirum in modum gratum; aut illud etiam: magna quidem res est, atque haud scio, an una omnium maxima: aut illa quoque ex eodem Cicerone: Sic, inquam, tibi persuadeas velim: Et, facio autem id (mihi crede) saepissime: Et, cave putes, ut quum abs te discessero, mihi te uno esse quemquam cariorem.* Elegantes quidem sunt hae dicendi formulae, ex Ciceronisque usu depromptae, sed si altius Ciceronis sacra ingressus non fueris, numquam te Ciceronianum appellabo. Insunt enim in illo summo oratore infinita paene cum ingenii, tum eruditionis & eloquentiae ornamenta hominibus nostri temporis inimitabilia. Nam quae de Longolio, Petro Bembo, Sadoletto, Sturnio, Manutio, Hieronymo Osorio vulgo tantopere praedicantur, non sic ego accipio, ut putem eos viros: totum expressisse Ciceronem.

Ttt

nam

nam nemo id umquam praestare potuit: sed ad-
 umbrata quaedam Ciceronis signa in eorum scri-
 ptis apparent, quae omnes ingenii suavitates & de-
 licias vel verborum elegantia, vel sententiarum gra-
 vitate, vel numerorum concinnitate superare viden-
 tur. Quare mihi visum est brevem quamdam viam
 imitandi Ciceronem his praescribere, qui se totos
 Ciceronis studio & imitationi addixerunt: quod
 eo quidem libentius faciam, quo existimem hoc me
 uno beneficio Hispanos meos plenius atque cumu-
 latius posse demereri: quorum ingenia si arte iu-
 ventur, nihil non in eloquentia atque in omnium
 reliquarum artium & disciplinarum genere conse-
 qui poterunt. Ante omnia Ciceronis studiosus li-
 brum concinnet, quem primum generatim in tria
 oratoris officia, *inventionem*, *dispositionem*, & *elo-
 quutionem* distribuat: nam quum his partibus o-
 mnis oratio constet, & simili etiam artificio cun-
 ctae res, quae ab oratore vel philosophice vel popu-
 lariter tractantur, institui plane videantur; con-
 sentaneum quidem erit, ut quae per *genesim* con-
 texta fuerunt, per *analysim* rursus retexantur.
 Hunc vero modum interpretandi auctores docuit
 Petrus Ramus, homo quidem disertus, sed usque
 adeo liber & impius, ut ne ipsum quidem Ari-
 stotelem, philosophorum facile principem, reveri-
 tus fuerit: a quo tamen hanc methodum eum ac-

ce-

cepisse crediderim, quippe quod Aristoteles et
 usus ratione fuerit in explorandis syllogismis.
 Mihi vero ita haec methodus enarrandi Ciceronem
 probata fuit, ut si viam aliam inirem, aut ratio-
 nem aliquam huic diversam essem ingressus, o-
 leum me & operam perdidisse proculdubio puta-
 rem. Nihil enim est vel ad imitationem utilius,
 vel ad intelligendos auctores praestantius, quam
 eorum scripta in eas partes, detracta veste, nuda-
 re, quibus & instructa & ornata fuisse constat:
 quae per *genesim* & *analysim* fieri, etsi Petrus
 Ramus taceret, res ipsa loqueretur. In omni enim
 oratione primum inquirenda est *inventio*, deinde
 indaganda *dispositio*, postremo de investiganda &
 examinanda *eloquutione* Ciceronis candidatum sol-
 licitudo urgebit: nam reliquae partes duae *memo-
 ria* & *pronuntiatio* oratoris potius, quam oratio-
 nis sunt. Libello igitur ad hanc formam concin-
 nato primum imitationis caput, immo fundamen-
 tum est, optime intelligere auctorem, ad quem
 imitandum nosmet ipsos comparaverimus. Sed nunc
 de imitatione Ciceronis pauca dicamus, de qua
 nos methodum tradituros recepimus: cui propriam
 libellum, ubi melius omnia digererentur & ad ar-
 tem redigerentur, dicandum praecepimus. *Inven-
 tioni* ergo, quae ut primum in oratione, ita in
 imitatione locum habet, omnia probationum lo-

Ttt 2

ca,

ca, & argumentorum genera, & partium orationis proprietates subiiciemus. Hoc autem commodius fiet, si ad tres status generales, quibus omnes quaestiones continentur, universam inventionem referamus. Nam quamquam septem dicantur esse status, tres nimirum rationales & quatuor legales, omnes tamen illis tribus quaestionibus *an sit, quid sit, & quale sit*, comprehenduntur: quoniam his tribus quaestionibus perfecta cuiuscumque rei, quae in controversiam venit, cognitio haberi solet. Atque haec methodus, quam Ciceronis imitatori praescribimus, multo quidem latius patet, quam ut his solum angustiis circumscribi debeat. Nam ad parandam undecumque inventionem, & ad recondendas velut in thesauro opes, quas ex infinita paene auctorum & artium disciplinarumque copia comportaverimus, certissimam viam munit. Atque dictu incredibile est, quam facile & copiose ille dicat, qui hoc ordine rerum inventionem digesserit, ut ad singulos *status* singula inventa referat. Neque id oratoribus dumtaxat praeceptum volumus, sed philosophis, Theologis, iureconsultis, medicis. Qui si ad hoc praescriptum studia litterarum constituerint, numquam cum publice dicendi casus aliquis aut necessitas urgebit, copia & facultate destituentur. Quare adolescentes etiam atque etiam monere hortarique non desi-

sistam; ut quum graviora studia ingressi fuerint, quidquid pulchrum, selectum, quidquid grave & adnotatione dignum invenerint, sive illud in ethnicis sive in Christianis auctoribus offenderint, ne committant, ut hoc illis in posterum pereat, praesenti lucro contenti, sed id continuo in adversaria referant: deinde vero dispiciant ad quem statum pertineat, & eius dictioni subiiciant. Oportebit autem statuum vim atque naturam egregie notam exploratamque habere, ne in distribuendis sententiis haesitemus. Hac enim industria si usi fuerimus, non solum Ciceronem, quatenus ingenii nostri modulo datum fuerit, imitabimur, sed orationis copia adfluemus. Si quis decem Aristotelis *praedicamenta* sequi potius decreverit, quod ea sibi notiora sint, quam aut Ciceronis aut Quintilianii aut Hermogenis *status*, huius consilium haud equidem improbaverim, modo is intelligat, decem illa *praedicamenta*, quibus res universas Aristoteles complexus est, tribus illis statibus *coniecturali, qualitatis & iudiciali* penitus comprehendi. *Status* vero est, qui in oratione debet probari, quem admodum *thema* in declamationibus. Idcirco omnem huic *inventionem* accommodamus: quum inventionem dico, res veras aut verisimiles intelligo, & universam argumentorum aciem, quam ad confirmanda nostra, & refutanda aliena produci-

mus.

mus. *Dispositio* sex partes suas modosque collocandi habebit, quos imitatore diligenter considerare oportebit. Primum enim intuendum curabit imitationis studiosus ordinem partium orationis inter se: deinde singularum partium collocationem seorsim animo atque oculis perlustrabit: mox quaestionum *dipositionem* accurate dispiciet: in quibus, quae sit illa, quae caput caussae sit, quam *statum* appellamus, mente atque cogitatione notabit. Reliquarum deinde, quae ab hac una principe oriuntur, quas modo status minores, modo quaestiones subsidiarias & auxiliares nominamus, ordinem atque seriem ad imitationem designabit. Considerabit deinde, quibus locis quibusve in quaestionibus Cicero *enthymematis* usus fuerit, quibus vero *epichirematis*, aut *sylogismis* quinquepartitis: quibus rursus *expositiones* & *amplificationes* accommodaverit: quibus denique in locis *adfectus* comicos, id est mites & perhumanos, aut contra tragicos, hoc est, acres & vehementes effuderit. Illud quoque sine animadversione praetereundum non est, alium esse ordinem artis, quem rectum & naturalem dicimus; alium vero ordinem prudentiae, quem saepe pro utilitate caussae longe aliter, quam artis praeceptis traditum sit, oratores usurpare solent. Est praeterea in actore & reo ordinis in dicendo non exigua differentia, quae imitatori perspe-

cta

cta & in primis comperta esse debet. *Eloquutio* tria dicendi genera sive characteres, tamquam capita praeferet, quibus formas singularum partium, compositionis ideas, tam in singulis, quam in connexis verbis figurisque omnis generis continebit. Vt quidquid usquam huius formae in Cicerone a nobis observatum fuerit, in eam continuo seriem referatur. *Lexicon* igitur alphabeticum confici volo, in quo primum secundum litterarum ordinem adnotentur formae loquendi M. Tullio peculiare: cuiusmodi sunt, *etiam atque etiam* pro *vehementer*: & *maiores in modum* pro *valde*: *idemidem* pro *subinde*: *quum & tum*, quoties inaequalis momenti sunt quae connectimus; *tum & tum* quoties aequalis: *quid quaeris?* pro *in summa* aut *breviter*: *Non solum peto, verum etiam oro* *contendoque*: *Antehac dilexisse tantum, nunc etiam amare mihi videor*: *Valetudinem tuam cura & me (ut facis) ama*: *Non ille quidem vir malus, sed parum diligens*: simile est, quod per pronomen *illud* indicat, non quod praecessit, sed quod mox sequitur. Et illud etiam, *cogitabam Tusculanum*, id est, in Tusculanum proficisci in animo erat. Adnotabimus rursus verba in vario usu & significatione usurpata, nam eadem vox non eodem semper apud Ciceronem accipitur modo. Sit exempli gratia hoc verbum *refero*, cuius quidem

usus

usus latissime patet. Nam aliam vim habet, quum ait Marcus Tullius *referre gratiam*; aliam quum ait, *liberi parentes & forma corporis, & moribus referunt*; aliam quum ait, *refero me ad intermissa studia*, rursus aliam quum ait, *non ignota referam*. Item aliud est *orare Lentulum*, aliud est *orare causam*. Rursus aliter *contendit*; qui cum altero certat; aliter qui quid instanter ab altero petit; aliter qui magno studio nititur ad aliquid efficiendum; aliter qui res duas inter se committit comparatque. Haec erunt in secundo alphabeti ordine accurate digerenda. Tertius tum alphabeti locus destinatus erit pedibus, numeris, commatis, colis, periodis. Siquidem magni refert ad rectam stili informationem, & ad veram Ciceronis imitationem diligenter animadvertere, quibus nimirum pedibus Cicero aut incipit aut finit periodos: quibusque numeris genera dicendi temperat: quibus postremo sententiis quam modulationem accommodet. Sed quoniam imitandi ratio infinitae doctrinae est, quod nihil certe in hominum vita sit, quod eloquentia non contineat, immensi sane laboris esset de singulis velle praecipere. Idcirco ad huius quaestionis exitum festinans, illud non praetermittam, in quo plerique adolescenterum frequenter labi ac decipi solent, qui ita se exercent, ut ex veterum auctorum scriptis mem-

bra

bra & integrum aliquando comprehensionis corpus sua in scripta transferant, existimantes pulchrum esse perfecti similitudinem sequi, quando ipsi per se perfecti nihil gignere possunt. Ego vero furtum deprehendo; perfecti autem nihil prorsus video. In imitatione inesse similitudinem haud equidem nego: nam *imitatio* est, qua impellimur diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo esse valeamus: eam tamen imitationem esse numquam concedam, in qua non laboramus ut similes simus, sed ut idem cum eo simus, quem integris membris ac periodis, & pagina denique tota spoliavimus. Errat ergo quicumque rem significatam cum verbis significantibus ex Cicerone aut ex alio quopiam auctore decerptam suis inserit scriptis. Quod si Ciceronis aut Terentii exquisitas sententias propriis lectissimisque ornaverimus verbis, ut quasi vestitu orationis mutato, quum eaedem omnino sententiae sint, aliae tamen videantur, tum optimum illud quod quaeritur imitando, nos plane consequutos esse dicemus. Erat mihi hoc loco Ciceronis exhibenda analysis, ut quae praecipimus ipsiusmet Ciceronis exemplo comprobaremus; verum ne commentarii modum excederemus, eloquentiae praeceptoribus hoc munus libenter committimus: quos per Deum immortalem rogo & obtestor, ut quum Ciceronem prae-

Vv

le-

legerint , hac methodo a nobis tradita , aut alia, si quam ipsi commodiorem invenerint , velut lydio lapide totum hunc summum divinumque oratorem explorent , quem nudent , detegant , & in omnes partes dissolvant , ut imitationem , quae arte constat , Ciceronis studiosi aliquando consequi possint.

FINIS LIBRI PRIMI.



IL

ILLVSTRI

Multisque titulis clarissimo Viro

GARTIAE LOAISAE GIRONI

Archidiacono Carracensi & Doctori Theologo,

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS

HISPALENSIS

S. P. D.



Aussas corruptae eloquentiae superiore epistola tibi breviter explicavi , illustris Loaisa : & quis mihi etiam animus fuerit in conscribendis his commentariis *de Methodo concionandi* , quos clarissimo nomini tuo multis de causis dicatos esse volui , cum studiose , tum perspicue ac libenter significavi. Ceterum de huius operis dispositione , quae velut mens totius operis iure vocari potest , in qua plurimum est & suavitatis & industriae a me constitutum , nullum (quantum meminisse possum) adhuc verbum feci. Nunc igitur totius operis dispositionem & oeconomiam & exploratam tibi quam maxime cupio , & cunctis concionatoribus cum primis notam atque

VVV 2

per-

perspectam : siquidem longe aliam rationem in concionatore informando sum ego sequutus , quam aut Erasmus , aut quidam alii novi auctores , qui hoc genus argumenti nostro tempore pertractarunt. Ii enim depingendis concionatoris moribus , & indicandis sacrae Scripturae quibusdam locis , a quibus petenda essent concionatori argumenta , omnem ferè operam dederunt , id leviter atque inconsiderate praetercuntes , quod erat proprium suscepti argumenti. Nam quid (quaeso) aliud magis exoptandum est concionatori , aut a rhetoricis studiosius petendum , quam id se doceri accuratius , & his rebus informari diligentius , in quibus saepissime propter rhetoricae artis ignorantiam haerent , titubant , & variis implicati cogitationibus turbantur ? Atqui ego animadverti quamplurimos sacrae rei concionatores quam longissime ab scopo aberrare in disponenda materia , in tractanda hypothesis , in constituenda oratione funebri , in amplificandis rebus , in apte dicendo , in persequendis ex arte oratoria Divinae Scripturae sententiis , & in movendis tempestivis adfectibus. quibus quidem inscitiae pestibus occurrendum fuit , explicata a nobis vera atque incorrupta dicendi arte , qua veteres oratores usi fuerunt. Ipsis vero praeceptis modum adhibui , multa quidem usui & consuetudini , sed plura tamen concionatoris iudicio pro loco , tempore , caussis , per-

sonis relinquens. Nam *figuras* dictionis & sententiarum definire nolui , neque *argumentorum* formas multis illustrandas exemplis curavi : quoniam eum ego concionatorem instituendum suscepi , qui non sit omnino artis rhetoricae expertus & ignarus. De hoc meo consilio & instituto non laudem abs te , sed iudicium potius exspecto , quod ego quidem semper plurimi feci , quoniam sincerum & nimis subtile saepe fuerim expertus. quamquam abs te laudari laudato viro , cum nullo triumpho aut laurea conferam. Nam est ea (ut inquit Cicero) *iucunda laus* , quae ab iis proficiscitur , qui ipsi in laude vixerunt. Servet Deus Optimus Maximus dignitatem tuam.



AD ELOQVENTISSIMVM VIRVM

ALFONSVM GARSIAM MATAMORVM

Simon Cugna Ribera Lusitanus.

Splendenti dum luce micis nitidissime in orbe,
 Et radiis praecincte tuis Phoebæ omnia lustras,
 Non his aut illis tantum lucemque diemque
 Stellifera de sede locis, purissime, mittis:
 Sed roseo late perfundens lumine terras,
 Nunc Arabas moles, & ditia Persidis arva,
 Boasque domos, Panchæaque rura pererras:
 Hesperiam nunc extremam, Zephyroque tepentes
 Idem syderea perlustras lampade terras:
 Arvaeque frigoribus septem subiecta trionis,
 Sauromatasque truces ambis, Scythiamque nivosam
 Australemque plagam, & Libyæ sitientis arenas:
 Vnde Notus madidis delabens humidus alis,
 Imbriferis tenues constipat nubibus auras.
 Nec minus illucet tua lux in vallibus imis,
 Quam planis, aequisque locis, & montibus altis.
 Sic, Matamore, tuos dum curas edere libros,
 In quibus eloquii vires miro ordine pandis,
 Et nullis praecepta minis mutabilis aevi
 Interitura umquam, aut odio livoris iniqui,
 Aeternis tandem mandas, doctissime, chartis:

Omni-

Omnibus ipse offers gratum & memorabile munus
 Et mire immenso iucundus & utilis orbi es.
 Non etenim solum divina arcana recludis
 Rhetoribus, vir magne, tuis, sed divite vena
 Insuper & medicis prodes, iurisque peritis,
 Et superi sincera viris qui dogmata Christi
 Exponunt populo ac vitae felicitis amore
 Inflammant resides animos infirmaque corda.
 Iure igitur dignis semper te laudibus orbis
 Efferet, & quando Phoebæe lampadis instar
 Omnibus usque nites, dum Phoebus lumine terras
 Lustrabit, nomenque tuum, laudesque vigeant.

IDEM ILLUSTRARI ET DOCTISSIMO VIRO

GARTIAE LOAISAE GIRONIS.

More renidentis Phoebi, qui culmina primum
 Celsa ferit radiis, magne Loaisa, suis:
 Te montem elegit miris virtutibus actum,
 Insignem claris artibus, atque atavis,
 Cui Matamoros opes puris e fontibus haustas,
 Paeneque divinum iure dicaret opus.

IN-

Quaestionum, quae in hoc libro continentur.

- CAP. I. An modus concionandi artis Rhetoricae praeceptis informari debeat.
 CAP. II. Quomodo instituenda sit concio funebris.
 CAP. III. Quomodo ex sacris Evangeliiis artificiosae conciones componi debeant.
 CAP. IV. Quod sex sint dumtaxat sacrae concionis partes quarum prima sit invocatio.
 CAP. V. De exordio.
 CAP. VI. De propositione & narratione.
 CAP. VII. De confirmatione & confutatione.
 CAP. VIII. De materia concionatoris.
 CAP. IX. De proponenda materia.
 CAP. X. De proponenda materia in genere deliberativo.
 CAP. XI. Quod hypothesis in nulla concione sit omittenda.
 CAP. XII. De exemplo, & quomodo tractandum sit.
 CAP. XIII. De epilogo & adfectibus.
 CAP. XIV. De amplificatione.
 CAP. XV. De eloquutione.
 CAP. XVI. De pronuntiatione.
 CAP. XVII. De decoro, sive de apte dicendo.
 CAP. XVIII. De eloquentia divi Pauli ex Chrysostomo & Augustino.
 CAP. XIX. De usu describendi alienas conciones.

DE

DE METHODO CONCIONANDI

LIBER VNVS.

CAP. I.

An modus concionandi artis Rhetoricae praeceptis informari debeat.



NON temere in hunc locum pervenimus, in quo *De modo concionandi* est a nobis multis nominibus suscepta disputatio. Primum quia id est a me non solum ab amicis, sed ab ignotis etiam viris, qui concionandi munere funguntur, summa contentione per litteras efflagitatum: deinde motus quibusdam de hoc argumento editis in vulgus commentariis, in huius quaestionis disputationem libenter sum delapsus. Nam Erasmus, & nuper Theologus quidam Hispanus, de instituendo Concionatore, & de informandis sacris concionibus praecepta quaedam tradiderunt, non nihil sane a Ciceronis & Fabii Quintilianii institutionibus abhorrentia. quasi vero multiplex sit eloquentia, ac non potius una, quacumque lingua ea demum proferatur. Neque enim alia est oratoris eloquentia, alia poetae, alia historici, aut alia, quae

Xxx

La-

Latine aut Graece enunciatur. Vna quidem est omnium rerum regina eloquentia, quae dicendi methodum in omni sermone praescribit : neque alia est rhetorica, quae docet tractare hominum animos in negotiis civilibus : alia, quae sacras conciones sic informat, ut in templis cum auditorum fructu proclamantur. Quare mirari satis nequeo eos homines, qui vias quasdam compendiaras quaerunt concionandi, atque disiunctas illas quidem a saeculari ethnicaque eloquentia, quum non videant quanto in errore versentur, qui se a Cicerone & Demosthene, id est, a Romana & Graeca eloquentia subducant, existimantes scilicet nova alia dicendi arte opus esse concionatoribus, qui de rebus sacris ac divinis materias tractant. Ego vero non aliam rationem tractandi humana omnia divinaque negotia invenio, quam eam, quae est a summis maximisque oratoribus praescripta, & tribus illis dicendi generibus, *demonstrativo*, *deliberativo* & *iudiciali* comprehensa. Quae quidem tria caussarum genera arctiora quidam putat, quam ut illis universae sacrae conciones contineri possint : idcirco ex Paulli Apostoli epistolis quinque concionandi genera desumpsit : genus nimirum *doctrinae* sive *didascalicum*, & genus *redargutivum* : quibus tria deinde adnumeravit, *institutivum*, *correctorium*, *consolatorium* : quae species potius, quam genera mihi esse videntur. nec quisquam

quam vel mediocriter rhetoricis praeceptionibus tinctus, non illas continuo quinque concionandi formulas ad tria summa genera referenda existimabit. Nam de genere *didascalico* permulti auctores, quos religionis gratia tacitus praetereo, pertractarunt, quod sub genere *demonstrativo* comprehendi voluerunt : *redargutivum* vero, quod in accusatione & reprehensione positum est, quis non videt ad genus *iudiciale* esse referendum ? *institutivum* autem, *correctorium* & *consolatorium* propriae sunt species generis *deliberativi*. His quinque generibus pares numero fecit *status*, quos eisdem nominibus appellavit, *didascalicum*, *redargutivum*, *institutivum*, *correctorium*, *consolatorium* : satis meo iudicio extra omnem artis rhetoricae methodum, quum omnes quaestiones, quae a concionatore fusa perpetuaque oratione populariter disputari possunt, rethorum statibus contineantur. Omnem denique invertit rationem oratoriam, ne dicam convellit, ratus fortassis, ea quae divina sunt, nullis humanis praeceptis circumscribi oportere. Atqui hoc negotium quando inter homines geritur, humano quidem artificio tractandum est : neque enim quum homines simus, naturam nostram dediscere possumus : in quam quum Graeci Latinique oratores intuerentur, sic se in dicendo compararunt, ut ab ea nusquam discederent. Audi, obsecro, Ciceronem in suo *Oratore* : „ Semper „ (in-

., (*inquit*) oratorum eloquentiae moderatrix fuit
 ., auditorum prudentia : omnes enim qui probari
 ., volunt , voluntatem eorum , qui audiunt , intuen-
 ., tur , ad eamque , & ad eorum arbitrium & nu-
 ., tum totos se fingunt & accommodant. “ Quare
 ego non video , quae nunc libertas maior rei sa-
 crae concionatoribus concedatur , quam veteribus
 olim oratoribus , quibus tota reipublicae gubernatio
 demandata erat. quum reipublicae gubernatio-
 nem dico , morum civilitatem etiam intelligo. Nec
 est , quod quisquam mihi obiiciat , solitos esse ora-
 tores inferiores causas superiores facere : nam istud
 sophistarum vitium fuit , non oratorum , qui *viri
 boni & dicendi periti* ex Marci Catonis definitio-
 ne nominantur. Talis certe a Virgilio fingitur , quem
 in seditione vulgi iam faces & saxa iaculantis mo-
 deratorem dedit:

*Tum , pietate gravem ac meritis si forte virum quem
 Conspexere , silent ; adrectisq; auribus adstant :*

Ille regit dictis animos , & pectora mulcet.

Ait rursus *amplificatione* & *adfectuum* motione opus
 esse concionatori. egregie profecto id admonuit , si
 locos ex arte persequutus esset. Nam in *amplifica-
 tione* hoc unum contentus admonuisse , conciona-
 toribus non esse in more positum amplificare res,
 ut maiores quam sint appareant , sed ut quantae
 sint , tantae ab auditoribus esse videantur ; cetera
 prae-

praetermisit , quum amplificandi modos praescribi
 numerarique maximeque oporteret. In *adfectuum*
 vero motione (ut reliqua illi condonem) hoc in
 primis ei animadvertendum fuerat , *adfectus* non
 moveri ab oratore , nisi circa personas , aut circa
 res , quae pertinent ad personas : quod concionato-
 ri maxime considerandum est , ne forte , quum *lo-
 cos communes* tractat , aut partem aliquam Divinae
 Scripturae populariter explicat , intempestivis *ad-
 fechtibus* omnia compleat. His argumentis satis qui-
 dem mea sententia in comperto est , modum con-
 cionandi rethorum praeceptis sic penitus haerere ,
 ut si quis se ab his tantisper divellere conetur , aut
 novam aliquam Rhetoricam a caelo divinitus de-
 lapsam in divorum templa introducat necesse est :
 aut si veterem rationem nolit sequi , totam dicen-
 di vim convellat & labefactet. Quum enim con-
 cionandi modum dico , artem denum intelligo :
 nam non me latet , hoc munus concionandi guber-
 nari Numine Divino , quod linguae plectrum con-
 cionatoribus movet , eorumque mentes ad dicendum
 inflamat ; neque aliis eloquentiae viribus concio-
 natoris praecipue niti , quam Spiritus Sancti gratia ,
 cuius praesidio favoreque armati , omnia illis cedunt
 & facile patent. At illud nos urgere etiam posset ,
 quod quamplurimi concionatores & nostro tempo-
 re concionandi munere discrete funguntur , & ma-
 io-

iorum nostrorum memoria non pauci extiterint, qui propter hanc unam laudem adhuc haerent in animis hominum: illorumque memoria tam diu floreat, quam diu concionandi officium in Ecclesia permanebit: quos tamen artis rhetoricae praecepta numquam calluisse accepimus. Quod permultis sane hominibus usu plerumque evenire videmus, qui iudicio, consilio, & naturae quadam bonitate plurimum valent. Nam quum res in oratore praecipua sit consilium, rethorum artificio frequenter praetermisso, pleraque illi mutant caussis, temporibus, occasione, necessitate: quibus quum res ex voto in una aut altera actione succederet, eo progressi sunt, ut nihil egere artis praeceptis eloquentiam putarent: sed natura sua, & vulgari modo, & scholarum exercitatione contenti, rethorum diligentiam irriderent. Ego equidem negare non possum, complures etiam homines nasci oratores, perinde atque poetas, quibus natura parens magna ac rara ad dicendum ornamenta tribuit: quod ipse etiam Aristoteles primo libro *Rhetoricorum* ad Theodectem attigisse videtur: consummatos tamen oratores fieri, nisi ars cum natura iungatur, nemo unquam mihi probabit. Atqui succedet fortassis feliciter semel aut iterum his, qui ingenii modo viribus & naturae suae confidunt: verum saepius offendunt, si ab eorum natura artem distrahās: quae multo quidem

dem certior dux, quam quaecumque felix ac fecunda natura existimari debet. Quare duo sunt, quae apprime necessaria esse arbitror futuro concionatori: alterum est, ut dum per aetatem puerilem licet, Ciceronem & Fabium Quintilianum, artis rhetoricae facile principes, diligenter evolvat, quos a doctis disertisque praeceptoribus interpretari discat: alterum vero, ut cum Philosophiae Theologiaeque studio dicendi artem coniungat: quod summopere in Aristotele Cicero laudavit. is enim Isocratis rhetoris gloria motus, dicere etiam coepit, adolescentesque docuit prudentiam cum eloquentia copulare. Et quum de *thesi* loqueretur, *In hac* (inquit) *Aristoteles* *adolescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rethorum in utramque partem, ut ornatus & uberius dici possit, exercuit.* Atque hanc magnificam exercitationem Cicero testificatur a suis praeceptoribus fuisse usurpatam: quam quidem Graeci Latinique oratores sequuti, in magnam eruditionis & eloquentiae lucem evaserunt. Neque alia quidem ratione illi Ecclesiae proceres Chrysostomus, Basilus, Gregorius Nazianzenus, & ex nostris Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, Lactantius eas eloquentiae opes sibi compararunt, quibus postea scripta sua mirifice exornarunt. Non enim artis rhetoricae compendiis illi effecti sunt eloquen-

quentes : siquidem nemo his epitomatis , & contractis recisisque commentariis disertus unquam evasit , sed cunctos potius auctores , qui eloquentias divitiis opibusque eo tempore florerent , non excusserunt modo , sed summa quoque aviditate compilarunt : Hebraeos quidem imitati , qui ex Aegypto in terram promissionis decedentes , Aegyptios ipsos auro & argento , ac fortunis omnibus spoliarunt. Quare ex hac exercitatione , qua Philosophiae Theologiaeque studium cum arte dicendi coniunxerunt , eo sunt in omni rerum orationisque genere progressi , ut praeter *inventionis* acumen , *dispositionis* decorem , & *eloquutionis* admirabilem ornatum , communem etiam rerum humanarum sensum atque peritiam perceperint : tum copiam quamdam ad omnem orationis usum sibi pararunt , unde postea ad informandas sacras conciones , & Theologicas quaestiones populariter explicandas , totam illam suppellectilem velut ex thesauro quodam protulerunt , quibus illorum libros tantopere decoratos nunc admiramur. Haec ergo certior est via , qua in summum eloquentiae fastigium concionator pervenire possit , quam epitomata & compendia ista , quae non sine eloquentiae dispendio emittuntur in vulgus. Quin sic totum se a puero futurus concionator Cicerone & Quintiliano , Graecis Latinisque omnibus auctoribus ingargitabit , ut in eo

omnium artium , omnisque humanitatis peritia elucere possit. Ex his studiorum fontibus ille aureus fluvius promanavit Aristoteli : ex hac exercitatione tantam dicendi facultatem sibi Cicero auxit & locupletavit , ut tripartitam illam dicendi varietatem unus ex omnibus Latinis oratoribus adsequeretur : hanc quoque viam Theophrastus ingressus , a divina eloquentia nomen invenit. Porro Chrysostomus , Basilius , Gregorius Nazianzenus , Tertullianus , Cyprianus , Augustinus , Lactantius tantum abest , ut eloquentiam studiis Theologiae inutilem putarent , ut complures annos Rhetoricam publice professi fuerint : unde illam postea dicendi copiam & orationis elegantiam sunt consequuti , quae Demosthenis ac Ciceronis saeculo in magno etiam pretio haberetur. Verum saeculi nostri desidia iusta studia non ferens , compendia quaerit : ac subito cupit fieri eloquens , cuius eloquentiae studium finem nullum habet , sed cum vita , auctore Fabio Quintiliano , terminatur. Quocirca qui concionandi muneri destinatus est , haud aliam dicendi rationem inire studebit , quam eam , quae est a Cicerone Oratori suo praescripta.

CAP. II.

Quomodo instituenda sit concio funebris.

Cogit me hoc loco de modo laudandi divos & de ratione instituendae *concionis funebris* illorum persuasio praecepta tradere, qui diversam ingressi viam, quam ab ethnicis oratoribus instituta sit, viros sanctos, quos Catholica celebrat Ecclesia, aliter laudandos esse putant. atque ulterius progressi, conciones funebres, quae in illustrium clarorumque virorum funeribus de more institutoque maiorum haberi solent, a veteri illa ratione laudandi homines vita defunctos quam longissime sevocant. Hos ego auctores facile contemnerem, nisi me Basilii Magni auctoritas revocaret, quem multi ex nostris Theologis fortassis sequuti, novam etiam concionandi legem posteris praescripserunt. Atque ut susceptae quaestionis disputatio recte sapienterque instituatur, D. Basilii verba subiiciam ex Gordii martyris, militis Caesariensis, laudatione decerpta.

„ Sacra igitur schola (*inquit Basilius*) praecepta
 „ rhetorum aut instituta non sequitur: nudam re-
 „ rum expositionem pro encomiis habet, quam &
 „ sanctis, & nobis satis esse existimat: illis quidem ad
 „ virtutis eorum praeconium, nobis vero ad imita-
 „ tio-

„ tionis gloriam atque formam. Encomiorum nam-
 „ que lex est, patriae dignitatem ostendere, gene-
 „ ris originem ex alto repetere, educationis incu-
 „ nabula diligentius referre; nostrum vero dogma,
 „ haec tamquam supervacua dimittit, & quae sunt
 „ propria ac vernacula sectatur. Quidnam ego sum
 „ melior, si mea civitas olim magna bella gessit,
 „ aut de hostibus triumphavit? Si eadem optimo
 „ sit in loco sita, aestate ac hieme, caelique tem-
 „ perie fruatur? Si fertilis est vitibus gignendis, si
 „ ager pascendo pecori sufficiat, si meliores nu-
 „ triat equorum greges, quam usquam reperiantur?
 „ Quid, inquam, ista? an ad virtutem commenda-
 „ tiores nos reddere possunt? Nos ipsi profecto de-
 „ cipimus, si hac de causa nobis aliquid accedere
 „ existimamus: ineptum insuper, si sanctis, qui res
 „ orbis universas contemserunt, his esse opus com-
 „ mendationibus putamus. Igitur nostri tantum
 „ causa profectus sat fuerit illorum celebrare me-
 „ moriam: non enim nostris indigent laudibus or-
 „ nari, sed nos istorum vitae historia & comme-
 „ moratione, imitationis gratia, indigemus. “ Haec
 „ Basilus. Qui rursus dum quadraginta martyres de-
 „ bitis laudibus prosequitur: „ Non enim encomiorum
 „ (*inquit*) legibus, aut eorum quae in genere demon-
 „ strativo reperiuntur, sermones de sanctis ullo mo-
 „ do serviunt: quoniam qui laudant ceteros, ex
 „ „ Yyy 2 „ mun-

„ mundi huius materia laudes usurpare solent , qui-
 „ bus autem mundus crucifixus est , quomodo ex
 „ eo quidquam , quod ad laudem faciat ; mutuari
 „ poterunt? “ Haec vero D. Basilii ethnicae saecula-
 risque eloquentiae contemptio , qua ipse tamen ple-
 risque oratoribus Graecis longe antecelluit , non
 sic Gregorium Nazianzenum , eius & aequalem &
 amicum ex animo carum , a veterum oratorum lau-
 dandi ratione deterruit , ut in concione funebri,
 quam in funere eiusdem Basilii Magni habuit , non
 omnes eloquentiae fontes aperiret , nihilque reli-
 querit , quod in genere demonstrativo a rhetoribus
 praeceptum sit , quod non ille in laudem D. Ba-
 silius usurparet. Iam vero in funere fratris sui Cae-
 sarii , & Gorgoniae sororis , aliorumque complu-
 rium excellentium virorum , quos funebribus oratio-
 nibus cohonestavit , quem locum ille laudationis reli-
 quit , quem praeceperit Quintilianus? Cur , obsecro ,
 Gregorius Nazianzenus Basilii methodum laudandi
 mortuos non adripuit , quum eius eruditionem ut cae-
 lestem plane ac divinam admiraretur , suaeque non
 vereretur anteferre? atque eius praecipue viri , qui-
 eum a teneris (quod aiunt) unguiculis singularis
 quaedam sibi fuerit necessitudo , iucundaque studio-
 rum societas cum ipsa prope aetate accreverat , quam
 penitus ea fide atque benevolentia conglutinarat , ut
 nec Oresti Pyladem , nec Pirithoo Theseum , nec Pa-
 tro-

troclo Achillem coniunctiorem fuisse crediderim.
 Sed mitto Gregorium Nazianzenum , & ad D. Am-
 brosium & ad Hieronymum venio , qui doctrina si-
 mul & eloquentiae laude floruerunt : quorum alterum
 omnibus Graecis fortiter opposuerim , alter vero
 causas egit , & oratoris munere in adolescentia
 summa cum laude functus fuit : qui in laudando
 Valentiniano imperatore , & in funere Theodosii
 Magni veterem illam laudandi rationem , quam cum
 saecularis esset orator , ex praeceptis artis rhetori-
 cae retinuerat , totam illo die , meo quidem iudi-
 cio , revocavit. Iam vero D. Hieronymus in epita-
 phio Nepotiani , quo an quidquam in eo genere
 praestantius ac perfectius esse possit saepe quidem
 dubitavi , nonne partibus demonstrativi generis Ne-
 potiani laudes explicavit? Horum sanctorum Pa-
 trum , qui lumina & ornamenta Ecclesiae Catholi-
 cae fuerunt , sequutus vestigia Iacobus Sadoletus ,
 funebrem orationem , elegantem illam quidem & o-
 mnibus fere eloquentiae numeris absolutam , de obitu
 optimi ac praestantissimi Cardinalis Federici Fre-
 gosii cum eruditorum eloquentiumque virorum plau-
 su edidit. Quare mihi saepius multumque cogitan-
 ti D. Basilii in laudandis viris sanctis , atque in ce-
 lebrandis funebri oratione vita defunctis tam alie-
 num ab omni eloquentiae apparatu institutum ,
 quippe qui nuda divorum historia contentus , o-
 mnem

mnem amplificationem & ornatum, quod erat proprium laudis, abiecerit, ea demum cogitatio in mentem venit, virum illum sanctum & eloquentem artem dicendi non repudiasse, qua ipse plurimum valuit, sed modum in dicendo requisivisse. Nam solent qui ceteros laudant, splendide interdum mentiri, atque tunc oratoris munus se pulchre obiisse credunt, quum res alioqui tenues sic amplificarunt & verbis ornarunt, ut pares maximis effecissent. Illa rursus, quae bona externa appellantur, a quibus vera animi laus non ducitur, quod fluxa quidem sint & caduca, cuiusmodi sunt patria, natio, genus, educatio, institutio, divitiae, quibus forma, proceritas, ingenium, memoria, & reliqua naturae dona iunguntur, a divorum laudibus procul ableganda reiiciendaque Basilius putavit, quoniam haec beatum neminem reddiderunt. Ego equidem diversum aliquid huic Basili sententiae nec possum, neque si possem, statuere deberem: ceterum M. Tullii aliorumque rhetorum praecepta sic explicabo, ut & illorum sensus constet, & veterum oratorum ratio a D. Basili institutis minime abhorrere videatur. Nam non usque adeo stulti inanisque gloriae cupidi ethnici illi homines exstiterunt, ut non plane intelligerent, huiusmodi externa bona nullam ex sese veram laudem & gloriam cuiquam adferre posse: quod si quid verae

solidaeque commendationis aliquando attulissent, id omne earum rerum honesto praeclaroque usui acceptum ferri dixerunt. Atqui vera laus est, si ex amplis fortunis, & copiosis cuiuspiam viri divitiis eius liberalitatem & magnificentiam ostendamus: rursus si ex pulchra forma castitatem alicuius proferamus: si ex claro itidem illustri genere animi demissionem (quam nostri Theologi *humilitatem* vocant) ut veram virtutem demonstremus: nam *genus, forma, divitiae*, in utramque partem valent, & morum praebent experimentum. Atque ut de *forma* vetustum aliquid & pulchrum scituque dignum dicamus, illud me legisse memoria teneo, veteres sapientes, qui maximo diuturnoque studioque astrorum naturaeque arcana indagarunt, nobilissimo animo formosissimum corpus a Deo O. M. fingi, & occulta quadam ratione parari dixisse. Quare qui *panegyricos* principibus olim dixerunt, dignitatis formae, decoraeque faciei meminerunt, veterem quidem Aethyopum morem memoria repetentes, qui Gymnosophistarum sapientia gubernantur: apud quos non ex his, qui fortissimi, quive opulentissimi habeantur, reges creari solent; sed qui forma pulcherrima praestantissimaque sint, ad regni administrationem adsciscuntur: quoniam animorum effigiem ex corporis specie intueri se posse verissime arbitrentur. Nam illud est etiam a iu-

re consultis legibus exceptum , sapientis esse iudicis ex ipsa vultus corporisque figura mentis bonitatem speculari atque coniicere. Sicut enim , auctore Aristotele , ad felicitatem habilis deformis homo non est , fierique prope semper non potest , (ut Aspasius inquit) ut qui omnino deformis sit , bonus sit : sic enim consentaneum est , ut qui speciosissimus sit , idem etiam optimis moribus praeditus sit. Merito igitur Pacatus Drepanus Theodosii imperatoris speciem laudavit : quem multis post saeculis Pandulphus Collemitius imitatus , Maximiliani Caesaris dignam imperio formam honore verborum , maximisque encomiis est prosequutus. Plinius rursus Novocomensis multo ante de vultus orisque dignitate , decoroque adspectu Traianum commendavit. His igitur argumentis satis me probasse arbitror , locum laudationis a *formae dignitate* & eleganti specie non esse omnino supervacuum : quum forma corporis certus sit prope semper animi index , ad veramque possit animi commendationem detorqueri : quemadmodum *patria* , *natio* , & id genus reliqua , ita in bonis externis habenda sunt , ut ad animi bonum referri valeant. Nam unusquisque patriae suae mores iam inde a puero imbibit , unde ingenitas etiam quasdam virtutes , aut vitia , aut certas quidem propensiones ex caeli adspectu , & astrorum influxu in lucem edi-

editus accipit , quibus , velut subiectis calcaribus , aut in omne honesti genus sponte sua fertur , aut praeceps in malorum sentinam ruit. Nullus itaque laudationis locus est ab ethnicis oratoribus in illustrium virorum commendationem usurpatus , qui ad divorum laudationem his modis transferri non possit. Nam Plinius Novocomensis , quum robur atque vires corporis Traiani imperatoris laudare vellet , ad animi imperium omnem eam laudem continuo derivavit : quod quidem aut per *correctionem* , aut per *prolepsim* , aut per *insinuationem* ab oratoribus oblique fieri solet. „ Neque vero (*inquit*) laudaverim „ per se magnopere duritiam corporis ac lacertorum , sed si his validior toto corpore animus immergetur , quem non fortunae indulgentiae molliant , non copiae principales ad segnitiam luxumque torqueant : tunc ego seu montibus seu mari exercetur , & lactum opere corpus , & crescentia laboribus membra mirabor : “ haec Plinius. At dicet mihi aliquis , quoniam sunt etiam nonnulli , qui editis de informandis sacris concionibus commentariis , hoc imperite ineptissimeque iactent , se hanc rationem laudandi divos vel eo de nomine contemnere , & procul a rebus sacris relegare , quod ab ethnicis hominibus & inventa sit & usurpata. Haec sane vox non hominem , sed belluam sonat : atque eius plane esse videtur , qui omnem antiquitatem

Zzz

pe-

penitus ignorat. Nam si propterea quod ethnico-
rum hominum hoc inventum sit, in Christianorum
usum non est transferendum, abiiciamus continuo
e republica Christiana omnes artes mechanicas, cun-
ctas artes liberales, magistratus, ritus, mores, quia
ab ethnicis & inventa fuerint & usitata. Hac quo-
que de causa detestemur litterarum usum, quas apud
Aegyptios Isis prima invenit, quarum postea Ni-
costrata ordinem, coniunctiones, & sonos exquisi-
tos Latinos edocuit. Quod si veterum grammati-
corum praeceptis pueros instituimus, si Aristotelis
Dialecticam merito recipimus, si eiusdem auctoris
Philosophiam amplectimur & deosculamur, si Eu-
clidis Geometria nobis est in pretio, si Platonis
dialogos ad rempublicam gubernandam, & infor-
mandos mores utiles esse putamus, si Medicinam
ab Apolline inventam non in urbes modo & in
scholas introducimus, sed intra pectoris nostri re-
cessus & viscera recondimus: cur non itidem M.
Tulli & Fab. Quintiliani Rhetorica praecepta in
divorum laudationibus usurpabimus? quum una sit,
ut iam saepe diximus, regina rerum omnium elo-
quentia, cuius imperium, ut in profanis rebus,
ita in sacris latissime patet: quoniam sibi subiecta
sint omnia, quae sermone explicari oporteat, qui-
bus dicendi leges pro *loco*, *tempore*, *personis*, &
pro cuiusque *rei* natura ac dignitate ferat. Proba-
tum

tum itaque a nobis est, cum sanctorum virorum
exemplis, tum firmissimis argumentis, rationem
laudandi divos, & eos etiam, quibus iusta de mo-
re patrio pompa funebri persolvuntur, a veterum
oratorum praeceptis, & institutis alienam non esse
debere. Ceterum ne concionatores ad veteres illos
rhetores remittamus, methodum tandem qualem-
cumque pro ingenii mei viribus praescribam, quae
concionandi modum & in divorum laudationibus,
& in sacris funeralibus utcumque demonstret: nec
enim ab Hieronymo, Ambrosio, Gregorio Nazian-
zeno recedam, quorum dicendi artem sine artis
Rhetoricae cognitione nemo umquam adsequi po-
terit. Atqui mos fuit his sanctissimis & eloquen-
tissimis viris, proposito *themate*, quod *status* vicem
praestaret, *hypothesim*, hoc est, quaestionem ali-
quam particularem, quae vel de divo aliquo lau-
dando, vel de mortuo encomiis celebrando propo-
sita esset, ad universi generis tractationem referre:
nam latius de genere (ut inquit Cicero) quam de
parte disceptari licet: ut quod in universum sit pro-
batum, id in parte sit probari necesse. Itaque a
propriis personis de more oratorum controversiam
primum avocant, & se totos ad *thesim* aliquam,
quae ex causa ipsa ducatur, pro viribus compa-
rant. *Caussam* autem ampliore vocabulo negotium
quodcumque sive civile, sive Ecclesiasticum appel-

lo : *theses* vero (sive quaestiones generales , sive loci communes appellentur , nam his omnibus modis vocari possunt) quae a doctissimis illis viris atque sanctissimis Patribus in mortuorum funeribus prope semper tractari solent. Huiusmodi sunt , nimirum de praeparatione ad mortem : de morte , quod sit paena peccati : de vitae humanae aerumnis : de liberatione ab eisdem per mortem : de contemptu mundi : de expetenda felicitate vitae sequentis : de animorum immortalitate , & aeterna beatitudine : de resurrectione corporum : de extremo iudicio : de reddenda in eodem ratione omnis vitae anteaetae : atque id genus quamplurimi loci , quos in hunc usum quidam viri doctissimi designarunt. Vbi vero unam aut alteram his similem *quaestionem* copiose & ornate eloquentissimi illi Patres pertractarunt , ad *hypothesim* , sive ad particularem quaestionem euestigio se referunt : quae *personis* , *locis* , *temporibus* est circumscripta. In hac autem eum dicendi modum persequuntur , qui de veteri oratorum more est a nobis traditus. nam aut totius vitae historiam cum *amplificatione* & *exornatione* percurrunt , aut virtutes aliquot insignes & excellentes , quibus is vir qui laudatur , dum inter vivos ageret , maxime enituit , ad caelum usque efferunt. Hunc sane ordinem servavit D. Hieronymus in epistola ad Heliodorum , quem de obitu Nepotiani

ex

ex sorore nepotis moerentem consolatur. Nam , proposito argumento , spatatur in locum iucundum , & plenum adfectibus de morte a Christo *devicta* : deinde consolationem aggrediens , variis exemplis ostendit , quatenus Christiano sit in amicorum morte dolendum : deinde , intermissa consolatione , Nepotiani laudes partibus generis *demonstrativi* persequitur : post regrediens ad intermissam consolationem , ostensa miseria & brevitate huius vitae , tum autem publica calamitate temporum , hortatur ad contentum vitae , & ad morum correctionem. Ad huius sanctissimi eloquentissimique viri imitationem Iacobus Sadoletus orationem de obitu Federici Fregosii Cardinalis in lucem emisit : quam & propter stili elegantiam & doctrinam singularem post D. Hieronymum meminisse non sum veritus. Absoluto enim orationis exordio , & argumento caussae explicato , huiusmodi *thesim* proposuit , quam ornate & copiose pertractaret : ut videlicet neglectis illecebris huius mundi , quae nihil aliud sunt , quam frustratio vitae , regnum mortis , opinionum vanitas , inutile corporum studium ; spes & rationes vitae nostrae in unum Deum aeternum & omnipotentem , & in eius filium Iesum Christum universas conferamus. Ad *hypothesim* deinde , hoc est , ad caussam pervenit , in qua praecipuum eius studium fuit , Federici Fregosii , quem unice ama-

ve-

verat, laudes ornare & amplificare: se ipsum postremo & auditores hac una ratione consolatur, quod virtus, pietas, sapientia, religio, ceteraeque virtutes excelsae & admirabiles, quae in Federico Fregosio illuxerunt, immortalem eum reddidissent. Illud quoque non est silentio praetereundum, quod concionatoris maxime scire intersit, nullum argumentum subtiliter de more dialecticorum, sed ornate & ad copiam rhetorum esse a concionatore explicandum: nam non Theologum modo, sed oratorem etiam agit. Cicero enim sic *quaestiones Tusculanas* philosophice disputavit, ut oratoris partes divinitus obiret. Quod tum vel maxime fieri videmus, quum singulis *sylogismi* partibus *amplificationem* subiicimus. Inter argumenta vero, quae in rebus sacris firmissima & esse & haberi solent, testimonia Divinae Scripturae numerantur, quibus cum nulla alia vel firmitate vel dignitate comparari possunt. Atqui Divinae legis testimoniis complectimur prophetarum oracula, figuras, allegorias, exempla, auctoritates, sententias, quidquid denique & Veteri & Novo Testamento continetur. Supervacaneum id a me videretur admoneri, nisi intelligerem, quantum esset exemplorum discrimen inter ethnicos oratores, & Christianos concionatores: quippe nullum argumentum debilius est apud ethnicos oratores, quam quod ducitur ab *exemplo*:
 quum

quum nullum contra vel firmitus vel praestantius in sacris concionibus illo existimetur, quod ex Divinis litteris petitum fuerit. Porro illud hoc loco a nonnullis Theologis quaeri video, liceatne concionatoribus poetarum exemplis, oratorum testimoniis, philosophorum sententiis in publicis concionibus uti? nam ut quidam dixit, ardet apud inferos Virgilius, & eius poemata cantat Christianus! Idcirco in dubium vocatum est, utrum ethnicorum inventa Christianus homo usurpare iure possit & in ditionem suam transferre? Sed hoc nos scrupulo D. Hieronymus, Augustinus, atque omnes fere veteres illi Theologi tam Graeci, quam Latini exemplo suo liberarunt: nemo enim felicius miscuit sacra profanis, quam D. Hieronymus: qui cum rebus etiam gravissimis aut Virgilio carmina, aut Terentii sententias coniungere non est veritus. D. itidem Augustinus apposite interdum citare solet Terentium & Iuvenalem, dum in publica vitia, & fluentes hominum mores invehitur. Philosophorum vero placita eatenus recipienda putarunt, quatenus a divinis institutis non abhorrent. Atqui credebant sanctissimi illi Patres, divino consilio ab ethnicis expolitas esse disciplinas, ut posterius uterentur, non ut contempnerent. Nam omnia ethnicorum fortiter facta, scite dicta, ingeniose cogitata, industrie tradita, suae reipubl. praeparaverat Christus
 stus

stus. Ille enim ministraverat ingenium, ille quaerendi ardorem illis iniecerat, neque alio auctore quaesita inveniebant. Hanc artium frugem ethnicorum aetas tulit, non tam sibi, quam nobis: siquidem ut non quaevis regio suppeditat omnia, nec omnis fert omnia tellus (ut inquit Maro), ita saeculis suae quibusque dotes distributae non frustra mihi videntur, sed ut omnes postea Christi laudibus cultuique servirent: idque secundum Servatoris sententiam dicentis: *Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quare ethnicorum exempla & testimonia concionator usurpabit, modo id parce & peropportune faciat: ne ostentatione magis, quam causae utilitate haec adferre videatur.

CAP. III.

Quomodo ex Sacris Evangelii conciones componi debeant.

Deceveram silentio praeterire rationem informandi conciones ex Iesu Christi Servatoris nostri Evangelii: cum quia extremae dementiae mihi esse videretur, Divinae sapientiae sermones, qui omnem excedunt humanum captum, in limites coarctare humani ingenii: tum quod non aliter de Deo de rebusque Divinis loquendum esse putarem, quam

quo-

quomodo viri sancti loquuti fuerunt. Hoc ego inductus consilio, viros quosdam pios & graves, qui methodum componendi conciones ex sacrosanctis Iesu Christi Evangeliiis summis precibus, ac quotidiano paene convicio a me contendebant, ad veteres illos Ecclesiae heroes remittebam: praecipue ad D. Chrysostomum, cui concionandi palmam antiquitas non immerito tribuisse videtur. Illi vero maiore desiderio incensi atque inflammati illud, quod erat summae artis in D. Chrysostomo, cognoscendi; multo me deinde vehementius, ac tam diu urgere coeperunt, donec eis invitatus recepi, me unum aut alterum artis dicendi praeceptum ex eorum quidem numero indicaturum, quo D. Chrysostomus uteretur. Nam quantum ego ingenio meo adsequutus, illud in more positum apud sanctissimos illos atque eloquentissimos viros esse video, ut breviter decursa historia Evangelica, in uno aut altero firmissimo locupletissimoque Evangelii loco multum diuque morarentur: ut hac potissimum ratione, quidquid vellent, auditorum animis facilius insererent. Neque enim altius haerere possunt, quae brevi tempore percurrimus; sed ea multo tenacius auditorum animis figuntur & adhaerescunt, in quibus diutius pertinaciusque elaboratum fuerit. Quare Cicero, qui maximus fuit persuadendi artifex, oratorem quem informat, etiam

Aaaa

at-

atque etiam monet hortaturque , ut quum nactus fuerit locum aliquem firmissimum suae caussae , in eo commoretur , in quem omnes ingenii nervos intendat , & universas eloquentiae opes profundat , futurum inde pollicitus , ut caussam obtineat. Ceterum ut paullo altius haec repetam , hoc in primis concionator ignorare non debet , dicendi genus in *civile* & *scholasticum* a praceptoribus eloquentiae solitum esse dividi : illud rebus civilibus , hoc autem scholasticis iure accommodatum. Rursus *scholasticum* genus in *disputatorium* & *enarratorium* ita distribuitur , ut disputatorio quaestionis veritas , enarratorio autem historiae sensus constare queat. Vtriusque tamen generis usus concionatoribus apprimè necessarius est : nam veritas argumentis elicitur in lucemque profertur : *enarratio* vero aut commento , aut paraphrasi fieri consuevit. Quare quum inciderimus in disputationem de veritate cuiusquam rei , haec de more veterum oratorum argumentis a nobis indaganda erit. Quum vero locus aliquis aut ex Iesu-Christi Evangelio , aut D. Pauli epistolis , aut ex re aliqua Divinae Scripturae enarrandus fuerit , is quidem aut commentatione , aut paraphrasi ex doctissimorum virorum usu atque instituto explicandus est : modo meminerit concionator , haec populariter , & cum amplificatione & exornatione fieri oportere. nam sterilitas illa scho-

la-

lastica inopiaque verborum a publicis concionibus longe ablegandae erunt. Quin omnis verborum sententiarumque copia , nitore simul & elegantia exculta , summo studio adsciscenda erit , quo res ipsae , quae a concionatore pertractantur , dulcius auditorum animis adhaereant : facilius enim persuadentur res , quas orationis claritas illuminat , quam quae propter neglectionem eloquentiae horridiores esse videntur. Enarrato igitur his modis Evangelio diei festo accommodato , unum aut alterum principem locum ex eodem Evangelio continuo deligat concionator , quem pro *thesi* & *loco communi* proponat , in quo diu commoretur , quem praestanti excellentique doctrina persequatur , cui varias amplificationes adhibeat , quem exemplis , similibus , figuris , oraculis , allegoriis , & omnis generis comparationibus , modo ad rem faciant , cum omni decore exornet & locupletet. *Thesim* deinde ad *hypothesim* deducat , hoc est , *personis* , *locis* , *temporibus* quaestionem illam generalem accommodet. In *hypothesis* tractatione litem intendat peccatoribus , quos velut in ius vocatos cogat anteaetae vitae rationem reddere , si Christi regulam fuerint sequuti , si eorum mores cum Evangelica doctrina congruant. Sceleratos homines deterrebit , pios ad vitae perfectionem incitabit , iacentes eriget , desides exhortabitur , debiles atque consternatos sublevabit , du-

Aaaa 2

bios

bios in viam veritatis reductos divinis testimoniis confirmabit. *Adfectus* subinde sparget, quibus in *thesi* locus non est: quales vero debeant esse adfectus, res ipsa, de qua disputatur, facile demonstrabit. *Perorationem* postremo aut per brevem argumentorum repetitionem cum ponderatione & amplificatione rerum constituet: aut per animorum (ut dicebam) motionem, quae concitatis adfectibus obtinetur, ex rhetorum praeceptis efficiet. Atque hic, si usquam, totos eloquentiae aperire fontes licet: nam ex his, si bene diximus reliqua, auditorum animos possidemus: & confragosis asperisque locis everti, tota (ut ait Fabius) pandere possumus vela: & quum sit maxima pars epilogi *amplificatio*, verbis atque sententiis uti licet magnificis atque ornatis. in aliis autem concionis partibus tractandus erit adfectus, ut quisque nascetur. Reliqua petat concionator ex rhetorum praeceptis, sanctorum Patrum usu: nobis enim satis fuerit, si quaestionem propositam minus absolvimus, eam tamen indicasse, & pro ingenii nostri viribus adumbrasse.

CAP.

CAP. IV.

Quod sex dumtaxat sint sacrae concionis partes, quarum prima est Invocatio.

Vetus consuetudo tenuit, iam inde ab Apostolorum temporibus ad nostra usque tempora repetita, ut sacrae rei conciones, quae ad populum haberentur, sex dumtaxat partibus constarent, nimirum *invocatione, exordio, propositione, confirmatione, refutatione & epilogo*. quamquam non me latet, *lectionem* septimam partem, a quibusdam fieri: quod olim positum esset in more, prius partem aliquam sacri voluminis publice legi, quam Ecclesiastes ea de re concionem suam haberet. Tamen quoniam ea consuetudo vel omnino ex Ecclesia sublata sit, vel in Evangelii *lectionem*, quod ante concionem de veteri instituto in divorum templis decantari solet, iustis de caussis sit commutata, concionis partibus adnumerandam minime putavi. Harum igitur partium una eademque prima est Divini Numinis *invocatio*, quae ex Apostolorum more laudabilique instituto ad nos usque pervenit. Nam ut ex eorum *Actis* accepimus, concionis initio Deum Optimum Maximum ipsi Apostoli orabant, uti sibi daret sermonem cum omni fiducia eloqui:

un.

unde ad posteros haec, vel ante concionis initium, vel absoluto concionis exordio, constans orandi Deum consuetudo promanavit. quod ita sane fieri oportuit. Nam si nemo miratur (ut ait Quintilianus) poetas maximos saepe fecisse, ut non solum initiis operum suorum Musas invocarent, sed proVecti quoque longius, quum ad aliquem gravio-rem venissent locum, repeterent vota, & velut nova precatione uterentur: quanto, obsecro, aequius est, ut Christiani concionatores Divina mysteria tractaturi, humana eloquentia & viribus suis diffusi, caeleste Numen implorent: ut tantum illis ingenii adspiret, quantum rei propositae magnitudo exposcit: tantum suavissimi nepenthes dicentibus instillet, quantum vera animorum voluptas expetit: tantum denique spiritus sui adflatus impertiat, quantum ad inflammandos auditores, & in veritatis viam reducendos sufficiat. Neque id initio solum efficiendum est, sed quoties ad aliquem locum vel explicatu difficilem, vel quod religioni audientiumve utilitati plurimum conferat, id toties repetendum erit. Nam dictu mirum est, quantum permoveant auditorum animos illae caelestis Numinis, sacraeque Virginis obsecrationes, non modo ut attentiores in posterum sint, sed, quod amplius est, sollicitudinem ipsi sibi auditores de recipiendis concionatoris monitis struunt. Nec ab hoc instituto

sum-

summi maximique oratores abhorrent, quoniam Demosthenes initio statim orationis pro Ctesiphonte, & Cicero pro Muraena a deorum dearumque deprecatione orationes suas inchoarunt. Quin Cicero ipse contra Verrem universae accusationis conclusionem per obsecrationem & obtestationem constituit: in qua deos deasque omnes, quorum religionem Verres violarat, obsecrat atque obtestatur, ut quam ipsi fidem in suscipienda agendaque causa dederant, eandem iudicibus in iudicando disceptandoque praebeant: ubi simul memoria violatarum omnium religionum cursim strictimque renovatur. Quare haec consuetudo implorandi Divini Numinis antequam quisquam ad opus accederet, ab ultima antiquitate repetita mihi esse videtur: quam etiam Plato philosophus adsequutus est, & alii quamplurimi de gentibus: talia namque erant veterum exordia, quos simplicius docuerat natura, quam posteriores malitia. *Prisci oratores* (inquit Valerius maximus) *a Deo Optimo Maximo bene orsi sunt.* Et Virgilius in XI: *Praefatus divos solio rex infit ab alto:* Quo loco Servius Honoratus, *More* (inquit) *antiquo: nam maiores nullam orationem, nisi invocatis numinibus inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi.* Neque eo solum tempore nobis orandum est, quum ad dicendum, aut concionandum accingimur, sed quoties vel ad scribendum aliquid vel ad studen-

dum

dum secedimus , ab oratione auspicari conveniet. Quod fecisse Thomam Aquinatem , & alios per multos sanctos viros , memoriae proditum est. Idque est orandum , ut sana sint nostra studia , ut nemini noxia , ut nobis & omnibus in commune salutaria. Illud quoque magnis continuisque precibus a Deo ipso contendemus , ne idem accidat nobis , quod malis medicis , qui alios curant , se non curant : vel candelis , quae aliis quidem lucent , se ipsas consumunt.

CAP. V.

De Exordio.

NON est mihi animus *exordiendi* praecepta hoc in loco tradere , quoniam ea in nostris *De ratione dicendi* Commentariis plene prolixèque persecuti sumus : quin potius , qualia in sacris concionibus exordia constitui debeant , breviter explicare institui. Nam nemo est tam a lautis urbanisque Musis alienus , ut non exacte intelligat , id prorsus orationis *exordio* praestari , ut auditores ad audiendum causam praeparentur. quod quidem obtinebimus , si benevoli , dociles & attentissimi ipsi prius auditores efficiantur. Ex his autem tribus muneribus , quae praestat exordium , unum existimo esse appri-

me

me necessarium , quod est docilitatem ab auditoribus captare : quod , proposito breviter explicatoque totius concionis argumento , facile consequemur. Quod si dociles hac ratione concionator auditores effecerit , eadem quoque opera attentos reddiderit : nam *docilis* est , qui attente vult audire. De concilianda vero auditorum benevolentia , & aucupanda gratia concionator sollicitus esse non debet : quum apud eos praesertim dicturus sit , qui recte intelligunt non de lana (quod aiunt) caprina agi cum adversario : sed de fide , religione , de animorum salute , de vera beataque vita tractari. Quare illae exordiorum epilogorumque praeceptiones , atque forensis disciplina , quae quidem ad intimum illud artificium , atque (ut Cicero appellat) *mysteria rhetorum* pertinebant , a Christiano concionatore procul reiiciendae sunt , ut Evangelii praedicationi minime necessariae. Atque si hoc maxime concionatoris consilium sit , ut omnia velit ex arte dicere , modum tamen opinor aliquem in hoc genere tenere debet : quoniam partitionem illam exordiorum , qua monemur , ut in causa turpi per insinuationem benevolentiam captemus ; in dubia , tacita turpitudinis parte , ab ea quae honesta esse videtur , exordiamur ; in humili , attentos auditores reddamus ; in honesta , aperto utamur principio , contemnendam esse duco. Quoniam in res sacras

Bbbb

&

& divinas raro, aut certe numquam, huiusmodi incidet partitio. Quod si aliquando contingat concionatori dicere apud haereticos, aut apud eos homines, qui nondum Christo nomen dederunt, tum occulte, & velut per insidias in eorum animos sensim oportebit seipsum insinuare. Quare in eam sententiam saepe adduci soleo, nullum praeceptum traditum esse a magistris eloquentiae, quod rebus etiam Divinis & Ecclesiasticis usui esse aliquando non possit. Sed quum auditorum corona ex viris Christianis & honestis constiterit, nullo exordiorum artificio ad captandam benevolentiam opus est, quum ultro ipsi ad audiendum verbum Dei convenerint. Porro *exordia* erunt in hoc genere libera, & nullis locorum adstricta praeceptis: quoniam undecumque peti possunt, modo exordii finis cum principio thematis, aut rei de qua agitur, cohaereat. Non equidem gravabor unum aut alterum *exordium* ex veteribus illis eloquentissimisque viris hoc in loco praescribere, quae concionatoribus ad bene recteque exordiendum exemplo esse possint. Divus enim Gregorius Homilia XXXIV. in hunc modum exordium constituit: „ Aestivum tem-

„ pus, quod corpori meo valde contrarium est,
 „ loqui me de expositione Evangelii longa mora in-
 „ terveniente prohibuit: sed numquid quia lingua
 „ tacuit, ardere caritas cessavit? Hoc enim dico,
 „ quod

„ quod apud se vestrum unusquisque recognoscit:
 „ plerumque caritas quibusdam occupationibus prae-
 „ pedita, & intus flagrat in corde, & tamen non
 „ monstratur in opere: quia & sol quum nube te-
 „ gitur, non videtur in terra, & tamen ardet in
 „ caelo. Sicsic esse occupata caritas solet, & in-
 „ tus vim sui ardoris exerit, & foris flammam operis
 „ non ostendit. Sed quia nunc ad loquendum tempus
 „ rediit vestra me studia accendunt, ut mihi tanto
 „ amplius loqui libeat, quanto hoc vestrae mentes
 „ desiderabilius expectant. “ Hoc sanctissimi elo-
 quentissimique viri *exordium* omnibus rhetoricae ar-
 tis numeris est absolutum: nam a *temporis* aetivi
circumstantia desumpta est prima propositio, qua au-
 ditorum benevolentiam sibi conciliat: quoniam ne-
 que otio, neque inertia ab officio concionandi ces-
 sarit, sed metu potius incidendi in morbum pro-
 pter aestivos calores. Huic continuo *adversativam*
 adiunxit, quam eleganti *simili* comprobavit, se ta-
 men eo vehementius (inquit) concionandi deside-
 rio ardere, quo sibi minus pateret aditus ad lo-
 quendum. Probat a *simili*. Quia sol quum nube te-
 gitur, non videtur in terra, tamen ardet in caelo.
 Deinde propositionem ponit, quam uno *enthymemate*
 confirmat, & exordium concludit: nam au-
 ditorum studio & desiderio se ad dicendum accen-
 di & inflammari dicet atque eo quidem magis quan-

to avidiusse expectari ab omnibus intelligit. Rursus Homilia XXI. & XXII. omni arte consummata conficit exordia, quae ab stomachi imbecillitate desumsit, quoniam eo tempore cacostomachus esset. Sed ne omnia ab uno D. Gregorio petere videar, alterum adferam perfecti absolutique *exordii* exemplum, ex D. Leone Papa huius nominis I. qui ex eloquentiae laude ad ipsum Ciceronem paene adspiravit. Sic enim habet Sermone VII. *De Passione Domini*: „ Scio quidem, dilectissimi, Paschale festum tam sublimis esse mysterii, ut non „ solum humilitatis meae tenuissimum sensum, sed „ etiam magnorum ingeniorum superet facultatem: „ sed non ita mihi divini operis consideranda est „ magnitudo, ut vel diffidam, vel erubescam de servitute quam debeo, quum sacramentum salutis humanae non liceat tacere, etiamsi nequeat explicari. Auxiliantibus autem orationibus vestris „ adfuturam credimus gratiam Dei, quae inspirationis suae rore sterilitatem nostri cordis abstergat, ut „ linguae pastoralis officio, quae sancti gregis auribus „ sint utilia, proferantur. Dicente enim Domino bonorum omnium largitore, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*; audemus eidem verbis propheticis „ dicere: *Domine labia mea aperies, & os meum „ annuntiabit laudem tuam.* “ Hoc *exordium* quatuor propositionibus terminatur, quibus & benevolos &

do.

dociles, & attentos auditores reddit. *Benevolos* auditores efficit, quum tantopere se deiicit, & ingressi sui vires minuit & elevat: *dociles & attentos* reddit, quum se de tam sublimi mysterio, quantum Paschale festum adferre videtur, dicturum divino fructus auxilio pollicetur. Primae propositioni, quae ex loco *benevolentiae* adrepta est, opponitur *adversativa*, quae uno constituitur *enthymemate*: ob id tacenda inquit esse divina mysteria, quoniam ad unguem explicari nequeunt. Id vero altero confirmatur *enthymemate*, quia non humanis viribus divina mysteria aggredienda sunt, sed ope potius divina, quam populi orationibus impetrari oportet. Concludit postremo *exordium* Dei Optimi Maximi in promissione, qui dixit, *aperi os tuum, & ego adimplebo illud*: qua quidem fiducia animos sibi addicendum facit. Ad hanc formam licebat mihi adferre, quamplurima *exordia* ex sanctorum Patrum homiliis & concionibus accepta: sed non est animus pluribus exemplis auditores onerare, quos taedio ac labore legendi aliena cupio exonerare. Illud tamen admonere necessarium esse duco, *exordio* interdum supersedendum esse. nam D. Chrysostomus & ceteri humanae divinaeque eloquentiae principes, brevi propositione contenti, qua auditoribus docilitatem faciunt, & ad dicendum viam muniant, concionem aggrediuntur.

CAP.

CAP. VI.

De propositione & narratione.

Absoluto concionis exordio, quod a quibusdam invocationi praeponitur, a quibusdam vero subiicitur, *propositio* euestigio collocanda est, quae universum propositi *thematis* aut totius concionis argumentum, aut vim & rationem complectatur. Haec si in partes distributa fuerit, *divisio* vocari solet, quae in nulla quidem concione ab oratore omitti potest. Narratio autem, nisi aliquod argumentum propositum fuerit, quod longiore expositione indigeat, aut auditorum intersit, plenius & cumulatius nonnulla cognoscere earum rerum, quae vocantur in controversiam, prope semper praeteriri solet: nisi historicam & litteralem Evangelii expositionem haud immerito fortassis narrationem appellare cuiquam libuerit: quoniam Christi Jesu, humani generis Servatoris, rerum gestarum & doctrinae explicatio sit. Hanc autem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest venere & gratia ornandam putat Fabius Quintilianus. Nam praeterquam quod brevis, dilucida & probabilis esse debet, evidentem & moratam vult esse Cicero: in qua omnia dicantur cum dignitate. Zeno sensu quo-

quodam tineta narrationis verba & expressa omnino expetit. omnes denique rhetores, quorum de ratione dicendi commentarios mihi evolvere licuit, *narrationem* volunt esse iucundam, variam, & quae mutationibus animum levet purissimi atque culti sermonis: nam caret ceteris lenociniis, & nisi hac una re commendetur, iaceat necesse est. Huius quidem *brevitas* in hoc ponitur, non ut minus, sed ne plus dicatur, quam oporteat. *Claritas* in verborum proprietate, & recta collocatione consistit: *probabilitas* ex rerum consensu, & argumentorum fide dependet. Illud alterum est, de quo a concionatoribus saepe quaeri video, quo nimirum in loco, quum de divinis aut viris sanctis concio instituitur, eorum historias commodius narrari oporteat. Ego vero quantum ex arte dicendi consequi possum, post explicatam *thesim*, hoc est, quaestionem generalem, huiusmodi narrationibus idoneum locum designarem. Quoniam sanctorum historias ad quaestionem finitam, quae post infinitam illam & generalem tractari solet, plane pertinere constat. Id praeterea huiusmodi historiae explicatione agit concionator, ut ostendat, quomodo vir ille sanctus ad Evangelii regulam vitam suam instituerit. Vnde Evangelii expositio praecedat prius necesse est, quam aut cuiusquam divi aut viri sancti historia populo enarretur. Neque ab hoc insti-

tu-

tuto, dicendique artificio, dissident quamplurimae narrationes, quas Cicero Actionibus contra Verrem cum admiratione etiam ipsius eloquentiae inseruit.

CAP. VII.

De confirmatione & confutatione.

TOTA spes vincendi, ratioque persuadendi, posita est (auctore Cornificio) in *confirmatione* & *confutatione*: nam quum adiumenta nostrae causae exposuerimus, contrariaque dissolverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. Vtrumque igitur facere poterimus, si constitutionem causae cognoverimus: quae quamvis de causis forensibus a Cornificio dicta sint, a concionandi etiam munere non sic disiuncta esse ducimus, ut non maxime necessaria concionatori esse arbitremur. Quin hoc unum, si cetera desint concionatori, cum primis ab eo exigendum est, ut causam suam modis omnibus ac locis confirmet, quos ex Divinarum Scripturarum thesauro ad obtinendam victoriam proferet. Ethnici autem oratores causarum status confirmabant, quoniam his omnibus controversia forensis & negotia civilia continerentur: eratque eo de nomine apud rethores prolixa & nimis elaborata de *statibus* commentatio, ne in eo quod

ca-

caput causae, totiusque controversiae robur & fundamentum esset, aliquid desideraretur, quod oratorem fugeret. Concionatoribus vero multo quidem expeditior est via, quam ut his quaestionum salebris, & statuum locis impeditis & confragosis tantisper retardari queant quominus in Divinarum Scripturarum campo libere vagari possint. *Themata* enim, quae Cicero *proposita* Latine reddit, concionis initio proponuntur, quae universam argumenti vim, de quo tota futura concio est, complectantur. Haec aut simplicia aut coniuncta sunt. *Simplicia* *themata* vocantur *loci communes*, quos saepissime divite vena, & pleniore quodam canali tractat concionator: quod in his scilicet ingens rerum silva lateat. Neque est quidquam aliud, quod uberius conciones locupletet atque exornet, quam *loci communes*: cuiusmodi sunt *themata* de *ieiunio*, *oratione*, *eleemosyna*, & huius generis quamplurima, quae in infinita paene sunt varietate constituta. *Coniuncta* vero *themata* sunt, ut, *Quum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae, qui exterminant facies suas: aut illud, oportet orare semper, & numquam deficere*. Illud item, *quum facis eleemosynam, noli tuba canere*. Ad haec confirmanda ex Divinis litteris depromenda sunt argumenta, quae non ad dialecticorum morem breviter ac subtiliter, sed ad copiam rethorum formari debent. Nam licet illa verborum

Cccc

ca-

cavillatrix dialectica valet in sermone tantum, ut constrictum in vinculis suis habeat eum, qui responsurus est, & vel tacere, vel etiam invitum id, quod sit contra, cogat fateri: non eadem est tamen in caussis, & popularibus concionibus utilitas. Persuadendi enim sunt auditores, qui etiamsi verbis devincti sint, tamen nisi ipsis rebus accesserint, taciti dissentient. in rebus rursus definiendis, illam ex consuetudine philosophorum ductam servitute concionator fugiet: est enim servitus ad certa se verba adstringendi, idque faciendum in libris Ciceronis de Oratore vetat M. Antonius: latiore enim varioque tractatu definiuntur res, ut facit Cicerone, ut omnes oratores plerumque fecerunt. Hoc loco mihi fuerat dicendum de inventione Theologica, ex qua promuntur rationes & argumenta ad constituendas & confirmandas sacras conciones: verum quia D. Augustinus huius rei disputationem tribus libris de *Doctrina Christiana* complexus est, pudoris mei erit nullum de locis Theologicis verbum facere. Quaedam tamen huius generis, quum de disponenda materia concionali commentationem instituero, breviter perstringam: magis quidem ut illa ex rhetoris officio, quam ex Theologi munere proficisci videantur.

CAP.

CAP. VIII.

De materia concionatoris.

*M*ateria concionatoris, sicuti ex Iesu-Christi Servatoris nostri praecepto accepimus (*Ite, scilicet, in universum mundum, & praedicate Evangelium omni creaturae*) est ipsiusmet Domini ac magistri vitae sacrosanctum Evangelium: cuius absolutae perfectaeque muneris functioni non Theologiae modo totiusque antiquitatis est habenda cognitio, sed plurimarum maximarumque disciplinarum atque artium scientia est apprime necessaria. Nam si ethnico saecularique oratori materia nullis circumscripta terminis proposita erat, sed fusa illa quidem, & tam late longeque patens, quantum intra totius orbis fines pro multitudine rerum ac negotiorum parens natura vagatur; quanto, obsecro, aequius erit, ut concionatori pro muneris maiestate & incomparabili gloria *cyclopaediam* tribuamus? Cuius officium est, non de luminibus aut stillicidiis, huiusmodique negotiis civilibus causas orare: sed de his rebus omnibus posse dicere, quae ad animarum salutem, hominumque mores Divinis legibus & Christianis institutis informandos constitutae sunt. Quod si quisquam mihi obiecerit, numquam veteres

Cccc 2

res

res oratores extra caussas civiles versatos fuisse ; neque ampliorem materiam ab Aristotele , Hermogene , Cornificio , & quamplurimis aliis cum Graecis , tum Latinis auctoribus , quam civilia negotia illis dari , hoc est , res omnes , de quibus in republica quaereretur : non equidem negaverim de civilibus solum quaestionibus dicere , oratoris solum esse forensis & caussidici : nam Cicero & Fabius Quintilianus quamvis aliud disputarint , non aliud tamen docuerunt. Perfecto tamen oratori & omnibus numeris absoluto , quem animo solum concepit Cicero , non usque adeo anguste & arcte Rhetoricae fines contrahi debent , ut non de rebus omnibus ornate , copiose & scienter dicere possit. Quo certe fit , ut multis magnisque instructum artibus eum esse oporteat , qui in tam lato spatiosoque campo versari debeat. Haud dissimile sane de concionatore iudicium a nobis faciendum est , quem de qualibet re apte & ornate posse dicere volumus , etsi numquam aliud , quam Evangelicas & Ecclesiasticas quaestiones per omnem vitae suae curriculum tractet. Tanti enim muneris amplitudini atque excellentiae , quanta est sacrosancti Evangelii praedicatio , non solum splendide ornateque dicendi laudem per se amplissimam tribuimus , sed reliquarum omnium artium cumulum prope immensum illius iurisdictioni subijcimus. Quod sane

quum

quum veteres illi Theologi probe nossent , humaniores disciplinas a concionatoris instituto minime abhorrere putarunt. Quin sic potius omni studio in Poesim & Philosophiam & artem oratoriam incubuerunt , ut Sacris etiam litteris admiscere non dubitarent. Cuius sane rei locuples testis est D. Hieronymus , qui rogatus a Magno oratore Romano , quem Ruffinus subornarat , cur libris Ecclesiasticis admisceret litteras ethnicorum , & sacra profanis contaminaret , epistolam de hoc argumento pari quidem elegantia & doctrina ornatam conscripsit , qua Magno rationem reddit , & ostendit quatenus id liceat , & quorum exemplo id faciat. Nec mihi quidem opus fuerit plures citare auctores contra vituperatores ethnicorum litteraturae , quum ex hoc uno disciplinarum & antiquitatis uberrimo fonte D. Augustini promanarint libri *De civitate Dei* , & Tertulliani *Apologeticus* , & Lactantii Firmiani *Divinae illae institutiones* , libri insuper eiusdem auctoris de *Ira & Opificio* , quos dialogorum Ciceronis epitomen D. Hieronymus vocat. Quod si in huius quaestionis confirmationem mihi visum esset Graecos auctores adhibere , totam Graeciam a suis sedibus excitarem , ut infinita paene innumerabilisque illustrium vitorum turba nobis praesto adesset , qui quum Christianae religionis firmissima propugnacula essent , cum Christi

sti

sti Servatoris nostri caelesti divinaque Philosophia poetarum pulchras sententias, historicorum ex ultima antiquitate repetitas historias, philosophorum paradoxa admirabilesque opiniones, oratorum omnem civilem institutionem & humanitatem suis scriptis inserere non dubitarunt. Quare facilius dabitur venia indiserto concionatori, quam indocto, si D. Hieronymo ad Nepotianum scribenti credimus. „ Docente (inquit) te in Ecclesia, non clamor „ populi, sed gemitus suscitetur, lacrimae auditorum laudes tuae sint, sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum: verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. „ Attrita fons interpretatur saepe quod nescit, & quum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae quidquid non intelligit, plus miratur. “ Haec D. Hieronymus de imperitis concionatoribus non minus docte quam eleganter scripsit. quae quum Ciceronis testimonio tueri vellet, orationem pro Quinto Gallo citat, in qua summus ille orator de favore vulgi, & indoctis concio-

cionatoribus loquitur. Sed oratio illa temporis iniuria cum aliis non paucis in eloquentiae iacturam inaestimabilem interiit. Cum D. Hieronymo mirum in modum consentit D. Augustinus IV. libro *De doctrina Christiana*, qui concionatorem, quem instituit, non solum dicendi facultate disertum, sed in omni doctrinarum genere versatum esse cupit: quod si utrumque praestare non poterit, satius esse existimat orationis copiam linguaeque divitias in eo desiderare, quam doctrinae eruditionisque suppellectilem requirere. „ Nam Divinis litteris (inquit) non est proditum, multitudo eloquentium, „ sed multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. “ Qui plura desiderat ex D. Augustino IV. libro *De doctrina Christiana* cognoscat.

CAP. IX.

De proponenda materia.

Ventum est ad eam partem, in qua concionatores aliud in alio peccare solent, nescientes omnino concionum *materiam* proponere: quod ut est difficillimum, ita sane nihil est in tota concionandi ratione, quod maiore studio debeat a concionatoribus comparari. Siquidem omnis propemodum concionis constitutio in hoc uno consistit, ut uni-

ver-

versa concio uno *sylogismo* comprehensa , in eius partes distribuatur , quae euestigio per ordinem ad extremum usque pertractentur. Atque ut hoc totum , de quo a nobis disserendum est , pateat latius , quatuor modos proponendi concionis materiam explicabo : quos ad Ciceronis veterumque imitationem plane aperteque referam ; ne nostrum inventum esse putent concionatores , quod Ciceronis fuit ; mihi pro eo gratias agant , quod uni est eloquentiae principi M. Tullio referendum acceptum. Cicero igitur hoc in more positum habuit , ut singulas orationes plena ratiocinatione complecteretur : cuius maior propositio *thesis* esset aut *locus communis* , adsumptio vero , sive minor propositio esset *hypothesis* , causamque constitueret. Ad hunc enim modum nobilem illam pro Milone orationem constituit , quae hoc *sylogismo* continetur : *Omnis insidiator iure occiditur : Clodius fuit insidiator : ergo Clodius iure occisus est.* Huius *sylogismi* singulae propositiones fusius & latius demonstrantur , totaque in his probandis oratio consumitur. Sed quia orationis copia & ubertate obruuntur , non statim ab auditoribus deprehenduntur : quod quidem summae artis est , nam si ars pateret , ars non esset. Orationes rursus pro Plancio , pro Caelio , pro lege Manilia , hac methodo sunt constitutae , ut singulae in plenam & perfectam ratiocinationem sint

con-

coniectae. Atque ut ceteras brevitatis studio praetermittam , id in una pro lege Manilia oratione ostendam , in qua quidem duplex a Cicerone tractatur *quaestio* : altera , *an bellum sit suscipiendum contra regem Mithridatem* : altera , *an Pompeius ad gerendum id bellum imperator constituatur.* Has igitur quaestiones his *sylogismis* constrinxit Cicero : *Omne bellum est suscipiendum , in quo agitur dignitas populi Romani : hoc bellum est , in quo agitur dignitas populi Romani : hoc ergo bellum est suscipiendum.* Rursus : *Quisquis praecipue habet quatuor illa , virtutem , scientiam rei militaris , auctoritatem , felicitatem , maxime est ad hoc bellum deligendus : Gn. Pompeius praecipue habet quatuor illa : ergo est ad hoc bellum maxime deligendus imperator.* Hoc in loco mihi etiam atque etiam est admonendus concionator , ut praesenti animo consideret , *locos communes* nihil aliud esse , quam maiorum ratiocinationum propositiones : ut , quae in proditorem , in veneficum , in adulterum , in sicarium dicuntur. Quum enim volumus ostendere Clodium damnandum , ostendimus insidiatorem eum esse : quod ubi explicatum est , quid restat aliud , quod ratiocinationi desit , nisi maior , *veneficus est damnandus* ? Hoc autem , ne quem fallat , adnotandum videtur , universaliter pronuntiata , qualia sunt , quae maiorem ratiocinationis propositionem faciunt , supina saepe

Dddd

vi-

videri & otiosa, & distantia magis a re proposita: idcirco solere oratores, quo rectius rebus adhaereant, in particularia in dicendo convertere: & quum dicendum esset: *Omne bellum est suscipiendum, in quo agitur salus sociorum: & Omnis insidiator iure occiditur*, ut instare magis premereque videantur, dicere malunt: *Hoc bellum est suscipiendum, quia agitur in eo salus sociorum; & Hic insidiator est iure occisus*. In quo & hoc ingeniosissimi homines sequuntur, quod universalia velut late sparsa, sint animo audientis tamquam in aere, interque nubes apprehendenda. Quum vero ad rem praesentem adstricta, & ante oculos interque manus sunt posita, movendis adfectibus aptiora sunt, qui solum in audientium dominantur animis. Atque ut in pauca conferam, quae multis fortasse verbis sunt a me explicata, haec Ciceronis methodus in constituenda caussa proponendaque materia erit in memoria habenda, quoties disponendae concionis cogitatio oratoris animum subierit. Methodus autem Ciceronis haec est in plerisque orationibus, uno ut sit oratio syllogismo comprehensa: cuius *propositio maior sit thesis*, sive locus communis: *minor propositio*, quae *adsumptio* dicitur, sit *hypothesis*. Ab hypothesis saepissime Cicero inchoat probationem: deinde avocat disputationem ad quaestionem generis, id est, ad thesim, ut hypothesis sit

sit non solum adiumento, sed etiam ornamento. Pertractata thesi, continuo ad caussam, sive hypothesis redit: atque intra has duas syllogismi propositiones tota Ciceronis vagatur oratio. Ad hunc modum in proponenda materia se pro viribus comparabit Christianus orator, ut in plenam ratiocinationem suam conferat thema: quod non re, sed cogitatione quidem faciet. Vt si proponat huiusmodi thema: *Quum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae, exterminant enim facies suas, ut ieiunare videantur ab hominibus*. Sic mente ac cogitatione propositum thema complectetur: Omnes, qui quum ieiunant, exterminant facies suas, ut ab omnibus ieiunare videantur, sunt hypocritae: vos, auditores, exterminatis facies vestras quum ieiunatis: estis ergo hypocritae. Huius syllogismi maior propositio suppeditat concionatori locum communem de *hypocrisi*. Adsumptio vocatur in controversiam, *an auditores sint hypocritae*: haec enim caussam continet, quam quidem vulgus & circumfusa hominum corona, hoc est, auditores ipsi constituunt: nam quod in foro facit adversarius, id praestat in concione tacita vulgi dissentientis opinio: auditores igitur pro reo erunt habendi, in quos tota comparabitur concio. Hoc unum a me adductum thema multorum instar esse potest: nam nullum fere thema compositum proponetur, quod in syllogis-

smi formam reduci non queat. Quod si haec ratio proponendi thematis concionatori minime placuerit, facilioremque viam quaesiverit, Fabii Quintilianii modum alterum proponendi declamatorii thematis sequatur: cui quidem moris fuit themata proponere multis notata atque involuta circumstantiis: quoniam ex argumenti sive thematis circumstantiis confirmationis rationes ducuntur. Hanc sane methodum D. Hieronymus in ea epistola sequutus est, quam *De vitando suspecto contubernio* more declamatorio conscripsit. Ipse enim argumentum narrat quamplurimis obsessum stipatumque circumstantiis. Refert enim virginem quamdam aetate florentem, forma itidem egregia atque venusta, cui frater esset monachus, a matre vidua discessisse, atque in domesticum contubernium monachi cuiusdam iuvenis & formosuli, nulla propinquitate coniuncti, commigrasse: cum hoc quam familiarissime vivere, nec aliud incusare, quam maternorum morum difficultatem. Cognatos suspectum convictum graviter ferre, fratrem in primis: neque tamen adduci puellam, ut cum matre redeat in gratiam: fratrem contentum ordine rem omnem Hieronymo denarrasse. Huic sane argumento, si licet vera & sacra cum fictis & profanis argumentis in arte rationeque dicendi ulla ex parte comparare (neque enim aliud hoc toto opere agimus, quam ut ad

ve-

veterem dicendi morem, quantum fas aequumque sit, munus concionandi referamus) haud multum dissimiles mihi esse videntur Evangelicae narrationes de muliere Cananea, de filio prodigo, de homine qui inciderat in latrones, de Lazaro mendico, & divite epulone, de Lazaro ad vitam revocato, atque de aliis quamplurimis. quae tot tantisque sunt implicatae circumstantiis, ut ex his argumentis lepidas ac perinde pias comoedias quidam nostris temporibus facere non vererentur. Quod ego equidem probare numquam potui, ut argumenta Evangelica divinis mysteriis referta, in scenam ab histrionibus producerentur: altior est enim sacrosancti Evangelii maiestas, sacrarumque litterarum omni animi demissione veneranda dignitas, quam ut coram patribus & orchestra a pantomimis saltari debeant. Circumstantiae tamen personarum, locorum & negotiorum, quibus eiusmodi Evangelicae historiae undique obsiderentur, ansam poetis suppeditarunt, ut ex sacris rebus Christianas ac populares facerent comoedias. Sed priusquam longius progrediar, illud mihi adnotandum esse videtur, inter circumstantias referri etiam a praeceptoribus eloquentiae rerum & personarum attributa: sunt enim personarum *attributa* genus, natio, patria, sexus, aetas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, studia, an-

te

te acta, aut dicta, nomen. *Attributa* rerum sunt, caussae, locus, tempus, casus, facultas, instrumenta, agendi modus. Ab his ergo personarum rerumque attributis iucundus spatiosusque campus patet oratoribus & ad susceptam caussam confirmandam, & ad miris etiam modis amplificandam. Quocirca in omni negotio accurate inspicienda sunt singula attributa, unde argumentorum ingens copia concionatori suppetere queat. Nam ut id in muliere Cananea investigemus, nonne infinitam pae-ne dicendi materiam concionatori subministravit, qui sic proposuit? Eam mulierem esse Cananeam, Syrophoenissam, cui filia esset a daemonibus obsessa, egressam deinde a finibus Tyri & Sidonis, Iesu-Christi Servatoris fama commotam, clamare deinde post Iesum, quae iussa ab Apostolis propter importunitatem tacere, multo magis clamaret. Ad hanc igitur imaginem licebit concionatori, quamplurima ex sacris Litteris themata cum circumstantiis proponere, quae secundam & amplam dicendi materiam suppeditent: quod genus sit: *Oportet semper orare, & numquam deficere*. Ex huius enim thematis circumstantiis oriuntur quaestiones, an omni tempore sit orandum? an sine intermissione, an in omni loco, an publice & coram arbitris? Quod ego in uno themate ostendi, in multis concionator experiri poterit: atque ut paucis multa

com-

complectar, illud in perpetuum concionatoribus praecipendum esse existimavi, ut singula verba thematis explorent & diligenter excutiant: nam ex eis & quaestiones oriuntur, & rationes itidem, quibus quaestiones confirmentur. Fusius quidem ac latius hunc secundum modum proponendi thematis persequer, nisi haec Theologis scriberem, quibus satis fuerit rem breviter significasse. Accidit autem, ut eiusmodi themata suscipiantur a concionatore, quae neque syllogismo comprehendi, neque argumento undique circumstantiis notato adligari possint, quale illud est: *Vos estis sal terrae: Vos estis lux mundi*. Et id genus non parum multa: quae per similitudines his accommodantur, qui Ecclesiae praefecturas habent: cuiusmodi sunt Episcopi & Doctores Theologi, qui concionandi muneri praesunt. Unde tertius modus proponendi themata iure constituendus est, qui ad *statum comparativum* aliqua ex parte referri queat: nam omnino referri non potest, quoniam hoc interest inter *comparationem* & *simile*, quod res comparatae in quodam tertio conveniunt, res similes non item: sed quemadmodum hoc se habet in hoc, ita illud in illo. Notum enim est illud Fabii Quintilianii simile de vasculis oris angusti, quae superfusam humoris copiam respuunt, si sensim tamen instilles, implentur: quibus simile esse dixit, puerorum ingenium, quod non statim a prin-

principio multitudine praeceptorum obruendum est, sed pro captu & aetate artis praecepta erunt illi instillanda. Ad hanc imaginem tractabit concionator themata, quae similitudines continent: nam conferet proprietates thematis cum munere & officio eorum, ad quos Servatoris nostri sermo pertinere videtur. Singulas enim *salis* proprietates, cuiusmodi sunt, adstringere, saporem esculentis tribuere, vindicare a corruptione, Episcopis & concionatoribus accommodabit: ut, quemadmodum haec sunt salis propria, ita vitae austeritas, virtutis exemplum, & divinae Philosophiae praedictio, & alia his similia, Episcopis & Theologis non modo sunt munera aptissima, sed prope interna, & cum officio concionandi maxime coniuncta. Totam itaque concio ex locis communibus de *sale* & *luce*, per similitudines earum rerum metaphoricās cum munere Theologorum & officio Ecclesiae praefectorum instituitur. Praeter hos tres modos, quibus materia concionalis & proponi & disponi etiam ex arte oratoria debet, quartus addi non iniuria potest, liber ille tamen ac solutus omnino: quales sunt modi, quibus loci communes populariter disputantur, in quos saepissime concionator incurrit: ut de fide, spe, caritate, & de aliis quamplurimis, qui latissime per sacra volumina sparguntur. Hos in primis & maxime compertos, & in numero ha-

be-

bere debet concionator: ut si angustia temporis & negotia cogant, ex tempore dicere queat. Atqui incredibili studio & colligendi & pertractandi *locos communes* Theologicos veteres illi Patres floruerunt: quos partim ad refellendos ethnicorum errores, partim ad confutandos haereticos, in promptu & velut ad manum habuerunt. Nam primus omnium (ut ex historia Ecclesiastica & D. Hieronymo accepimus) Clemens Alexandrinus hanc unam & singularem illam quidem laudem promeruit: qui in schola Alexandrina, quam D. Marcus Apostolus instituisse dicitur, *locos* quosdam *Theologicos* iaculatoria disputatione pertractare coepit. Hunc deinde plerique viri & sanctitate & doctrina excellentes sequuti sunt, qui has scholas & disputationes habuerunt: quas D. Augustinus mirum in modum auxit, locupletavit, & ad summum caelestis divinaeque Philosophiae fastigium perduxit. Plurimum etiam iuuit haec Theologica studia Ioan. Damascenus, cuius doctrinam acutissime complexus Petrus Lombardus, in locos itidem communes digessit. Proposito igitur loco communi Theologico, eius loci doctrina erit docte cum primis ornateque pertractanda. nam ante omnia, de philosophorum more sunt breviter perstringenda argumenta: deinde ex instituto Ciceronis licebit vagari. Ceterum vis omnis loci communis erit statim

Eccc

tim

tim a principio in quasdam propositiones conferenda, quae totam eius loci imaginem non adumbrent modo, sed doctrinam etiam contineant. Vt si concionator constituerit tractare locum communem de *hypocrisi*, has continuo propositiones proponet: Hypocritas omnia sui commodi gratia facere, haereditatum esse captatores: solitos esse deinde orare prolixius in locis publicis, quo pietatis specie facilius viduas captent: nihil frequentius eos inculcare, quam caritatem, quum longissime tamen ab ea absint: nihil serio, sed omnia fecte atque simulate facere. Vbi vero huiusmodi propositiones, quae totius loci communis vim & naturam complectuntur, coram auditoribus concionator proposuerit, singulas, velut totius concionis capita, persequetur: quas divinis testimoniis, figuris, allegoriis, similibus, & exemplis locupletabit. Id est enim quod Cicero dixit, *ubi rei naturam argumentis explicaveris, tum licebit vagari*. Nam vellem vagari, atque per Divinarum Scripturarum amoenissima loca volitare, non explicata natura rei, hominis est intemperanter otio & litteris abutentis. Atque ne uno contenti videamur esse exemplo, alterum proponamus, ut cum novis concionatoribus studium nostrum & industriam benigne communicemus. Proponat concionator hoc thema, *Fugiendum esse modis omnibus peccatum mortale*. Quoniam

niam

niam nihil magis in votis habet, quam ostensa foeditate peccati, deterrere homines a peccando, prima illi cura esse debet, ubi sic thema constituerit, ut pronuntiata quaedam, quae sint velut indices huius thesis, proferat in publicum, quibus loci communis tota vis & ratio a principio constant. Dicit enim peccatum displicere Deo, & placere daemioni: & qui peccat Deo iniuriam facere: porro ingratum esse in Deum, qui ea peccata rursus admittit, quae Christus suo sanguine expiavit: eum insuper, qui erat Dei filius, per peccatum servum effici diaboli: non esse in hominis potestate se a peccato absolvere, nec facile expiari admissum scelus. Mox dicit, quantum homo ex peccato detrimentum capiat, & quam graves sint flagitiis divina severitate poenae constitutae. Singulae propositiones pro thesibus haberi possunt: verum concionator praestantiores seliget, quas coram populo expresso nostro declamabit. Id nimirum praestabit, si prius longe lateque explicaverit ipsius naturam rei, qualis & quanta sit: deinde si a disputandi subtilitate orationem ad exempla traduxerit. Illud porro silentio praetereundum non est, esse quasdam propositiones *subsidiarias*, quae propositionem principalem iuvant, in cuius subsidium a rhetoribus accersiri solent: cuiusmodi illa Cicero- nis est in oratione pro Milone: *Quamvis Clodius in-*

Eccc 2

si-

sidiator non esset, e republica tamen fuit, hominem seditiosum e medio tolli. Haec illi principali auxilio fuit, iure occisum esse Clodium insidiatorem. Ex harum quoque numero mihi illae propositiones esse videntur, quae ad principem quaestionem viam muniunt. Quod quidem Ciceronis exemplo tam est omnibus doctis perspicuum, quam & admirabile & prope divinum. Nam quum in quinque Tusculanarum quaestionum libris id solum, quantum mihi videtur, efficere voluisset, solam ad bene beateque vivendum sufficere virtutem: videbat plurimum ad id docendum adiumenti sibi collaturum, si docuisset animorum immortalitatem. Quia tamen id difficile probatu videbat, subiecit homo ingeniosissimus in locum eius, id quod proximum erat, nihil mali esse in morte: ex quo, velut ex cursu quodam, delatus est, ut tentaret efficere, quod praecipue cupiebat, non interire animos. Quod iam si minus posset obtinere, ne nihil tamen egisset, id pervincebat utique, malum non esse in morte. Hinc iam tribus libris subdidit, non cadere dolorem in sapientem: quae quum probata sunt, quis non videt facillime permanere ad probandum, si mors non est malum, si reliqua, quae mala putantur, non cadunt in sapientem, ei, cui haec mala non sunt, virtutem summum esse bonum. Quatuor ergo quaestiones Cicero in disputationem atque contro-

troversiam prius vocavit, auxilio ut essent illi primariae quaestioni, solam virtutem sufficere ad bene beateque vivendum, quam ad eam pertractandam accederet. Quod enim de propositionibus dixi, hoc ipsum de quaestionibus dictum volo: nam parum refert, propositiones, an quaestiones appelles, modo intelligas, esse auxiliares & adiuvantes: quae interdum antecedunt quaestionem principalem, interdum vero sequuntur. Hanc methodum in formandis sacris concionibus & in proponenda materia in genere didascalico, in propositionibus etiam principalibus & subsidiariis deducendis, ex Ciceronis instituto sequetur concionator. Ad cumulum autem huius disputationis illud nobis unum restare videtur, ut breviter ostendamus, quomodo quaestiones Theologicae ex Evangelio, & Beati Paulli epistolis deductae, & proponi ex arte debeant, & rite probari possint. Triplex igitur est omnis, quae de Deo, divinisque rebus ponitur quaestio. An sit? quid sit, & quale sit. An sit, ut illa, quam Beatus Paullus tractat: Sitne resurrectio mortuorum? Quid sit, ut illa Pilati: quid est veritas? & illa Beati Iacobi, quae est vita vestra? Quale sit, ut ea quam D. Paullus tractat: Venitne Antichristus? Quartum genus quaestionum addi recte potest, quod illi, an sit, Cicero subiicit, quae causa rei sit. Cuius generis illa est Christi: Baptismus Ioannis de caelo

lo est, an ab hominibus? Primum genus quaestionis mihi simplex videtur, quum quaeritur: *An res sit in rerum natura: ut sintne in caelo nuptiae? Si sit resurrectio? quae fuit quaestio Saducaeorum: & sitne in caelo fides?* quam Paullus tractat. Secundo autem generi subiicitur tum definitio, ut quum quaeritur, *Quid sit homo? quid veritas? quid religio munda?* tum descriptio, ut si quaeratur, id quod quaerit Beatus Iacobus, *quae est vita vestra?* & illud, quod idem tractat, *qualis sit sapientia caelestis?* Tum *proprietates, sitne soli Deo honor habendus? Solumne sit fidei, Iustum hominem facere?* Tum *partitio & divisio, ut sintne tantum tres in caelo? Sintne septem Sacramenta?* Tertium genus duas habet partes, nam & simpliciter *qualis res sit*, quaeritur: ut, *An omnis, qui natus est ex Deo, non peccet? An qui odit fratrem, in tenebris ambulet?* & compare: *Vter maior sit, isne qui loquitur linguis, an qui prophetat?* & illa quam idem tractat: *quae maxima virtus? fides, spes? an caritas?* Illius etiam quarti generis, quo cuiusque causa quaeritur, partes duae sunt. Vna, qua rei origo investigatur, ut quum quaeritur, *an lex iustificet? an opera nostra iustificent?* Altera, qua rei interitus: ut quum quaeritur, *an littera occidat?* Atque haec quidem quaestionum Theologicarum divisio & planior est, & ad vulgi sensum accomodatior: illa autem dif-

difficilior & doctis dignior videtur, ut dicamus, omnem talem quaestionem aut generis esse, aut definitionis, aut proprietatis, aut accidentis. *Generis:* ut quum quaeritur, *Sitne matrimonium Sacramentum? Definitionis:* ut, *Sitne fides fundamentum earum rerum, quae expectantur, & earum quae non videntur argumentum?* *Proprii:* ut, *Sitne solius fidei iustificare? Sitne solius sacerdotis ministrare Sacramenta?* *Accidentis:* *An opera nostra iustificent? An sacerdotium Melchisedechi Levitico sit anteponendum.* Haec autem quaestiones Theologicae his modis propositae, fusius ac latius explicari debent, ductae per omnes topicos Theologicos, partim insitos, partim adsumtos: quos Ioachimius Perionius duobus libris doctissime complexus est: cui uni excellenti doctrina viro de quaestionibus Theologicis hanc adnotationem acceptam ferimus, qui singulari methodo ac dexteritate docuit, arduas & difficiles ex Evangeliiis, & Beati Paulli epistolis sententias per topicos Theologicos explicari. Cuius sane Commentarius si huic nostro addatur, & quatuor illi libri *De recte formando studio Theologico*, quos vir religione & doctrina pariter praestantissimus Laurentius a Villavicentio Xerezanus nuper in lucem edidit, etiam adiungatur, nihil profecto (absit arrogancia verbo) erit, quod ad rationem, methodumque concionandi quisquam admodum desideret.

Ex his paucis, quae adduximus, facile coniectabit doctus concionator, quantum emolumenti sit ex Ioachimii topicis Theologicis percepturus, si ad eorum disciplinam Theologicas sententias composuerit & exploraverit.

CAP. X.

De proponenda materia in genere deliberativo.

Genus deliberativum est, quod positum in consultatione habet sententiae dictionem; nec solum suasionem dissuasionemque constat, sed in multas variasque spargitur partes. Siquidem ad genus deliberativum referuntur hortationes, dehortationes, consolationes, deprecationes, reconciliationes, obiurgationes, & id genus alia non pauca. Nam qui hortatur, suadet, ut quis audeat: id autem interest inter suasionem & hortationem, quod in suasionem suademus, ut quis velit; in hortationem vero suademus, ut quis audeat. In consolatione, ut qui dolet, mitius ferat dolorem suum. In deprecatione suademus, nobis culpam ignosci. In obiurgatione suademus, ut qui obiurgatur, culpam suam agnoscat. In reconciliatione suademus, ut qui dissidet ab amico, cum eo redeat in gratiam. Omnes itaque huiusmodi species ex genere deliberativo aperte

te fluere promanareque videntur: in quas subinde concionator incurrit. Nam saepe suadet, dissuadet, hortatur, dehortatur, consolatur, precatur, obiurgat, reconciliat. hoc autem quibus adiuventis exsequi possit, facile cognoscet, si locos generis deliberativi breviter & aperte exposuerimus. Sunt autem loci huius generis *honestum*, quod in rectum & laudabile dividitur: *utile*, cuius partes latissime patent, *iucundum*, *tutum*, *facile*, *possibile*, qui in suas etiam distribuuntur partes. Ab his igitur locis omnis confirmationis ratio ducitur in genere deliberativo: neque alios inventionis locos quaerere cuiquam licet in suasionem, dissuasionem, hortationem, dehortationem, consultationem, deprecationem, reconciliationem, obiurgationem, quam eos qui sunt a nobis hoc in loco praescripti. Quare finem honestae, & iucundae, & tutae utilitatis sibi proponet concionator, in quem totius orationis ratio conferatur. Primum in genere exhortatorio sive paraenetico, quo uno maxime floruit D. Hieronymus propositionem ex his omnibus locis post exordium evestigio constituemus. Nihil esse dicemus aut honestius, aut utilius, aut iucundius, magisque tutum & facilius, quam sit ea res, ad quam auditores exhortari conemur. Huius divisionis partes ordine deinde pertractabimus, doctrina rerum pro captu auditorum docte copioseque explicata: quod fiet sa-

ne commode & nimis artificiose, propositis quibusdam propositionibus, quae universam inventionem complectantur. Vt si quis exhortetur auditores ad contemptum mundi, & ad rerum humanarum despicientiam, dicet non esse in divitiis vitam beatam constitutam: neque honoris, neque corporis voluptates quidpiam conducere ad bene beateque vivendum. Ostendet rursus, quam sint res humanae fluxae & caducae: postremo proponet vitam hominum multis esse subiectam periculis. Haec quidem propositiones ex locis ab honesto, utilitate, & iucundo deducuntur, quae per totam orationem late prolixèque diffusae, necnon exemplis, quae plurimum valent in genere exhortatorio, amplificare, ad extremum usque orationis perducenda debent. Altero etiam exemplo planum faciemus id, de quo disserimus. Proponatur thema: *Supra omnia amantum esse Deum*. Hoc loco dispiciendae sunt concionatori eae omnes propositiones, quae ad amandum Deum auditores exhortari, & in primis incitare valeant: has ubi invenerit, continuo velut in aciem ad obsidendum thema producere debet. Huius generis sunt, quibus copiis atque divitiis adfluant hi, qui in caelo Deo fruuntur: amplissimis deinde honoribus decorari adficique electos: mox dicet de gloria celebritateque sanctorum: de piorum in caelo iucunditate & voluptate incredibili:

de

de beatorum insuper spirituum coetu: de Virginis Mariae adspectu iucundissimo: de caeli empyrei pulchritudine, splendore & iucunditate. Haec erit exhortationis materia, quae quemadmodum ad paraenesim sive ad exhortationem conveniat accommodari, satis abundanter me demonstrasse arbitror. In consolatione ante omnia considerandum est, quid sit, cuius causa doleant auditores. Cicero enim in *Tusculanis quaestionibus*, quae omnium consolationum fontes mihi esse videntur, multa numerat mala, quae re ipsa mala non sunt, sed opinione mala: ut exilium, interitus patriae, servitus, debilitas, caecitas, ignobilitas, vita inhonorata & ingloria, paupertas, & id genus non parum multa, in quibus nomen poni solet calamitatis: de his rebus omnibus Cicero divinitus prope modum, ac fere supra captum ingenii humani disseruit: omnem enim disputationem transtulit ad vulgi corruptam opinionem, nihilque mali inesse ostendit in harum natura rerum. Hanc ergo methodum sequutus concionator, primum quaeret, qualis & quanta sit ipsius rei natura, cuius causa dolemus. Ponamus exemplum in *paupertate*, cuius onus disputando levare conabitur Christianus orator. Hic ergo docebit, quam parva, & quam parca sint, quae natura desiderat: mox a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducet. Hic So-

Fff 2

cra-

crates commemorabitur, hic Diogenes, hic Caecilianum illud: *saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia*. Pro Ciceronis exemplis alia ex Divinis literis similia concionator petet: quemadmodum D. Ambrosius fecit, qui Ciceronis *Officia* imitatus, ex caelestis Philosophiae sacris monumentis exempla suffecit. Reliqua mala, quae commemoravimus, suas etiam habent ex rerum natura consolationes: *de quibus* (ut inquit Cicero) *quidam separatim scholas habuerunt*. In *deprecatione* vero, quem dicendi modum sequi conveniat paucis quidem, & pingui (quod aiunt) Minerva, demonstrabimus: ubi illud omnium primum est maxime considerandum, *causam deprecatoriam non adferri in forum, neque in more fuisse positum apud iudices, perorari: quoniam quum iurati essent iudices, crimen condonare reo nullo iure poterant*. Adferebantur vero huiusmodi *causae ad principes, quibus licebat reis ignoscere: quemadmodum in causa Ligariana coram Caesare acta, accidisse fertur: in qua summus ille orator statum deprecativum eloquentia admirabili pertractavit*. Nam ubi crimen confessus est, ad Caesaris misericordiam confugit, & *causae victoriam obtinuit*. Hunc statum deprecatorium Psalmo illo L. divino quodam spiritu rex David adflatus, humano dicendi artificio mihi videtur fuisse exsequutus. Nam illius *causae status* hoc syllogismo

mo primum contineri potest: Omnis qui confitetur se peccasse, & vitae anteaetae, atque criminis admissi pertaesus est, is dignus est venia: sed David confitetur se peccasse, quem vitae anteaetae, atque criminis admissi poenitet: ergo venia dignus est. Huius syllogismi adsumtio quinque primis versiculis constituitur, quibus & se peccasse fatetur, & ad aram divinae misericordiae confugit, condonar que sibi peccatum postulat. Mox extenuat, quantum potest, peccatum suum, argumento a naturae humanae proclivitate ducto: quae quidem Adami peccato ita depravata fuit, ut incredibilis ad peccandum in omnem posteritatem proclivitas in ipsa conceptione contraheretur. Post haec ducit argumenta ab honesto, quod iustus nimirum & fidelis sit Deus in servandis promissis suis; promisit autem poenitenti omnia peccata vel gravissima se condonaturum. Deinde ad confitendum rursus peccatum suum redit, cuius eo se gravius accusat, quo mysteria ipsa sapientiae divinae illi fuerant abundantius & familiarius patefacta. Proximis insuper sex versiculis per *repetitionem* eiusdem sententiae ingentes movet adfectus. Petit enim peccati illam miserabilem labem, quam ex Bersabee concubitu contraxerat, sibi deleri: conaturque id a Deo Opt. Max. impetrare argumentis *ab utili* depromtis. Nam suo ipsius exemplo futurum esse, inquit, ut impi

pii sceleratique homines ad meliorem vitae frugem se recipiant, si intelligant quam Deus sit misericors, quam lenis & facilis ad ignoscendum. Pollicetur ad haec se perpetuo decantaturum infinitam Dei bonitatem & misericordiam immensam. Concludit tandem deprecationem per motionem adfectus animi contriti, & ex agnitione peccati humi prostrati. Quibus postremo argumentum *a laudabili* adiungit: *tum* (inquit) *acceptabis sacrificium iustitiae*, quod fiet ab animo iam expiato & puro, id nunc repudiaturus, factum ab homine aulterio, & caede foedissima contaminato. Reliquas generis *deliberativi* species ad hunc modum concionator pertractabit.

CAP. XI.

Quod in omni concione sit tractanda hypothesis.

Multa sunt mihi admonendi caussa saepenumero repetenda, ut Theologi, quos artis rhetoricae praeceptis iuvare conamur, ea demum necessaria esse intelligant, quae toties a nobis inculcantur, & oblata occasione ingeruntur. Nam sunt non paucum multi, qui scholasticis disputationibus exercitati, omissa *hypothesi*, solas *theses* in concionibus tractant; quum nulla alioqui concio sine *hypothesi*

re-

recte unquam constare possit. Nam haec una est, quae causam constituit, & in hominum vita consuetudineque versatur, mores informat, facta corrigit, instat denique atque urget vehementius. *Thesis* vero quum ab omnibus sit circumstantiis seiuncta, quia neque ad certas personas, neque ad tempora, neque ad loca respicit, sed libera vagatur, in aere, interque nubes (ut acute dixit Rodolphus Agricola) est apprehendenda. Qua una (quantum ego suspicor) de caussa Brutus a Cicerone merito notatus fuit, qui quum occiso Caesare orationem haberet in Capitolio, leviter ac perfunctorie perstricta hypothesis, in pertractanda thesi totum tempus consumsit. *Ego* (inquit Cicero) *ardentius hypothesis perscriberem*: & recte quidem ille, quoniam in thesi de tyranno solum, in hypothesis autem de Caesaris tyrannide verba esset facturus. Igitur, proposito *themat*e, quod insigne aliquod Evangelii dictum contineat, *hypothesis* evestigio constituenda est: de qua maxima praecipuaque concionis pars futura sit. Atque ut hoc, de quo disserimus, neminem lateat, exemplis rem ipsam illustrabo. Sit igitur thema: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel*. Hypothesis huius thematis erit: An Christus Iesus Servator noster solum missus fuerit ad oves, quae perierant domus Israel, hoc est, ad solos Iudaeos, ac non perinde

ad

ad ceteras gentes? Rursus proponamus aliud ex eodem Evangelio thema: *Iesu, fili David, miserere mei, quia filia mea male a daemonio vexatur.* Hoc thema propositum est subiecta causa: huius hypothesis erit: An immensae Dei misericordiae fuerit, mulieris Cananae miseriam levare, quam ita sibi cum filia a daemonibus obsessa communem, immo propriam putaret, ut sibi potius, quam filiae suae misericordiam efflagitaret. Illud hoc loco advertendum est hypothesis a themate nihil prorsus differre, nisi quod *hypothesis* proponitur cum interrogatione, *thema* autem sine ulla saepe interrogatione: quamquam & ipsa quoque themata cum interrogatione elata frequenter ex Divina Scriptura proponuntur. Ad hunc modum ex sacris Evangeliiis hypotheses deduci poterunt, nam Romana Ecclesia per totius anni circulum Evangelia eo ordine digessit, ut alia Iesu Christi redemptoris nostri sacrosanctis mysteriis accommodata essent, alia in beatissimae Virginis Mariae solemnitatibus peculiariter decantarentur: alia Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, cum communia, tum propria adsignarentur: alia postremo diebus Dominicis, alia feriis adscriberentur. In his ergo sanctissimis Christi Evangeliiis, atque in ceteris Divinae Scripturae locis nulla invenietur tam speculativa quaestio, quae ad actionem traduci non possit.

sit. Quin in ipsis etiam *articulis Fidei*, qui a sensibus, humanaque ratione quam longissime absunt, post brevem articuli disputationem, qua mentes auditorum confirmatae illustrentur, ab intellectu ad voluntatem avocanda est quaestio, excitandaque voluntas ad amandum ea, quae credit. Erigent se auditores hoc in loco, aut rapientur potius a concionatore in stuporem, in admirationem, in contemplationem sanctae illius & divinae sapientiae, ad cuius infimum (ut Paullus inquit) omnis sapientia comparata, mera dementia est. Illudque subinde repetet: Si homines unius adspectu guttulae tantopere commoventur, quid facerent, si copiosissimum illum & aeternum fontem daretur intueri, unde manant universa? prorumpetque continuo in gratiarum actionem, seque totum in laudes illius sempiternae divinaeque maiestatis profundet: quibus velut tempestivis epiphonematis receptui canet, ad explorandosque auditorum mores sermonem convertet. Huc itaque spectant, quae haecenus a nobis praecipua sunt, ut probatio propositae quaestionis a thesi incipiat, & ad hypothesis progrediat, quae in nulla concione omittenda est. Argumenta porro confirmationis a locis Theologicis petenda sunt: quae ubi fuerint inventa, ad locos oratorios quam primum transferenda praecipimus, ut methodo proferri queant. *Oratorios locos* appello dialecticos, quos

omnium accuratissime pertractavit Rodolphus Agricola: de *locis* autem *Theologicis* complures nostris temporibus viri docti commentarios ediderunt. At de modo vero huiusmodi locos inveniendi unus a me inventus est Laurentius a Villavicentio, monachus Augustinianus, qui haecenus scripsisset: summam enim totius doctrinae Christianae, quae libris continetur, hac una propositione complexus est: *Deus condidit mundum, & in eo homines, ut ex his constitueretur Ecclesia, in qua ipse per doctrinam verbi, & Sacramenta, bona opera, & alios Ecclesiasticos cultus externos atque internos pure coleretur ad saeculi usque consummationem: in qua Ecclesia Spiritus Sanctus, qui eam dirigeret ac gubernaret, in finem usque resideret.* Huius unius propositionis compendio locos omnes Theologicos, religionemque nostram artificiose inclusit, ut Homeri Ilias olim una in nuce inclusa a Plinio dicitur. Ex ea deinde propositione locos, velut pullos ex ovo excludit, exclusos distinguit, explicat, amplificat, disserit. Mihi quidem mirifice probatur ea methodus, quae ordine & brevitate memoriam iuvat, & doctrina animum instruit.

CAP.

CAP. XII.

De exemplo & quomodo tractandum sit.

DEcem sunt omnino argumentorum genera, quibus utitur orator: sed nullo perinde argumenti genere ad virtutem incitatur, ut eorum, quos admiramur, *exemplis*, maximeque illustribus, pervetustis ac domesticis. Propterea quod *priscorum virtutes*, (ut ait Quintilianus) *quoniam ab invidia longe absunt, & audit quisque libenter, & miratur impensius: & natura fit, ut quisque finitimis exemplis acrius tangatur.* Quocirca priscorum exempla auctoritate plurimum valent, finitima autem & recentia adfectu commendari solent. Porro exempli nomen latissime patet: nam quamquam appellatione propria id demum *exemplum* dicatur, quum res gesta, ac perinde ut gesta, exhortandi causa proponitur: tamen illustrium virorum graviter dicta, philosophorum paradoxa, poetarum figmenta, auctorum nobilium sententiae, paroemiae vulgo receptae, allegoriae, parabolae; & ut sacra etiam complectamur, figurae, & oracula: breviter, quidquid similitudinibus est adfines, id exempli vim habet, & a Fabio huic generi subiicitur. Quare ut exempla copiose suppetant, omnium rerum, maximeque insignium

Gggg 2

gnium

gnium naturae vires, miracula, & ex auctorum monumentis, & nostra observatione comparata esse debent. Nam non modo a rebus omnibus, quas Deus Opt. Max. procreavit, exempla ducuntur, sed a rerum circumstantiis, & ab aliis quibuslibet differentiis sumuntur. Omnia tamen ad *personam*, & ad *rem* referuntur, siue res illa spiritualis fuerit, siue corporea, siue animata, siue inanimis, siue muta, siue sermonis particeps habeatur. Ad *personam* hoc modo: *Formica brutum & minutum insectum, & vix animal, hiberno victui aestate consulit, & homo senectae non prospiciet in adolescentia? A re autem hoc pacto: Vitam ille contempsit; tu voluptatem non contemnes? Ab inanimis: ut, Sol Christo moriente non illuxit; quid hominem oportet facere? Saxa mors illius scindere potuit, humanam mentem non permolliet? Orbis caelestes perpetua vertigine parent imperatori Deo; neque ullum sidus e tot stellarum millibus ordinem deserit, aut in officio cessat; & mortales quid facere par est: Quaecumque autem exempla quae ab inanimis & mutis ducuntur, imparia fere sunt, sicut & illa, quae ab spiritualibus trahuntur: quod genus est, *Caco-demonas credunt & contremiscunt; quanto magis oportet, hominem immortale numen vereri? Caelestes illae mentes & immortales, nocturni diurnique vitae nostrae custodes, perpetuo nobiscum obambulant; quanto studio par est, nos ipsos pro nostra salute vigilare?**

re? Iam vero quae ab hominibus ad homines transferuntur, ea tribus modis imparia fuisse ostendimus, a *persona*, a *negotio*, ab *utroque*, hoc est a *persona* & a *re* pariter: *Puella pro nihilo vitam habuit; tu vir, & vir eruditus, voluptates nescio quas non potes contemnere?* Sed quia exemplorum multa varietas est, nam alia ex parte, alia in totum similia sunt aut dissimilia; alia contraria, alia maiora, minora, paria, ut Cicero in *Topicis* ostendit, ad exhortandum efficaciora sunt inaequalia: quod in eum quidem sensum accipiendum est, ut semper a maiore ad minus descendat exhortatio: ut, *si propter matrimonia violata urbes eversae sunt, quid fieri adultero par est?* Hoc Fabius recte putat a maiore ad minus. Illud insuper advertendum est, personarum exempla cum laude aliqua honorificaque praefatione ad hunc modum proferri debere: *Socrates, vir bonus, divino testimonio sapiens iudicatus, perspexit hoc: Plato Philosophiae parens, quod nescio an sanctis Patribus Ecclesiaeque proceribus aequae conveniat. Nam rideretur fortassis concionator, qui sic exempla proponeret: Paullus magnus ille gentium praedicator, & Evangelii tuba; Matthaeus divinus historicus; Chrysostomus concionator egregius, qui a divinitate eloquentiae nomen accepit; Thomas Aquinas, Doctor Angelicus; Scotus Doctor subtilis: nam adfectionis nonnihil mihi redole-*

lere videntur. Id tamen totum concionatoris prudentiae, & receptae consuetudini relinquendum existimo: modo illud pro certo exploratoque habeat, eam fuisse Ciceronis celebrem consuetudinem; honorificis praefationibus excipiendi eos viros, quorum exempla imitanda proponeret. Atque ut eo revertamur, unde digressi sumus, exemplorum inaequalitas per collationem & aperienda & tractanda est: quae fere exemplis sic subiici solet: *Ille ethnicus, tu Christianus: ille barbarus, tu Romanus: ille profanus, tu sacris initiatus: ille privatus, tu magistratus: ille tyrannus, tu philosophus: ille obscurus, tu patritius.* Aut hoc pacto: *Vnus ille, nos multi non idem faciemus? ille inermis, imparatus, nos instructi? Regnum ille sperabat, tibi immortalitas proposita est.* Ex his paucis quo modo cetera huius generis tractari oporteat facile existimabit orator. Reliquas autem argumentandi formas oratoribus peculiare satis hic fuerit referre: nam vel de his disserere non est animus: cum quia passim apud Quintilianum & Ciceronem obviae sunt, & de his separatim Georgius Trapezuntius & Erasmus pertractarunt: tum quod haec Theologis scribimus, quos his argumentandi formulis ex disputationibus scholasticis instructos esse oportet. Quamquam hae argumentandi formae, quas in tres figuras digessit Aristoteles, magna ex parte frigent etiam

etiam in philosophorum scholis: hae autem adnotantur a praeceptoribus eloquentiae: *ratiocinatio, inductio, enthymema, exemplum, complexio, simplex conclusio, subiectio, oppositio, violatio, collectio*, quibus oratores & causam suam confirmant, & alienam oppugnant. Ceterum *exhortationibus* (ut dixi) exempla maxime conveniunt, quibus *similia* continentur: qua una potissimum de causa Erasmus librum *De similibus* composuit, quae non solum exhortationibus usui esse possunt, sed ad quidvis docendum maxime accommodata mihi esse videntur: ut ex D. Basilio & Chrysostomo, qui crebris pulcherrimisque similibus scripta sua locupletarunt, facile docti omnes cognoscunt.

CAP. XIII.

De epilogo & adfectibus.

EX multis concionatoribus, quos in diversis Hispaniae locis audivi, vix equidem unum aut alterum offendi, qui me in constituendo concionis epilogo non graviter offenderet: vel quod perorandi modum nesciret, vel quod ubi magis auditores accendere inflammareque deberet, ibi remissiores moveret *adfectus*. Est enim haec pars, si ulla alia concionis, in qua more Periclis tonare & fulgura-

rare oportet oratorem, & totam dicendo commovere civitatem. Neque de nihilo fuit, quod ceteri oratores perorationem Ciceroni demandarent, quoniam in ea orationis parte maxime dominaretur eloquentia. Atque ut cetera nunc praetermittam, debet esse huius postremae orationis pars gravis, ardua, sublimis, vehemens, ardens, concitata, quae pungat, mordeat, vellicet, laceret & convellat auditores; attonitos praeterea, stupidos & mutos reddat, & trahat denique quocumque velit. Hoc enim concionator duobus adsequetur modis, aut *amplificatione* argumentorum, eorum praesertim quae maioris ponderis & momenti sunt, neque enim singula numerari oportebit: aut *adfectuum* motione, qui altius in auditorum animos descendant. Vtrumque quomodo fieri conveniat, mihi breviter dicendum est: sed priori loco de affectibus, deinde de amplificatione disseram, quantum quidem & oratoribus saecularibus, & sacris concionatoribus praecipue convenire arbitrabor. Neque enim in tradendis praecipis uni me adstringam auctori, quemadmodum quondam feci, dum commentarios *De ratione dicendi* conscriberem. Nam modos illos movendi affectus, quos ex Virgilio Macrobius collegerat, huius poetae praestanti excellentique eloquentia ductus, ad verbum fere descripsi. Quin mihi potius constitutum est, ex Ari-

sto-

stotele, Cicerone, Fabio, Rodolpho, qui de excitandis affectibus multa in artem contulerunt, praestantissima seligere, & ad modum concionandi breviter & apte accommodare. Atque ut huius rei institutio a definitione profisciscatur, *adfectus* est quidam animi impetus, quo ad appetendum aversandumve aliquid vehementius, quam pro quieto statu mentis, impellimur. Nam omnes affectus vel ex appetendarum rerum, vel aversandarum studio nascuntur. Appetimus vero, quae vel re vera, vel in speciem bona sunt: contra aversamur, quae noxia sunt, vel nocitura creduntur. Neque solum adfici-mur eis, quae nobis bona putamus aut mala, sed alienam quoque vicem dolemus, gaudemus irascimur, miseremur. In omni autem affectu duo sunt, quibus praecipue movemur: res quae accidit, aut expectatur, & persona ad quam ea res redit. Unde quaecumque res digno contigerit, sive bona ea sit, sive mala, gaudemus: contra si qua indigno, ferimus moleste: & si quidem bona sit, invidemus, irascimur: sin mala, miseremur, & in doloris societatem venimus. Verum quamquam omnium affectuum capax sit oratio, & suum quisque habeat aliquando in dicendo locum, duo tamen vel maxime laudem oratoribus attulerunt, odium & misericordia. Explicata igitur quam succinte potui natura affectus, proximum est, ut eius divisionem

Hhhh

de-

demonstremus: ne quid sit, quod eloquentiae candidati desiderare queant. Est ergo triplex ratio tractandi adfectus: aut enim exprimimus oratione adfectus, hoc est, irati, amantis, metuentis, cupientis imitamur verba, ut in comoedia & tragoedia fieri solet: in quo quidem modo necesse est, cogitationes, vota, querelas, desideria, preces, contentiones omnes pro natura cuiusque adfectus exprimat oratio. Huic adfectuum generi perturbata & concitata oratio accommodatur: quod sane praecipuum est in hac adfectuum imitatione. Secunda ratio tractandorum adfectuum est, quum aliquem adfectu aliquo concitum describimus, & quae fecerit & quae dixerit, explicamus. Tertia via tractantur adfectus, quum auditoris animum tractare nitimur, quumque non quaerit oratio adfectum docere nostrum, sed eruere excitareque cupit alienum. Atque is modus solus est loci huius: quamquam non dubium est, quin huiusmodi tres adfectuum species in sacris etiam Litteris reperiantur: neque alienas illas quidem ab officio concionatoris esse arbitror, propterea quod tota vis decori cum rerum, tum personarum, quod tantopere Cicero in suo *Oratore* laudavit, in tragicis simul & comicis adfectibus posita est. An ulla umquam vel Graeca vel Latina comoedia sic adfectibus conspersa fuit, ut historia illa Iosephi fratres suos in Aegypto agno-

agnoscentis? Quis, obsecro, tam ferreus est, qui dum eam narrationem legit, lacrimas tenere possit? Quis rursus poeta ex his, quos Graecia tulit, sic amantem ullum depinxit, ut Salomon epithalamium Christi & Ecclesiae cecinit, & spiritales illos amores in modum dramatis expressit? Quis denique Davidis poenitentis adfectus, & Hieremiae eversionem urbis lugentis, ceterorumque prophetarum nunc hominum peccata obiurgantium, nunc eorum vicem dolentium, nunc indignantium, nunc miserantium, nunc querentium, cum ethnicorum oratorum & poetarum adfectibus audeat conferre? Ardentiore quidem illi concitabantur spiritu, & furore plusquam poetico agitati, in eos prorumpabant adfectus, quos nemo, qui non esset spiritu illo adflatus, posset umquam effundere. Iam vero verba illa Davidis proficiscentis contra Nabalem, non sunt hominis irati? *Accingatur unusquisque gladio suo: Et, Vere frustra servavi omnia quae huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis, quae ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono. Haec faciat Deus inimicis David, & haec addat, si reliquero de omnibus quae ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem.* Porro illa tertia ratio tractandi adfectus, quum auditoris scilicet animum motu aliquo flectere conamur, praeterquam quod in multis Scripturae Divinae lo-

cis perspicue cernitur, in ea praecipue oratione nitet, quam Iudas coram fratre Iosepho in Aegypto pro Beniamino habuit. Quos (bone Deus!) lenitatis & misericordiae adfectus concitavit! quomodo Iosephi ex industria dolorem comprimentis animum pupugit! quibus stimulis vires fregit inveterati doloris! si ullus tamen in Iosephi adhuc resederat animo; sed nullus prorsus in animo residebat viri iusti. Haec Iudae oratio non Iosepho modo lacrimas excussit, sed vocem illam efferre coegit: *Ego sum Ioseph.* Marcus Antonius Sabellicus quum hanc de Iosepho narrationem historiae suae attexeret, orationem dedit Iudae patriarchae, quam ipse more historico composuit, luculentam cum primis & elegantem, totam undique adpersam adfectibus. Quin non multis abhinc annis huius argumenti comedia in vulgus exivit, mites omnes & sedatos humanosque adfectus complexa. Sed iam ostendamus, quod tertium fuit in adfectuum partitione, quodque proprium est huius quaestionis, de qua suscepta est a nobis disputatio. Adfectus igitur, ut nos frequens Ciceronis usus docuit, nunc ex solis personis, nunc ex solis rebus, nunc ex utrisque simul excitari solent. Pro *persona* demonstrabimus id, quod natura adfectus postulat: dicemus enim personam eis indignam malis, quibus afflicta-
 tur; aut contra, dignam esse eo funesto & mise-

ra-

rabili casu, in quem propter nefaria scelera & detestanda flagitia incurrit. A *re* excitabimus adfectus, si ordine rei atrocitatem explicaverimus: quod in navarchorum casu Cicero fecit contra Verrem. Ab *utrisque*, si personae dignitatem cum rebus indignis, quae illi acciderant, contulerimus. Quod quidem vehementius fiet, si nihil sine amplificatione dixerimus. debent enim crescere & augeri adfectus, addendaque est magnitudo rebus & personis. Nam nisi res eiusmodi fuerit, ut auditorum oculos animosque admiratione suspendat, non mereatur nomen adfectus. Sunt enim quaedam magna per se, ut religio, patria, parentes, coniuges, filii, vita, valetudo, honor, & haec quidem omni hominum generi. Alia sunt magna singulorum hominum opinione, ut quidquid est quod magnopere quisque desiderat: ut sitiendi potus, esurienti cibus, studenti eruditio, avaro pecunia. Quum ergo voluerimus aliquid augere, & vehementes admirabilesque concitare adfectus, docebimus, id, quod augemus, ad haec tuenda, vel ad ea, quae obstant his, depellenda, pertinere. Et quanto plura in hoc genere coacervabimus argumenta, & alia super alia congeremus, tanto fiet res maior: ut quum docuerimus, non posse quem sine eo, de quo disserimus, incolumitatem tueri, deinde addamus, ne vitam quidem in tuto sibi fore: post haec idem

pe-

periculum parentes manere , iam patria n quoque & aras & focos in discrimen adductum iri. His adiumentis ethnici oratores excitabant adfectus , neque est alia concionatoribus ineunda via , modo res temporales , fluxas illas quidem & caducas , quas per se magnas veteres oratores ducebant , in spirituales & aeternas mutant , quae certa sunt & vera animi bona : qualia sunt ea omnia , quae ad religionem Christianam pertinent. Nam prope semper concionatores excitare solent auditores ad sollicitudinem consequendae salutis aeternae , ad dolorem sive indignationem ob admissa peccata , ad iram & odium peccatorum , ad amorem virtutum , ad metum divini iudicii , ad spem misericordiae , ad misericordiam & caritatem erga proximum. Has igitur res concionator miris (ut diximus) amplificabit modis , quo acriores stimulos auditoribus subiiciat. Personas autem ex attributis & circumstantiis augebit : si fuerit scilicet vir doctus , si sacris initiatus , si senex , si alicui muneri praefectus. Ab his omnibus & similibus circumstantiis argumenta ducet , quibus auditores , in quos haec attributa & circumstantiae cadent , laceret , vexet , stimulos admoveat , ignes adhibeat , respirare denique non sinat. Ad hunc modum diligenter dispiciet , quae sint bona , quae vehementius auditores expectant , quae contra mala , quae magis aversantur & detestantur.

stantur : quae ubi cognoverit , ea dicat , quae tantopere cupiunt , bona amissuros , & in mala sibi invisita modisque omnibus infesta brevi tempore perventuros. Quod si ad praescriptum ethnici oratoris Christianus informandus est orator , non solum dicendo , sed etiam faciendo quaedam lacrimas movebit. Atque in more positum fuit Romanis oratoribus , quibus caussarum perorationes demandabantur , producere reos ipsos , qui periclitarentur , squallidos atque deformes. Quin liberos eorum ac parentes , vestes deinde sanguine perfusas , & cruentum gladium proferebat accusator , verberata corpora nudabat , cicatrices ostendebat. Atque eo quorundam oratorum insania pervenit , ut depictam tabulam in imaginem rei , cuius atrocitate iudex erat commovendus , ex suggestu , aut supra Iovis imaginem suspenderet : quasi vero muta illa imago magis quam oratio loqueretur. Verum haec in sacris concionibus locum non habent , quoniam a scenicis gesticulationibus haud procul absunt , & ipsis quoque bonis ac prudentibus oratoribus invisita fuerunt. Quare non adfectus , quos volunt , concitant huiusmodi concionatores , sed ridiculi potius habentur , qui huiusmodi factis auditores permovere putant. Nam proferre cadaveris calvariam , quae quondam elegantis formosaeque fuerit feminae , & cum ea ex suggestu , audiente populo , collo-

loqui, & vitae eius anteaetate exigere rationem, longosque ea de re sermones serere, magis est hominis dementis, quam pie atque prudenter concionantis. Mitto his multa similia, quae prudens ac doctus concionator tacita cogitatione facile deprehendet. Atqui multo quidem & fortius & praestantius ad movendos adfectus erit, precari, obsecrare, invocare, lacrimare, quam malleorum ictus, sonitus catenarum, verbera ex ictu resonantia, incondita vox praeconis, pugno pectus tundere, faciem caedere colaphis, & id genus non pauca, quae ego a quibusdam concionatoribus fieri vidi. Quamquam inficias non eo, rudem plebeculam his factis interdum maxime commoveri, memoriaque refricari acerbissimae Christi *passionis*: sed ego de optimo genere concionandi loquor, non de his, quae vulgo pulchra videntur. Neque adduci possum ulla ratione, quin plus haec concionatorum facta valeant ad mutandos auditorum animos, & ad meliorem vitae frugem reducendos, quam oratio humanis omnibus adfectibus perfusa. Verum si his factis vulgus acrius commovetur, sunt illa per me pulchra. Neque enim mihi animus est, mutare veterem quorundam concionatorum consuetudinem, modo ex ea aliqua fiat pietatis accessio. Certe Fabius Quintilianus in ethnicis oratoribus id damnat, quod ego vereor in nostris concionatoribus con-

de-

deminare: sed utcumque moveantur adfectus, illud erit maxime advertendum, ne longa sit miseratio: nam non sine causa dictum est, *nihil citius quam lacrimas inarescere*. Summa tamen movendorum adfectuum in hoc posita est, ut moveamur ipsi: nam & luctus & irae & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus. At quomodo fiet, ut adficiamur? id sane docet Fabius Quintilianus. *Quas phantasias (inquit) Graeci vocant, nos sane visiones appellamus; per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas certere oculis, ac praesentes habere videamur: has quisquis bene conceperit, is erit in adfectibus potentissimus*. Si quis plura desiderat, paratum est illi ex Aristotele, Cicerone, Fabio, Rodolpho ea inquirere. Nam quae Macrobius ex Virgilio collegit, ea nos in nostris *De ratione dicendi* commentarios universa congegimus.

CAP. XIV.

De amplificatione.

DIcam de *amplificatione*, quae quamquam in postremum fere huius operis locum sit a me coniecta, postremas tamen in eloquentia partes ferre non

107

Iiii

de-

debet. Nam haec una virtus est, quae res infimas attolit, mediocres exornat, sublimes auget, & adfectus quoque ipsos accendit: qui alioquin saepissime frigerent, nisi amplificationis beneficio paulatim crescerent, & mirum etiam in modum adlevarentur. Igitur initio occurrendum esse putavi communi omnium dubitationi, qua plerosque homines implicatos animadverti, haud sane intelligentes aliud esse rem ponderare, aliud amplificare, aliud de eadem re copiose dicere. Haec imperitorum vulgus confundit, quum longe inter se dissideant, unumque ab altero non munere solum, sed natura distet. Huius tamen erroris unum pro alio accipiendi causam exstitisse arbitror cum nominum adfinitatem, tum quod par facultas augendi rem in omnibus esse videretur. Verum si harum rerum vim & naturam doctè diligenterque inspiciamus, inter se differre re ipsa comperiemus. Nam ponderat orator rem, non quidem quum amplificat, sed quum bonum eius rei aut malum expendit: quod aut epiphonematis facit, ut Virgilius, *Tantae molis erat Romanam condere gentem*: & illud Fabii Quintilianii, *Vsque adeo magnum est a teneris consuescere*. In utroque enim epiphonemate est conclusio cum ponderatione rei narratae, quod schema familiare fuit D. Hieronymo, quoniam epiphonematis rerum momenta saepissime metiebatur: aut eiusdem

rei

rei repetitione ponderat: ut illud Comici, *Hocine est humanum factum, aut incoeptum? hocine est officium patris?* Qui sane modus ab adfectu seiunctus non est: cuiusmodi rursus illa est ponderatio, quae per exclamationem efficitur: ut Cicero pro Ligario: *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentis decorandam!* Caesaris clementiam mirifice ponderavit, in eiusque admirationem auditores pertraxit, amplificatione tamen non est usus: nisi quis contendat, aut in ea exclamatione congeriem esse aut incrementum per gradus, cui ego equidem non repugnabo. Verum sunt aliae quamplurimae exclamationes in Cicerone, quibus primum ponderat gravitatem rei, deinde variis amplificat modis, quo maior fortassis appareat, quam aut ipsa res sit, aut quam vulgi homines opinentur. Quae una certe in re libenter dissideo a rhetore quodam nostri temporis, qui concionatores non idcirco res amplificare solitos esse ait, quo res maiores appareant, quam sint, sed ut tantae esse videantur, quantae illae sunt: multoque secus facere, quam veteres oratores, quibus hoc erat amplificandi munus, ut amplificatione res maiores facerent, quam essent non re, sed iudicio & sententia populi. Atqui ego nihil in concionatore invenio, quod ab oratore in fine & ratione amplificandi tantopere dissideat. Nam concionator sen-

Iiii 2

ten-

tentias eo animo dilatat, ut circumfusae turbae, quae ex hominibus saepe rudibus & imperitis constat, maiores quam putat, esse videantur: nec ideo modum naturae rerum excedit. Idem prorsus est oratori propositus scopus atque concionatori. Nam neque fallere auditores, nec mendacium dicere, modo vir bonus sit orator, ut esse debet, omni ratione conabitur, quamquam Cicero in causa A. Caelinae, & illis quas pro Cluentio Avito, & pro Caelio adolescente defendit, multum se a vero subduxerit: sed ego de oratore, hoc est, de viro bono loquor, non de his, qui ut causas iniustas defendant, tenebras offundunt auditoribus: quemadmodum Cicero se in Cluentii causa fecisse gloriatur. Sed parum refert, quo animo concionator res amplificet, an ut maiores, an ut quantae sint appareant, dum oratoris methodum sequatur: quod si aliquid refert, id maiestati rerum divinarum, quas tractat concionator, acceptum potius ferri debet (quae quantae sint, vix mente concipi, nequum sermone explicari queant) quam concionatoris officio, qui quum rerum adfectu incauit, vix modum in dicendo tenere potest, difficileque illi sit amplificationis metam non transilire. Sed ut in summa omnem ponderandi rationem complectar, ab eisdem locis ponderatio sumitur, a quibus attentio captari solet. Nam quum aliquid

magnum, rarum, inauditum, incredibile, aut divinum esse dicimus, utrumque sane praestamus, & ut rem ponderemus & ut ipsa rei ponderatione attentionem nobis comparemus. Porro longe seiuncta res est ab officio dicendi copiose amplificatio. Nam dicere de re copiose, his demum contingit hominibus, qui vel propositum thema, vel sententiam aliquam per omnes inventionis locos explicant: quod egregie docuit Rodolphus Agricola, idque sane unum est omnium, quod orationem maxime divitem atque locupletem facit. Igitur concionator, qui sententiae alicuius dilatandae percupidus est, nullum locum praetereat, aut ex his, quos dialecticos vocamus, aut ex propriis eius sententiae, quem non accurate percurrat, ut videat quid de proposita re ex omnibus locis dici possit. Atque si thema fuerit compositum, conferat inter se locos utriusque rei, dispiciatque diligenter quid consentaneum possit in eis, & quid dissentaneum invenire. *Thema compositum* appello, non simplicem aliquam sententiam aut auctoritatem, quales sunt quae simpliciter sine alterius partis aut sententiae coniunctione tractari solent: ut de prudentia, fortitudine, temperantia, aut de fide, spe, caritate, quae inter locos communes referuntur: sed quum proponimus, *an philosopho sit ducenda uxor*. Et de rebus sacris, *an dives elemosynis extinguat peccatum*,

o

& contractas animorum sordes eluat: atque infinita
 paene sunt eiusmodi, quae aut simpliciter, aut con-
 iuncte proponi queant. Ergo propositam quaestio-
 nem in capita primum, aut partes diducat orator,
 deinde singula quaestionis nomina per locos a dif-
 finitione, a genere, a differentia, & per reliquos
 dialecticis & oratoribus communes ducat: quos in
 numerato haberi oportebit, ne in probatione quae-
 stionis haereat, & tunc librum deposcat, quum
 omnia in promptu atque in memoria esse deberent.
 Sit exempli gratia, *an philosopho sit ducenda uxor.*
 Hic primum philosophum per suos explicemus lo-
 cos, similiter & uxorem: diffiniam philosophum es-
 se hominem divinarum humanarumque rerum no-
 titiam cum virtute sectantem. Pro genere erit ho-
 mo, quamquam exactius intuenti (ut ante visum
 est Rodolpho) subiectum sive species erunt Stoi-
 cus, Peripateticus, Academicus, Epicureus, & si
 quae sunt reliquae philosophorum sectae. *Proprium*
 est cura scientiae cum virtute. *Totum & partes,*
 eadem quae hominis. *Coniugata* Philosophia, phi-
 losophari. *Adiacentia* pallor, macies, horror, &
 asperitas frontis, severitas vitae, morum integritas,
 amor laborum, rerum humanarum incuria, con-
 temtus voluptatum. *Actus* studere, vigilare, labo-
 rare; aliquid tale semper efficere, quo melior ipse,
 meliores etiam alii fiant. *Causa efficiens* est magi-
 ster,

ster, philosophus scilicet, qui docuit eum, & cu-
 ra & iugis intentio studiorum, quibus profecit. *Fi-
 nis* bene tranquilleque vivere. *Effecta* sunt, mores
 hominum, vitaque rectis institutis emendata, &
 edita praecepta vitae, conscripti libri usui & me-
 moriae posteritatis. *Destinata* sunt omnia, quae
 consequendae Philosophiae causa paravit. *Conne-
 xa* sunt opes eius qualescumque, discipuli, venera-
 tio, fama, locus, patria, in qua natus est. *Locus,*
 in quo versatur, publicus & adspectui omnium ex-
 positus, ut qui omnibus sit vitae praebiturus exem-
 plum: item *habitatio* satis certa, quum debeat ur-
 bium populorumque corrector & emendator esse.
Tempus, ut aetas eius, iuvenis, an senex. Duxi-
 mus nomen philosophi per locos a diffinitione, a
 genere, ab specie, a toto in suas partes, a coniu-
 gatis, ab adiacentibus, ab actibus, a causa effi-
 cienti, a causa finali, ab effectis, a destinatis, a
 connexis, a loco, a tempore: neque alia expressior
 imago comparandae copiae ad tractandas quascum-
 que quaestiones a me depingi potest, quam haec,
 quae a viro doctissimo iuxta atque eloquentissimo
 Rodolpho Agricola est disertissime proposita. Li-
 cebit quoque nomen *uxoris* per eosdem ferri locos,
 quamquam non in omnibus consentanea argumen-
 ta semper inveniuntur, aut materia probandae rei
 deduci potest. Quum fuerint ergo, quae descri-
 ben-

benda sumsimus , hoc modo per locos deducta, tunc conferendi sunt (ut diximus) loci locis, & videndum qui quibus convenient; ex his enim affirmative de proposito statuemus; qui discrepabunt, hi propositum subvertent. Hac igitur locorum mutua collatione, aut decernemus philosopho ducendam esse uxorem, aut contra negabimus. Nomen uxoris brevitatis gratia per locos ducere omisi, quod facile esset ex Rodolpho cognoscere. Huic modo dicendi copiose proxima est illa locupletandae sententiae ratio, quae docet id in partes diducere, latiusque explicare, quod summam dici poterat. Huius rationis id erit exemplum: *Rem universam luxu perdidit.* Hanc sententiam in summa comprehensam, & quasi convolutam, hunc ad modum libebit evolvere, si plurimas possessionum formas numeremus, & si varias perdendae rei explicaverimus: quidquid vel matris, vel patris nomine hereditate obvenerat: quidquid aliorum adfinium morte advenerat: quidquid uxoris dote, quae neutquam erat vulgaris, accesserat: quidquid ex legatis accreverat, accreverat autem permultum: quidquid ex principum acceperat liberalitate: quidquid peculii castrensium conflaverat: pecuniam omnem, vasa, vestes, fundos, agros, una cum ipsis villis & pecoribus, breviter, rem omnem sive mobilem, sive solidam, exposuerimus. Deinde si illam partem

ul-

luxu perdidit, sic explicaverimus: haec omnia foedissimis scortorum amoribus, quotidianis comestationibus, sumtuosis obsonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupediis, unguentis, alea, lusus, paucis diebus ita absumsit, obligurivit, absorbuit, ut ne assem quidem sibi reliquum fecerit. Hac igitur variarum rerum enumeratione locupletanda erit oratio: quod multo fiet fusius & explicatius, quam a me proferendi exempli causa hoc loco factum est. Ceteros dilatandae sententiae modos, qui tot citra controversiam sunt, quot sunt schematum genera, quae a rhetoricis traduntur, ex libro VIII. & IX. itidem *Oratoriarum institutionum* Fabii Quintilianii mutuo accipiendos esse, censeo. Atque hanc unam comparandae copiae rationem sequutus est Erasmus in libro, quem de rerum & verborum *Copia* peculiariter conscripsit. Discat igitur futurus orator omnes figuras: quas sic in promptu habeat, ut, quum velit, cunctas in laciem proferat, memoriterque pronuntiet, ut in varianda sententia nulla fiat mora; quin universas, si opus fuerit, in conspectum dabit; ut diligenter dispiciat, ex quibus figuris commodius copiam augebit. Eloquentiae studia plurimum promovit Erasmus edito illo *De copia* libello, qui usque adeo mihi probatur, ut in eius se exercere praeceptis, consuluerim adolescentibus, in his praesertim, quae

Kkkk

de

de rerum copia praescripta sunt: nam formulas illas verborum & modos dicendi varios ex oratoribus, historicis, poetis, ex omnique scriptorum genere ac turba sine ullo delectu collectis, neque possum, neque debeo probare: nihilque magis ridiculum est, quam ex copiis, ex enchiridiis, ex dictionariis, ex Calepinis, ex elegantiarum quibusdam congestis modis velle quemquam copiosum simul & elegantem fieri. Verum de his alias fusius fortassis dicemus: illud tamen unum silentio praeterire mihi non licet, quod est ab Erasmo timide ac dubitanter proditum: an aequae *sermocinatio* Christianis oratoribus atque ethnicis conveniat? Est enim *sermocinatio* schema, qua uni aut pluribus personis adfingimus sermonem congruentem: veluti quum Homerus Iliados X. facit Priamum senem Hectorem dehortantem a praelio, post hunc Hecubam. Itidem Iliados Z. Andromachen uxorem deterrentem a praelio, atque his respondentem Hectorem, mire servato cuiusque personae decoro. neque quidquam est admirabilius in historiarum scriptoribus: nam historicis hoc omnium suffragiis permissum est. De ethnicis Erasmus loquitur; de Christianis nihil ausus est discernere: quamquam statim subiecit, simile quid in historia septem Machabaeorum factum inveniri: & qui martyrum historias cunscripserunt, idem sibi permi-

misisse dicit: quod D. etiam Ambrosius in vita B. Agnetis aperte usurpavit. Ego vero cur hoc minus liceat concionatori, non video, quum aut martyrum historias populo narrat, aut quum suadere aliquid totis viribus conatur, aut contra dissuadere: quum id longe efficacius *sermocinatione*, hoc est, recto & adsimulato sermone obtinere queat, quam obliquo scilicet & minime figurato. Igitur non dedecebit concionatorem, qui sanctorum martyrum Iusti & Pastoris exemplo ad martyrium pro Christi fide subeundum auditores hortabitur, dulce illud & amoenum colloquium, quo sibi invicem germani fratres ad appetendam pro Christo mortem animos faciebant, ipsismet pueris fratribus commode adfingere. Nam quanto, obsecro, altius in auditorum animos illa beatissimae Agnetis verba apud D. Ambrosium descendunt, quae ab ipsa sanctissima femina proferuntur, quam si suo ipsius nomine Ambrosius loqueretur? Ad haec, beata Agnes tale fertur iuveni dedisse responsum: „Discede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, discede a me, quia iam ab alio amatore praeventa sum, qui mihi multo meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suae subarrhavit me, longe te nobilior & genere & dignitate.“ Reliqua pete ex Ambrosio. *Sermocinatione* itaque, sive *dialogismo*, mea quidem

sententia, interdum narrationem locupletabit concionator, modo id decenter & parce faciat, adfecto sermone (ut dixi) convenienti ingenio & dignitati personarum. Neque enim eo uti schemate verebor, quod in M. Tullio in usum augendae copiae, dilatandaeque sententiae invenero: cuiusmodi quidem illud est contra Catilinam: *Etenim si metum patria, qui mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respublica sic loquatur: M. Tulli, quid agis?* Est illa postremo ad dilatandam rem non contemnenda figura, quae *descriptio* a praceptoribus eloquentiae nominatur, quam inter vehementes & acres figuras superius referendam censui. Sed unius schematis non est unus ac simplex tantum usus, sed variis multiplicibusque muneribus in arte dicendi funguntur. *Descriptio* enim praeter vehementiam, quam orationi suppeditat, copiam etiam mirum in modum ei adsciscit: neque est alia figura frequentior historicis & poetis, qua vim illam dicendi magnificam & copiosam magis ostentare queant. Haec autem una rem ita suis coloribus depingit, ac velut penicillo dicendo exprimit, ut eam auditorum oculis subiiciat, & in omnium conspectu ponat: qua una potissimum laude floruit Virgilius; qui sic Troiae eversionem narravit, ut ne ipse quidem Appelles exactius in pergula eam depingere potuisset. Mitto Didonis con-

vivium, quo Aencam apud Carthaginem excepit: praetereo etiam apum rempublicam, quam ex hominum republica per translationem desumpta usque adeo graphice, atque eleganter quarto libro Georgicorum expressit, ut qui tam absolutam descriptionem mirentur, inveniantur multi, perpauci vero qui eam aequare possint. Scatet hoc schemate Ovidius, & plerique omnes poetae & historici: quos qui velit imitari, identidem eorum evolvat scripta necesse est. Fabius vero Quinctilianus unum itidem & alterum convivii luxuriosi, & captae urbis exemplum adfert, quibus demonstrande rei viam communit. His modis thema simplex, & compositum dilatamus: quibus si quisque locos proprios cuiusque generis adiungat, is universam inventionis vim ad copiam retulerit. Explicavi igitur modos ponderandi res, & copiose dicendi de re proposita: quos a ratione amplificandi ita seiunxi atque separavi, ut qui eos modos amplificationi quodammodo subiicere contenderet, cum eiusmodi homine haud ego magnopere pugnarem; quamquam in omni amplificatione manifesta est rerum ponderatio, & amplificanti copia suppetit, quod contra nequaquam accidit. nam neque in omni rerum ponderatione amplificatio cernitur, neque in omni rursus copia necessario inest amplificatio, nisi nomen copiae ad amplificationem nimis fortas-

sis velles extendere. Haec tamen omnia vulgus imperitum miscet ac confundit, quae mihi visum fuit paullo distinctius atque explicatius pertractare. Nunc vero restat, ut de ratione amplificandi pauca & sine ulla amplificatione dicamus. Duplex est igitur amplificandi minuendive species: aut in ipso rei nomine; ut quum eum, qui sit laesus, occisum; eum, qui sit improbus, latronem; contraque eum, qui pulsavit, attigisse; qui vulneravit, laesisse dicimus. Est altera amplificandi species in ipso rei nomine, quum ampliora verba cum ipsis nominibus, quae posituri sumus, conferuntur: ut Cicero in Verrem: *Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum iudicium adduximus.* Hoc modo crescit, & fit manifestior amplificatio: quae quum in uno nomine dumtaxat fit, obscurior multo est, quam quum aliis atque aliis amplioribus verbis comparatur. Tota autem amplificandi ratio quatuor maxime generibus comprehensa est a Fabio Quintiliano: incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie. *Incrementum* est, auctore Fabio, potentissimum amplificandi genus, quum magna videntur, etiam quae inferiora sunt. Id autem fit quatuor modis. Primo modo, quum uno gradu,

du, aut pluribus pervenitur ad summum, & interdum quodam modo supra summum. Vnum Ciceronis exemplum his omnibus sufficiet. *Facinus est vincire civem Romanorum: scelus verberare: prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* Hoc loco Cicero rem supra summum per gradus extulit: nam quum id, quod erat maximum, occupasset, nimirum *prope parricidium necare*, necesse erat, in id, quod supra summum est, verba deficere: unde adiecit, *quid dicam in crucem tollere?* Secundo modo fit supra summum adiectio, ut apud Virgilium de Lauso: *Quo pulchrior alter Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.* Summum est enim, quo pulchrior alter non fuit, huic deinde aliquid supra positum est, quum poeta dixit, *excepto corpore Turni.* Tertius est amplificandi modus, ad quem non per gradus itur, ut aliquid sit maius, quam maximum, sed quo nihil maius sit: *Matrem tuam occidisti: quid dicam amplius? Matrem tuam occidisti.* Hoc genere amplificationis effectum est, ut augeri magis facinus non posset. Quartus amplificandi modus est, quum citra distinctionem in contextu & orationis cursu semper aliquid subiicitur maius: ut de vomitu in Antonium Cicero: *In coetu vero populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum.* Singula verba incrementum habent: nam per se deforme erat, vel non in coe-

tu

tu vomere; in coetu etiam non populi, etiam non Romani; vel si nullum negotium gereret, vel si non publicum, vel si non magister equitum. Non est Cicero circa singulos gradus moratus, sed in sublime percurrit; & ad summum pervenit, non nixu, sed impetu. Secundum genus amplificationis fit comparatione; atque id tribus modis usurpari animadverti: primo augendo, quod est infra, ut extollat id, quod supra positum est. Vt in eodem loco Cicero contra Antonium: *Si hoc tibi inter coenam & in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? in coetu vero populi Romani, & cetera.* Hic maiora ex minoribus colliguntur per comparationem. Secundo modo per comparationem amplificamus, quum, proposito velut simili exemplo, efficitur, ut sit maius, quod a nobis exaggerandum est. Vt Cicero pro Cluentio: *Quando est (inquit) Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignior: confert Oppianicum cum Milesia, quae pro abortu pecuniam accepisset ab heredibus, quod Oppianicus per aliam corporis vim & cruciatum effecerat.* Tertius amplificandi modus per comparationem perscribitur, quum augendi gratia non tota modo totis, sed partes partibus comparantur: sicut hoc loco in Catilinam: *An vero vir amplissimus P. Scipio pontifex maximus Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae,*

pri-

privatus interfecit? Catilinam orbem terrarum caede atque incendio vastare cupientem nos consules perferemus? Hic & Catilina Graccho, & status reipublicae orbi terrarum, & mediocris labefactatio caedi, & incendiis, & vastationi, & privatis consilibus comparatur. Porro quartum amplificandi genus per ratiocinationem constituitur, quod modis quinque constat: primum est, quum ex alio colligitur aliud, ut illud crescat & augeatur. Nam Cicero obiecturus vomitum & merum Antonio, ex consequentibus per aliam ratiocinationem ostendit, quanta fuerit Antonii crapula, quum homo illis tantis lateribus, & firmitate corporis plusquam gladiatoria, vinum concoquere usque adeo non potuisset, ut illi esset necesse, in conspectu populi Romani vomere postridie. Secundus est modus, quum ab antecedentibus amplificatio ducitur, ut Virgilius:

*... Cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt.*

Ex his quae antecedunt, apparet, quanta futura sit tempestas. Tertius modus amplificandi per ratiocinationem a viris eloquentibus maxime probari solet, quum res atrocissimas, quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto, quod graviora videantur, quae sequutura sunt; ut a Cice-

LIII

RO-

rone factum est, quum illa dicit: *Levia sunt haec in hoc reo crimina: humanum est hoc; usitatum est illud.* Atqui ratiocinatione Cicero utebatur, qua colligerent auditores, quantum illud esset, quod inferebatur, cui comparata haec, humana viderentur atque usitata. Quartus modus amplificandi est, quum ex alio aliud augetur: ut quum Hannibalis bellicis laudibus amplificatur virtus Scipionis: & fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo sit maior Caii Caesaris gloria. Postremo ex relatione ad aliquid, rem, quam volumus, amplificamus. Sic enim quanta fuerit Helenae forma coniectamus, quum Troiani principes, & illi quidem senes & prudentissimi, atque ipse quoque rex Priamus, amissis tot liberis, decenni bello exhaustus, tot mala tanto temporis spatio propter Helenae speciem dignum sustinere putarent. Quin ex instrumento quoque heroum illorum magnitudo aestimanda nobis datur. Ad hoc pertinet clypeus Aiacis, & hasta Pelias Achillis: & illud quoque M. Tullii de Antonii luxuria, cuius servos conchyliatis Gn. Pompeii peristromatis stratos lectos in cellis habere dixit: ex instrumentis rei magnitudinem Cicero metitus est. Quartus modus amplificandi sumitur per congeriem cum verborum, tum sententiarum idem significantium: nam quamvis non per gradus adscendant, tamen acervo quodam

dam in sublime feruntur; ut Cicero pro Ligario: *Quid enim, Tubero, destrictus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quibus sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* His igitur quatuor amplificandi generibus omnem vim atque rationem amplificationis complexus est Fabius Quintilianus: neque existimo aliam amplificandi viam praeter hanc unam excogitari umquam posse. Quod si quis modus alius vel apud ethnicos oratores, vel apud Christianos concionatores cuiquam exstare videbitur, is quatuor generibus merito adscribi poterit. Multa ego ex illa tam fertili & copiosa exemplorum segete, quibus ad illustrandam rem Quintilianus confertus videtur, dedita opera recidi, & in pauca contraxi, quo earum rerum facilius esset addiscentibus intellectus. Neque his manum admoverem, nisi ut quosdam concionatores hoc errore liberarem, qui vias alias esse putabant res sacras amplificandi, quam essent illae, quibus ethnici oratores vel in defendendis causis, vel in pertractandis philosophicis argumentis uterentur. A principio etenim monui, unam esse eloquentiam, quae se late per cunctas res diffunderet, quae sermone explicari possent: cuius quidem dictioni sacra etiam ipsa & divina omnia subieci- mus, quod nihil certe sit, quod non possit ornate

& copiose ab oratore dici. Neque est, quod quisquam amplius quaerat novos amplificandi modos, quibus aut sacra themata exaggeret, aut locos aliquos ex Divina Scriptura decerptos, & sententias augeat, praeter illos, quos Cicero & F. Quintilianus, & Graeci rethores in eloquentiae usum & dignitatem praeceptis prodiderunt. Nam quid, obsecro (ut e sacris Litteris pauca proferamus exempla) concionatorem remorabitur, si forte in veterem memoriam illius memorabilis facti inciderit, quum David in singulari certamine occiderit Goliath, quin is protinus per singularum partium comparationem egregium illud factum amplifiet? Quod quidem facile praestabit, si David paene puerum conferat cum maturae aetatis viro, si pusionem cum Gigante, si inermem cum armato, si in agris versatum cum homine ab adolescentia in militia & castris educato, si ovium greges agentem cum veterano ordines ducente. Gigantis rursus immane corpus ex instrumento augebit. Primum ex hasta, quae texentium liciatorio magnitudine par erat: deinde ex lorica, qua erat indutus, cuius pondus erat quinque millia siclorum aeris. Porro si de extremo illo diei *Iudicio* concionator verba faciat, poterit eius diei horrorem ex signis & prodigiis, quae illum magnum diem antecedent, miris efferre modis per *ratiocinationem*. Si vero de

Ada-

Adami peccato sermonem instituat, quid? eius sceleris atrocitatem a consequentibus non impense dilatabit, connumeratis omnibus malis, in quae tota hominum posteritas propter unius proditoris crimen inciderit? quae nulla alia victima deleri expiarique potuerunt, quam Christi Servatoris nostri acerbissima morte? Quid si ingritudinis notam humano generi concionator inurat, huiusque tanti criminis homines accuset? nonne congerie ingritudinem nostram extollet atque exaggerabit, coacto velut in quodam acervo beneficiorum omnium cumulo, quae immensa Dei benignitas in genus humanum iam inde ab orbe condito contulerit? Sed uno ego exemplo omnes quatuor amplificandi modos complectar. Faciamus igitur ita esse, ut quispiam concionator velit profundam illam Christi animi demissionem amplificare, quam Theologi nostri *humilitatem* vocant. Hinc primum ostendet per *ratiocinationem*, quanta fuerit Christi Servatoris nostri humilitatis virtus, ex eo primum memorabili facto, quod discipulorum suorum, linteo succintus, pedes laverit: deinde per comparationem magistri cum discipulis, & per divinorum attributorum congeriem, per gradus etiam & incrementum singulorum vocabulorum, sic illud factum amplifiet: „ O mirum & nusquam auditum prodigium! „ Dei filius, paternae essentiae, gloriae, maiestatis „ &

„ & amplitudinis particeps , omnium quae sunt fa-
 „ bricator & effector , caelestia , terrestria , & in-
 „ ferna in ditioe tenens , omnia fulciens ac susten-
 „ tans , omnia continens , providens ac gubernans:
 „ quem angelorum altissimae & amplissimae men-
 „ tes reverentur , observant atque suspiciunt , in cu-
 „ ius conspectu ac praesentia caelestes dominatus
 „ contremiscunt , & nutant vel firmissimae columnae
 „ caeli: hic (*inquam*) tantus , tam potens & augustus
 „ ad pedes servorum abiicitur , eosque ipsos lavat &
 „ abstergit ? Itane , Christe Dei fili , regum Domi-
 „ ne & principum imperator , celsitudo tua & ma-
 „ iestas tua submittitur , abiicitur & prosternitur ?
 „ Vere Christus exinanivit semetipsum , formam
 „ servi suscipiens , siquidem istud munus servorum
 „ est. Quid ergo miramur , si angeli hominibus in-
 „ serviant , quum rex angelorum tanta animi ala-
 „ critate & demissione hominibus inserviverit ? “
 In hoc exemplo , velut in quodam lucidissimo spe-
 culo , omnes quatuor amplificandi modos nobis in-
 tueri licet. Sed de *amplificatione* satis , si concio-
 natoribus haec satis esse possunt. Quaerat igitur
 concionator exempla his similia , cui multa Divina
 Scriptura quaerenti suppeditabit , in quibus , dum
 adolescens est , se mirum in modum his rationibus
 exerceat , ut postea concionandi munere cum o-
 mnium plausu & admiratione fungatur. Nam ut

Ci-

Cicero eam eloquentiam nullam esse iudicavit , quae
 admirationem non haberet ; ita sane eas conciones
 nimis frigere existimabimus , quas nulla popularis
 acclamatio consequuta fuerit. Haec autem omnia
 orator consequetur , si nullum ei verbum excide-
 rit , quod non sit elegans & grave ; si rerum co-
 pia & ornatu & amplificatione usus fuerit ; si illu-
 stria denique & fecunda themata tractaverit , ex
 quibus plures loci communes , tamquam iuges &
 amoeni rivuli ducantur , qui variam dicenti mate-
 riam suppeditent , & in audientium animos iucun-
 dissime influant. Hoc tamen ad extremum & ad-
 dendum , & saepe inculcandum repetendumque pu-
 tavi : alios esse amplificandi modos , alios vero lo-
 cos , a quibus amplificationes ducuntur : cuius qui-
 dem rei ignorantia me quoque ipsum aliquando
 perturbavit. Amplificationis modos quatuor esse di-
 ximus : loci autem , a quibus , res , quae augentur ,
 promanant , tot mihi esse videntur , quot sunt illi , a
 quibus argumenta peti solent ad fidem rei facien-
 dam. Immo ab eisdem sane locis & res easdem
 amplificari & probari comperimus. Nam & ab
adiunctis , & a *simili* , *pari* , *impari* , & ab omnibus
 denique inventionis locis amplificandi rationes su-
 muntur : quod variis equidem oratorum & poeta-
 rum exemplis comprobarem , ni prolixitatis notam
 mihi inurendam pertimescerem. Vnum tamen aut

ai-

alterum ex poeta Virgilio & Ovidio Nasone ad rem, de qua agimus, illustrandam ex *adiunctorum* & *similium* locis adferam. Dido enim apud Virgilium venatum proficiscens, ex loco *adiunctorum*, quae circumstant, magnifice a poeta depingitur:

*It portis, iubare exorto, delecta iuventus,
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant: ostroque insignis & auro
Stat sonipes, ac fraena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.*

Vestitum & comitatus equitum & canum non erant in regina, sed reginam ipsam circumstabant. *Amplificationis* exemplum a *simili* est apud Ovidium, V. libro de *Tristibus* multo sane evidentius:

*Littora quot conchas, quot amoena rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet;
Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aera pulsat avis;
Tot premor adversis, quae si comprehendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae.*

Amplificationes vero, quae ab *inaequali*, aut a *simili* & *dissimili* constituuntur, passim apud oratores

res & poetas inuenimus: quarum ego exemplis, ne in re usque adeo facili & aperta verbosus esse videar, libenter supersedeo.

CAP. XV.

De eloquutione.

FABIVS Quintilianus cum in aliis locis quam plurimis, tum libro VIII. *Oratoriarum institutionum* supra modum exaggerat difficultatem *eloquutionis*, in qua perdiscenda tota vita consumitur. Nam haec una pars est, quae praecipue docetur, & quam nullus nisi arte adsequi potest: qua rursus orator oratori maxime antecellit, & genera ipsa dicendi alia aliis potiora videntur. Idcirco incredibili studio, frequenti exercitatione, prudenti quoque imitatione *eloquutionem* comparandam esse praecepit, ut ornate dicere possimus: quod proprium est eloquentis viri. Verum postea quam miris modis studium *eloquutionis* Fabius extulit, eorum hominum stultitiae occurrendum putavit, qui omnia rerum (qui nervi sunt in caussis) diligentia, quodam inani circa voces studio consenescent: idque faciunt gratia decoris, quod est in dicendo ipsiusmet Quintilianus opinione pulcherrimum: sed quum sequitur, non quum adfectatur. Curam igitur verborum,

Mmmmm rum,

rum, rerum vult esse sollicitudinem. egregium sane praeceptum & Quintiliano dignum. Quod si M. Fabius oratori suo praecepit, ut plus operae & studii in quaerendis rebus ponat, quam in poliendis verbis, excolendoque stilo, quid facere Theologum par est, in quo D. Hieronymus non disertam linguam, sed divinorum mysteriorum exactam cognitionem desiderat? Sed quum non sit idem dicere, ac bene dicere, loquentia & eloquentia, quoniam non solum insani & vecordes homines verba profundunt omnino praeter rem, & ipsis rebus, de quibus tractant, adversantia; verum ipsis etiam hominibus doctis, & civili prudentia praeditis multa saepe contra id, quod docent ac expedit, verba excidunt. arte opus est, quae doceat ca, quae mente conceperimus, apte & ornate promere, & ad audientes cum iucunditate perferre. Quare danda erit a concionatore opera, idque iam inde a puero, si peculiari Dei dono, aut naturae propensione ad concionandum fuerit inductus, aut parentum arbitrio huic tanto muneri destinatus, ut patriam linguam bene sonet. In quo magno erunt parentes adiumento, si ipsi in filiorum gratiam current, primum ut sensa animi sui castis verbis, & integra atque apta oratione expromant: deinde, ut idem nutrices (quemadmodum praecipit F. Quintilianus) & paedagogi faciant, & illi etiam quibus-

cum

cum pueri agunt; ne perplexe, absurde, barbare loquantur, ne vitia oris habeant, quae facile tenebrae aetati adhaerescunt. Chrysippus (ut idem Fabius refert) ea de causa etiam doctas volebat nutrices eligi, quoniam magni interesse diceret, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres loquantur. Est enim lingua, velut sacrum quoddam eruditionis: nam sive quid reconendum est, sive promendum, huius unius instrumento facimus. Ediscenda igitur haec est, quam fieri poterit perfecte. Esset profecto illa omnium linguarum perfectissima, cuius verba rerum naturas explanarent: qualem credibile est fuisse illam, qua Adam singulis rebus nomina imposuit, de quibus apud regium vatem legitur: *Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus illis nomina vocat. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiae eius non est numerus.* Sed illius linguae tam absolutae cognitionem Adami peccato posteris omnes amisimus, cuius quidem poena est, tot inter homines esse linguas, quae studio, arte & ingenio comparari debeant: atque illa etiam quae nobis vernacula est & maxime genuina, in qua nati & educati sumus. tantae ignorantiae tenebrae ex primo illo parentis nostri scelere mortalium animos occupant. Eam vero linguam, quae nobis germana

est, oportet esse cum suavem, tum etiam doctam & facundam. Suavitas est in sono verborum sive simplicium, sive coniunctorum: doctrina est in apta proprietate appellandarum rerum: unde prima orationis virtus existit, quae a Cicerone elegantia dicitur: facundia in verborum & formularum varietate ac copia cernitur. Hanc igitur ut perfecte absoluteque concionator nanciscatur, erubescere non debet in tabernas & officinas venire, & ab opificibus suarum artium vocabula sciscitari, ac edoceri. Haec enim non rhetorum schola docet, sed aviditas potius audiendi & cognoscendi, quomodo quisque appellet suae artis instrumenta. Melius enim disserunt senes de his in suis circulis & exedris, quam Cicero aut Fabius, qui Hispane aut Gallice loqui non didicerunt. Idcirco non pudeat eum, qui ad tantam laudem adspirat, milites, nautas, agricolas, fabros, aurifices, sutores, pictores, architectos, statuarios, & omnis generis opifices convenire: quos non solum suae artis vocabula roget, sed intima quoque omnia, quae in eo artificio continentur, inquirat: ut encyclopaediam, quam oratori Cicero tribuit, mirifice absolvat. Quare pudet me dicere, quanto in errore versentur illi, immo quantum scelus & sacrilegium admittant, qui sacrosanctum Iesu Christi Evangelium vocabulis & phrasibus a *Caelestina*,
Ama-

Amañisio, *Splandiano*, aliisque fabulosis prodigiosisque libris mutuo acceptis verius contaminant, quam explanant. Qui, quaeso, congruere possent ea vocabula rebus divinis, quae vel ad enarrandas portentosas fabulas, vel ad obscoenos explicandos amores ab indoctis & maleferiatis hominibus turpiter conficta excogitataque fuerunt? Atque his pulchris scilicet auctoribus linguam multi homines suam informant, qui concionandi munus adfectant: copiam sibi parant, ornatum, & omnem oratoriam suppellectilem comparant: non animadvertentes sermones de Deo deque rebus Divinis sacratiores esse oportere, quam ut militaria illa verba, tumida, & velut classicum sonantia, aut mollia contra & effeminata illis convenire queant. Satius ergo est, ut supra monui, omnium artium opifices alloqui, ab eisque discere propria & germana singularum artium vocabula. Magni deinde momenti fuerit, audire concionatores eloquentes: versari etiam cum viris urbanis & aulicis: novisse postremo linguarum dialectos, quibus lingua Baetica a Toletana dissidet, quibus Celtiberorum sermo a Vaccaeorum & reliquis ulterioris Hispaniae linguis seiungitur. Toletanae linguae primas cum propter vocabulorum proprietatem & elegantiam, tum propter suaviorem sonum omnes Hispani iure tribuunt. Igitur percepta puritate eius linguae, qua quisque

con-

cionari velit, proximum est, ut turpia & obscoena tectis nominibus appellet: amet potius verecundiam Platonis, quam libertatem Zenonis, cui placuit suo quamquam rem nomine appellare. Huic enim muneri serviunt metaphorae & allegoriae, & nonnulla alia schemata, quae a rhetoricis in hunc usum inventa fuerunt. Quamquam disserenti de natura rerum nulla sunt reformidanda vocabula, quippe omnia sunt naturae ipsi aequae munda, non minus *simus* quam *margaritum*. Hic enim locum habent verba, quae poni sine honoris praefatione non solent: quia satius est proprietati atque intelligentiae rerum consulere, quam ineptae cuidam urbanitati, quae *stercus* profert non sine pudore, *adulterium* autem & *parricidium* fronte libera. Audebit igitur orator citra pudorem *asinum* & *porcum* suis nominibus appellare: quoniam, quum in re nulla insit turpitudine, non est cur utatur tecto sermone, aut rusticorum more veniam praefari debeat. Ridiculum est enim pro *asino* iumentum dicere, & pro *porco* animal grunniens, aut quod rostro terram subigit. Vocabulorum frequentem *synonymiam* modis omnibus fugiendam esse existimo, nisi quum unum altero aut significantius, aut magis proprium fuerit. *Metaphoras, similia & exempla* a rebus maxime notis & insignibus sumi vellem: nam deiicit maiestatem orationis, qui vel a sordidis arti-

tibus, vel a rebus humilibus *metaphoras & similia* frequenter trahit. Porro de tropis & figuris, in quibus eloquutionis instrumenta latent, non est mihi visum hoc loco quidquam pertractare, quoniam totus meus commentarius *De tribus generibus dicendi*, & *De informando stilo*, qui huic libro *De methodo concionandi* adiunctus est, omnem fere eloquutionis materiam complectitur. Huc praeterea accedit, quod nulla Rhetoricae pars maiore studio ac diligentia a me olim praeceptis & exemplis fuerit comprehensa in eo libro, quem *De ratione dicendi* conscripsi, quam *eloquutio*. Quod vero reliquum est, quod non potest esse non multum, quoniam *eloquutionis* (ut ait Fabius) *nullus est finis*, id in eum locum reiiciendum putavi, in quo de *decoro* a nobis agetur.

CAP. XVI.

De pronuntiatione.

Pronuntiatio auctore Cornificio, est vocis, vultus & gestus moderatio cum venustate. Haec a plerisque *actio* dicitur. Sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere: namque *actionem* Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quamdam corporis dicit. Pronuntiationis igitur

duae

duae sunt partes , vox scilicet & motus : quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Hoc loco Fabius Quinctilianus pronuntiationem mirum in modum laudat : cui primas in toto dicendi opere , semel ac iterum rogatus Demosthenes palam dederit. Iure profecto Marcus Fabius pronuntiationem tanti facit , quoniam miram quamdam in orationibus vim ac potestatem habet. Haec enim ipsa iram, lacrimas , sollicitudinem adfert , non modo in rebus , quas credimus esse veras , sed in fictis etiam & inanibus , quales sunt comoediae & tragoediae : ut hoc unum vel maximum sit eius vis ac potestatis testimonium. Quare plus habet momenti mediocris oratio commendata viribus actionis , quam optima , virtute illa pronuntiationis destituta. haec Fabius. Ceterum quum omnis actio (ut dixi) in duas sit divisa partes *vocem* nimirum & *gestum* , quorum alter oculos , altera aures movet , per quos duos sensus omnis ad animum penetrat adfectus ; prius est *de voce* dicere. De cuius quidem magnitudine & qualitate nihil disserendum duxi , quoniam nisi optima vox naturae beneficio oratori contingat , frustra (meo quidem iudicio) suscipitur labor aut curandi vocem , aut de eius molli- tudine praecepta tradendi. Dicam vero quam brevissime potero , quomodo concionis partibus pro cuiusque partis natura accommodari vocem oporteat.

Igitur exordium orationis voce sedata pronuntiari ante omnia debet : est enim vox sedata , quae nec velocitatem , neque clamorem habet , sed depressa est & humilis & quotidiano sermoni proxima : laeduntur enim arteriae , si in ipso statim orationis principio , antequam leni voce permulsa sint , acri clamore compleantur. In narratione vocis varietate opus est , ut quo quidque pacto gestum sit , ita narrari videatur. Si res ipsae , quas narramus , dignitatem habuerint , tum plenis faucibus , & quam sedatissima & depressissima voce uti conveniet. Strenue si quid explicabitur factum , celeri voce id narrandum est : ut illud Caesaris , *Veni , vidi , vici*. Rursus si qua inciderint in narratione dicta , rogata , responsa ; si quae admirationes , de quibus sit a nobis instituta narratio , diligenter animadvertere debemus , ut omnium personarum sensus atque animos voce exprimamus. Contentioni vox vehemens , ardens , urgens , acris , & quae cum celeritate & clamore verba conficiat , maxime congruit. Postrema orationis pars est *epilogus* , qui cum per amplificationem constituitur , duas habet partes , cohortationem & conquestionem. In cohortatione quinque a praeceptoribus eloquentiae observari animadverti. Primum ut sit vox attenuatissima , quae fit faucibus contractis : deinde clamor lenis , non obstrepens : mox sonus aequabilis ,

Nnnn

id

id est, sui similis, non subsultans: praeterea commutationes crebrae, quae fiunt sermone graviore in remissione, & contra: postremo celeritas; neque enim apta est ad iracundiam tarditas. In conuestione vero totidem observanda sunt: ut utamur voce depressa, inclinato capite, crebris intervallis, longis spatiis; magnis commutationibus; ut Cicero pro Milone: *Valeant (inquit) valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec urbs praecleara, mihiq; patria carissima, quoquo modo merita de me erit.* His modis, quantum ego ex Cicerone, Quintiliano, Cornificio adsequi potui, partibus orationis vocem accommodabimus: parum enim refert orationem dicam, an concionem, quum utriusque eadem sit vis, eisdemque informetur praeceptis. Illud ad extremum silentio non praeteribo, veteres oratores usque adeo *pronuntiationi* operam dedisse, ut Sempronius Gracchus adhibitis tibiis orationem suam modularetur: & Augustus Caesar, ut est a Suetonio memoriae mandatum, non nisi praesente *phonasco* orationes pronuntiaret. Sequitur, ut de *motu* corporis dicamus, quae altera est pronuntiationis pars: de quo sic commentationem meam instituam, ut magis, quae vitia in pronuntiatione fugienda sint, quam quae sint pronuntiationis virtutes, docere videar: quamquam, notatis atque deprehensis vitiis, facile sit, quid

quid deceat cognoscere. Percurram ergo brevi sermone insigniores humani corporis partes, ut quid in singulis concionatores peccent, ex officio pietatis admoneamus. Praecipuum igitur in actione, sicut in corpore ipso caput est, cum ad gestus decorem, tum etiam ad significationem decoris: vult enim Fabius Quintilianus, ut caput sit primo rectum, & secundum naturam. nam & deiecto humilitas, & supino adrogantia, & in latus inclinato languor, & praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur: tum ut cum gestu caput concordet, & manibus ac lateribus obsequatur. Adspectus deinde semper in eum locum vertatur, in quem gestus: nisi quum aut quaedam damnare, aut concedere, aut a nobis remove oportebit, ut idem illud vultu videamur aversari, & manu repellere. Cuiusmodi est Virgilianum illud:

... *Dii talem terris avertite pestem.*

... *Haud equidem tali me dignior honore.*

Sunt etiam praeter gestus adnuendi, renuendi, & confirmandi, qui vultu significantur; verecundiae etiam & dubitationis, & admirationis, & indignationis noti & communes omnibus motus: nullaque corporis pars est, qua magis se prodant animus, mentisque affectus apertius se exserant, & ostendant, quam in ipsius hominis vultu: in quo plurimum valent oculi, per quos maxime animus

emanat, ut citra motum quoque & hilaritate nitescant, & tristitia quadam nubilum ducant. Multum & superciliis significatur: nam iram contracta, tristitiam deducta, hilaritatem remissa ostendunt. Corrugare nares, & movere, & inflare, & digito inquietare, & diducere saepius, & plana manu resupinare indecorum est: quemadmodum lambere labia, & ea mordere turpe ducitur. Cervicem rectam oportet esse, non rigidam aut supinam: colum diversa, sed pari deformitate modo contrahitur, modo tenditur. Adfixum pectori mentum vocem presso guttore minus claram facit: humeri neque adlevandi sunt, neque contrahendi. Brachiorum moderata sit projectio: nollemque sinistrum brachium, aut laevam manum iactari, nisi raro, idque in orationis aestu maximoque fervore. Manus, sine quibus trunca esset ac debilis omnis actio, vix dici potest quot motus habeant, quum paene ipsam verborum copiam persequantur. Tolli autem manum supra oculos, & demitti infra petus Cicero vetat: adeo a capite eam petere, aut ad ventrem deducere vitiosum existimat. Digitorum gestus ille communis est & maxime idoneus, quo medius in pollicem contrahitur, explicitis tribus. In principiis lenis esse debet, & in utramque partem modice prolatus: in narrando tamen erit paullo productior, & in exprobrando & arguendo acer

acer atque instans. Argutiae autem digitorum non minus improbantur, quam habere in dicendo manum sub pallio. Femur ferire & usitatum est, & indignatos decet, & excitat auditorem. Pedis supplisio, ut est in contentionibus opportuna, si modica sit; ita inepti est hominis, in reliquis orationis partibus crebro pedem supplodere. Est & illa indecora in dextrum ac laevum latus vacillatio alterius pedibus insistentium. Cicero rarum incessum & brevem probat: cuius quidem auctoritate raram itidem ac perbreve concionatoribus per suggesta deambulationem permitterem, in his maxime divorum templis, in quibus suggesta sunt oblonga; nisi Divinae Scripturae auctoritates, & Psalmorum versiculos non solum modularentur, sed etiam cantarent, quod est omnium vel maximum in pronuntiando vitium: quoniam cantu adfectus omnes evestigio languescunt atque solvuntur, & concionatoris auctoritas elevatur. Oris vitia paene imprudens praeterieram, cuius illa notari solent, tussire & expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & humore proximos spargere. His finitima sunt, maiorem partem spiritus in eloquendo per nares effundere: aerem cum stridore per raritatem dentium resorbere. Sed illud foedissimum omnium, crebro anhelitu & introrsum etiam clare sonante imitari iumenta onere & iu-

iugo laborantia. Nam quidam ita ultra vires suas vocem urgent, ut periodos cum gemitu finiant, & ad singulas clausulas comprimant spiritum, & attollant supercilia. Quibus ego consulerem, ut Demosthenis exemplo grande quoddam speculum intuentes, priusquam ad concionandum se conferant, actionem componant: amicos praeterea adhibeant huius artis peritos, a quibus, quid opus facto sit, libere admoneantur. Hac enim, ut arbitror, ratione fiet, ut naturae vitia crebra exercitatione vincant, & ad dicendum compositiores evadant. haec fere Fabius.

CAP. XVII.

De decoro sive de apte dicendo.

OMnis fere dicendi ars, quae tot praeceptis tradi solet, in hoc uno constituta & collocata esse videtur, ut singulis personis & rebus convenientem orationem accommodemus, eamque diligentius servemus, quae in circumstantiis inesse videbuntur. Nam caput artis dicunt esse *decere* quod facias, atque id unum esse, quod tradi non possit: quod non tam est huius artis proprium, quam vitae totius. Itaque oratoris prudentiae relinquitur, quod praeceptis contineri non potest. Ego vero maximos auctores sequutus, pauca quaedam ad-

mo-

monendi gratia perstringam, ut ex his, quemadmodum tractanda sint cetera, cognoscat Christianus orator. Dicturo ergo haec erunt cogitanda omnia: dicens, audiens, locus, tempus, & materia, seu res, de quibus dicitur. In *dicente*, considerantur aetas, professio, seu vitae genus, dignitas. Si quidem alia iuvenem, alia senem; alia monachum, alia clericum; alia Episcopos & Pontifices, alia privatos homines oratio decet. Delectabit concionator iuvenis magis, quam movebit, quod eius aetatis propria sit oratio exulta & ornata, cui verba grandia, sonora, compositio mollior & suavior maxime conveniunt. Nec conveniet eum sententias ponere magnae prudentiae, aut ex Theologiae penetrabilibus, vel longo rerum usu exultas, nisi aliquas de aliorum auctoritate acceptas: *Sicuti accepi a D. Hieronymo: sicut legi apud D. Augustinum: quemadmodum a D. Thoma litteris mandatum est: ut est a Paulo scriptum, & eiusmodi.* Neque enim a iuvene petenda est orationis gravitas aut maturitas, aut concio recondita & erudita. Nam si iuvenis eruditionem ostentaverit, aut lectionem veterum auctorum, aut aliquid, quod ingenii maturitatem prae se ferat, continuo is in suspicionem concionis mutuo ab aliis acceptae veniet. Quod quidem complures faciunt concionatores, qui conciones ab aliis scriptas pro suis venditant, & de suggestu proclamant.

mant. His omnino contraria senem decent, cui, auctore Fabio Quintiliano, pressum dicendi genus, mite, & quale intelligi vult Cicero, quum dicit, *orationem suam canescere*, praecipue convenit. Huius est aetatis sobrietas & sanctitas orationis, & sententiarum pondus, exempla cum superioris memoriae; tum potissimum suae. Rursus ad huius aetatis severitatem spectat in publica vitia invehi, sceleratos homines insectari, modo id tectis verbis fiat: nam libertas illa veteris comediae, cui postea satira successit, pietati Christianae minime congruit. Fuit enim tempus, quum liberae erant linguae, neminique erat ullum tam secretum crimen, quod in scenam a poetis non proderetur: ut hac poena improbi homines coerciti, ad bonam frugem se reciperent. Monachos vero, quibus vita austerior est, purior decet orationis cursus, sententiis item & exemplis plenus. Nam concio sine sententiis ut in senibus, ita in monachis gravitatem non habet, quia auctoritatis habet parum; plus fidei & sanctitatis in monachi concionibus expetitur, quam curae & sollicitudinis. Habent etiam Episcopi, & ii qui Ecclesiae muneribus praesunt, suum dicendi *decorum*: nam in horum concionibus nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum neque sensu, neque ore, neque gestu deprehendi debet: quin omni ex parte potius orationis maiestas in proceribus Ecclesiae elu-

elucebit, quae cum sollicitudine servandi sibi commissi Dominici gregis, & zelo augendae pietatis Christianae certabit. Erunt itaque Ecclesiae principum conciones breves, quales ab Homero & a Virgilio Iovi tribuuntur. Huiusmodi etiam sunt sermones D. Leonis Papae: perbreves illi quidem, & ad Ciceronis eloquentiam in omnibus oratoriis virtutibus propemodum adspirantes. Tale quidem est *decorum*, quod in dicendo summis ac maximis Ecclesiae principibus humana praescribit eloquentia. Ceterum Episcopus concionator consulat D. Paulum, a quo quid in concionando Ecclesiae praepositos deceat, multo melius quam ex rhetorum officinis discet. Porro in audiente illud est a concionatore etiam atque etiam considerandum, sitne hebes & indoctus is, qui audit, an doctus contra, & ingenii acumine praestans. Quum auditorium illi contigerit ex rudibus imperitisque hominibus frequens, apertiora erunt illi omnia dicenda, ut emineant in summa facie, ne quid sit penetrandum ingenio retuso: alioqui oleum & operam perdet, ut qui asino pulsat lyram. At si auditores fuerint doctrina exculti, & celeritate ingenii praediti, acutis & exquisitis sententiis erunt detinendi: adusionibus quoque brevibus, & quasi quodam puncto signatis utemur ad historias, ad dicta auctorum, ad carmina, ad sententias celebres, ad proverbialia

Oooo

&

& apophthegmata. Verum quum raro contingat, ut concionator, apud auditores eruditos dicat, praeterquam in scholis & Academiis, ubi viri docti varias artes & disciplinas profitentur; magis profecto e re pia & Christiana erit, praetermissis obscuris & reconditis sententiis, ad multitudinem se accommodare, cui nata est eloquentia: quoniam nemo delectari aut frui potest eo, quod nullo modo intelligit, sicut in musica. Spectatur praeterea *locus*, utrum sit consecratus, an profanus. In sacro iis verbis parcendum est, quibus honorem solemus praefari, propterea quod locus est peculiariter Numini dicatus, illiusque reverentiae omnis debetur puritas & sanctitas. neque enim ulla re Deus perinde colitur ac puritate animorum, unde verba dimanant. Loco publico auctoritatem detrahit auditorum infrequentia, sed non propterea concionator despondebit animum: quoniam summus ille magister vitae Christus Iesus paucitate discipulorum contentus fuit, quum Dei sapientiam, & vitam aeternam monstraret mundo. Nam quem potius magistrum imitabimur, quam illum ipsum Christum, quem Pater ad erudiendum humanum genus caelitus demisit? post hunc Apostolos, & magno intervallo eos omnes, qui Christum sunt sequuti? Is enim quum esset Divina Sapiencia, illa tamen protulit sola, quae audientibus essent profu-

futura, non quae, quantus ipse esset, declararent. Nam si gloriam suam adfectasset, aut se patefacere expetisset, quae essent ab illo, & quam admirabilia patefacta, sed quae captum omnem excessissent, etiam Angelorum? At vero nobis serviebat omnis illius oratio, non ostentationi sui. Quare omnis ingenii ostentationisque suspicio tamquam pestis vitanda est concionatori, quem volumus auctorem humani generis potius imitari, qui duodecim discipulorum schola adquieverit, quam illud F. Quintilianii, *optimi cuiusque praeceptoris est maiore se theatro dignum existimare*. Fuit haec quondam Demosthenis, Aeschinis, Ciceronis incredibilis ambitio, ut duos illos priores tota Graecia ad audiendum conveniret, posteriorem hunc Roma & cuncta Italia dicentem fuerit admirata. Christianus autem concionator ab hac ambitionis suspicionem alienus esse debet, qui ad praedicandum Christum Crucifixum, non ad ostendendam eloquentiam suam vocatus sit. Post loci considerationem *tempus* erit animadvertendum, cui concio erit accommodanda: siquidem est tempus lugubre, ut in funere: & tempus publicae laetitiae, ut in victoria: & tempus calamitatis & captivitatis sub tyrannide. Igitur tempori talis habitus orationis congruit, qualis vestis homini pro statu rerum: ut in rebus tristibus oratio detractis

ornamentis omnibus horrida, simplex, fusa, perspicua: sub tyrannide dimissa ac paene servilis, plena sententiis ex varietate casuum ac fortunae, qui campus suppeditat quamplurimas. De hymnis libertatis ac laetitiae dicunt illi Babylone captivi: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Rerum* postremo, de quibus agitur, est habenda ratio: quoniam non idem omnibus convenit orationis habitus, propter earum variam naturam. Nam aliae sunt divinae, aliae naturales, aliae morales, aliae tam late patent, quantum natura rerum fines suos protendit. Principio quomodo de Deo deque rebus Divinis decenter loquamur, difficile sane est invenire. Nam Deo summo ac praepotenti quid, aut quemadmodum loquetur homo: opus auctori, mutum ac brutum, loquenti, saxum ipsi sapientiae? Quid aliud cogitabimus, quam illud e psalmo? *ut iumentum factus sum apud te. Quid dicemus aliud, quam quod Ieremias? A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui.* Sed de nostra infantia habemus admonitionem Paulli rhetoris divini: nos (inquit ille) quemadmodum orandum sit nescimus, sed spiritus adjuvat infirmitatem nostram. mens si oret bona fide, quibuscumque verbis est grata. Quomodo vero loquendum esset de rebus divinis superius pertractavi, quum de *eloquutione* praecepta darem: illudque me dixisse memini, nihil nos posse, apte proprieque de
Deo,

Deo, de rebusque Divinis dicere, sed utendum esse verbis receptis a sanctis viris. Porro dissonantes de natura rerum nulla repudiabunt vocabula; quin magistros potius dicendi sectabuntur Platonem, Aristotelem, M. Varronem, Collumellam, Plinium, Palladium, qui res naturales apte atque eleganter pertractarunt. Ad horum imitationem in explicandis naturae rebus ita se component, ut vernacule pronuntient ea, quae illi Graeca & Latina lingua litteris prodiderunt. De virtute autem cum instituitur concio, oratio talis erit, qualis sanctae matronae cultus, simplex, purus, integer, gravis, satis habens virium. Aristoteli vero non placet in rebus morum, & ubi sententiae gravitatem requirunt, adhiberi contam orationem, *quae sensus* (inquit) *egregios opprimit*, sicut matronae auctoritas cultu immodico diminuitur. Instruetur autem huiusmodi concio *exemplorum, proverbiorum, sententiarum* copia: ideoque Annaeus Seneca, qui de moribus disserens, crebras sententias infarcit, non tantopere improbatur a Ludovico Vive, ut a Marco Fabio Quintiliano. Sed nimius quidem in eo iudicio fuit, ut modum non immerito in eo desideret Fabius. nam praestaret, locum aliquem ab eo fuisse relictum, in quo eius spatiaretur oratio, quam minutissimis crebrisque sententiis decorem orationis obruisse. Hoc mihi in loco pie admonendi sunt
qui-

quidam concionatores, qui conciones ab aliis compositas (quas verisimile est pro loco, tempore, personis, atque in certum usum & scopum effictas elaboratasque a viris doctis fuisse) nullo non loco, nulloque non tempore, sine ullo auditorum discrimine stentorea voce de suggestis personant. Ab his percontari mihi libet, qui fieri possit, ut apte & decenter is dicat, qui concionem aulicorum hominum moribus congruentem rusticis accommodaverit? An una eademque concio tanto artificio effingi compararique umquam potest, ut in omnem casum & eventum apud omnes gentes & nationes cum decoro haberi queat? Cicero, in quo uno divino oratore nihil mutatum (ut Georgius inquit Trapezuntius) melius fieri potest, numquam sic orationem composuit, ut ad omnes casus & eventus posset accommodari: quin hoc ipsum est contra naturam caussarum, quae sic quibusdam locis, temporibus, certisque adiunctae sunt personis, ut aliis convenire minime possint. Ego equidem non video, quomodo *decorum* is orator servet, qui unam eandemque cantilenam Hispanis, Italis, Gallis, Germanis, doctis rursus, atque idiotis hominibus canit. At dices mihi, doctrina Evangelica est, quae ubique gentium & terrarum omni creaturae a domino & magistro vitae iubetur praedicari: propterea hac invidia merito levare debent concionatores, si caele-

lestis summique praeceptoris eandem doctrinam in omnes gentes proseminaverint. Hoc praetextu quidam fortassis defendi possent, si nudum Christi Evangelium gentibus enarrandum esset: sed multa sunt addenda ab oratore, ut invitos & repugnantes ad suam sententiam auditores pertrahat. Nam & adficiendi sunt & permovendi, & ad eorum sensus atque mentes oratio est in primis accommodanda: quod sine oratorio artificio obtineri minime potest. Fateor equidem libenter, Christi Servatoris nostri Evangelium concionatoris materiam esse, cuius sonitus in ultimas usque terras perferri & exaudiri debet; verum ita exaudiri debet, ut oratori relinquatur officium suum, quod est accomodate dicere ad persuadendum: cui ne Rethoricae quidem partes subtrahi debent, quae sunt *inventio*, *eloquutio*, *dispositio*, *memoria*, *pronuntiatio*, his adde *iudicium* & *consilium*, quibus universa in ratione dicendi subiiciuntur. Haec habui, quae de *methodo concionandi* dicerem, cuius totam rationem ad veterem Ciceronis orandi modum referendam putavi: ut quem ille summus orator dicendi morem in foro & in senatu olim servaverit, eundem sacrae rei concionatores in divorum templis, quatenus *materia* Evangelica pateretur, ad sempiternam Dei laudem & gloriam, sibi imitandum proponerent.

CAP.

CAP. XVIII.

*De eloquentia Divi Paulli ex Divo Chrysostomo
& Augustino.*

INveteravit iam pridem apud nonnullos Theologos haec praepostera opinio, D. Paullum, rhetorem alioqui divinum, eloquentia omnique dicendi artificio omnino destitutum fuisse, quoniam ipse ad Corinthios scribens sponte sua fateretur, sermone se imperitum esse, sed non scientia. Atque hoc praetextu infantissimi homines se ipsos tuebantur, & ignorantiae suae blandientes, orationis cultum atque elegantiam, rhetoricaeque artis studium a munere concionandi procul submovebant. Horum stultitiam D. Chrysostomus & Augustinus exsecrati, admirabilem D. Paulli facundiam non modo in caelum usque extulerunt, sed, ne rhetoricae artis eloquentiaeque vituperatoribus ulla tergiversandi pateret via oratorium artificium, quod in illius caelestis divinique rhetoris epistolis inesset multis exemplis apertissime prodiderunt: omnia, quae summum essent oratoris, exceptis sermonis deliciis, quas ad ostentationem & voluptatem numerorum magistrum excogitarunt, uni illi tribuentes. Nam quis in eo, qui gentibus Iesu Christi Evangelium esset praedica-

caturus, aut Isocratis tersam iucunditatem, aut Demosthenis amplam sublimitatem, aut Thucydidis verendam maiestatem, aut Platonis excellen-tem dignitatem exigeret, quae magis sollicitudinem verborum, quam curam rerum prae se ferunt? Solida illa ac vera eloquentia, quae non tersis politisque antithetis delectat, sed verbi divini admotis facibus pugnat, in Paulo Apostolo quaerenda est: quamquam D. Augustinus omnes colores, cuncta schemata, universos tropos & figuras, de quibus ethnici rhetores gloriantur, in epistolis D. Paulli accurate observat. Verum antequam de artis rhetoricae coloribus, qui in epistolis D. Paulli in- sunt, disserentem Augustinum inducam; Chrysostomum de huius rhetoris eloquentia declamantem audiamus. Chrysostomi hypothesis sive argumen- tum est, miraculis D. Paulli (quae nulla adhuc ediderat) non esse tribuendum, sed eius admirabili divinaeque eloquentiae, quod gentes, relicta idololatria, ad Christi fidem praedicante Paulo converterentur. Sic enim ille inquit. „Vndenam, ob- „secro, Iudaeos, qui Damascum incolerent, tam „aperte confudit, signis miraculisque ab eo non- „dum coeptis? unde Graecos idem supplantavit? „quamobrem rursus relegatus est: nonne id fa- „ctum est, posteaquam vidicendi victor ille eva- „sit? sic ut, quum victos se ferre illi non possent,

Pppp

„ ad

„ ad illius caedem inflammati concitarentur? Non-
 „ dum enim miracula edere coeperat. Neque vero
 „ dicere quis possit, Paullum ab editorum mira-
 „ culorum gloria apud multitudinem in admiratio-
 „ ne habitum, eosque qui cum eo congregaren-
 „ tur, ab ipsius fuisse existimatione oppressos. ad
 „ id enim usque tempus non nisi ab eloquentia vi-
 „ ctoriam de adversariis reportabat. Adversus eos
 „ autem, qui Iudaismum sequi in Antiochia coe-
 „ pissent, quibus auxiliis pugnavit disputavitque?
 „ Rursus Areopagita ille, supersticiosissimae illius
 „ civitatis civis, nonne cum uxore, audita tantum
 „ Paulli concione, illum sequutus est? Euty chius
 „ vero quomodo de fenestra delapsus est? nonne
 „ posteaquam usque ad multam noctem Paulli di-
 „ centis orationi intentus operam dedit? Quid ve-
 „ ro Thessalonicae atque Corinthi? quid Ephesi
 „ & Romae? nonne totos dies totasque noctes in-
 „ sumsit, dum Divinas Scripturas ordine exponeret?
 „ Iam quorsum percensere opus est, disputationes
 „ eas, quas cum Epicureis Stoicisque palam ha-
 „ buit? Nam si hic omnia referre velim, profecto
 „ noster sermo in magnam sese longitudinem pro-
 „ duceret. Quum igitur Paullum constet tum ante
 „ miraculorum editionem, tum in ipsis miraculis
 „ magnam habuisse eloquentiam, qua fronte iam
 „ sustinebunt idiotam vocare, cuius magna fuit
 „ apud

„ apud omnes qua disputantis, qua concionan-
 „ tis admiratio? Quam enim ob rem Lyciones i-
 „ psium Mercurium esse suspicati sunt? Nam quod
 „ Barnabam ac Paullum Deos esse crederent, id
 „ signis editis fiebat: quod autem Paullum Mer-
 „ curium esse vellent, id non iam a signis, sed ab
 „ eloquentia nascebatur. Quanam autem re ille ve-
 „ re beatus vir inter ceteros Apostolos praeroga-
 „ tivam obtinuit? unde item per universum terra-
 „ rum orbem multus in omnium mortalium ore
 „ versatur? unde non apud nos modo, sed etiam
 „ apud Iudaeos ac gentiles in primis admiratio:
 „ est? nonne ab epistolarum facultate ac virtute?
 „ per quam non eos tantum, qui id temporis in
 „ Christum crederent, sed eos quoque, qui ab eo
 „ tempore in hunc usque diem credidere, ac qui
 „ postea credituri sunt, tantisper dum ille de uno-
 „ quoque iudicaturus advenerit, adiuvit, adiuturus-
 „ que est. Id quod facere numquam cessabit, donec
 „ mortale genus duraturum est: cuius certe scripta in-
 „ star muri ex adamante constructi omnes orbis
 „ universi Ecclesias quovis in loco positas circum-
 „ vallant. “ Haecenus D. Chrysostomus, qui pro
 „ D. Paulli eloquentia contra eos patrocinium susce-
 „ pit, qui Paulli miraculis, ac non eius admirabili
 „ divinaeque eloquentiae victoriam de gentibus par-
 „ tam acceptam ferre volebant. Nunc autem secun-

dus dicendi locus detur D. Augustino, qui ean-
 dem omnino causam pro eloquentia Paulli sum-
 mi divinique oratoris IV. lib. *de doctrina Christia-*
na cum omnium admiratione dixit. Neque hoc pro-
 pterea dico, quod ullam huius argumenti causam
 D. Augustinus peroraret, sed quod Rhetoricae ar-
 tificium in epistolis Paulli detegendo, id ab indo-
 ctorum hominum invidia & calumnia vindicaret.
 „ Sicut ergo (*inquit Augustinus*) Apostolum prae-
 „ cepta eloquentiae sequutum fuisse non dicimus,
 „ ita quod eius sapientiam sequuta sit eloquentia
 „ non negamus. Scribens ad Corinthios, in secun-
 „ da epistola redarguit quosdam, qui erant ex Iu-
 „ daeis pseudo-apostoli, eique detrahebant: &
 „ quoniam se ipsum praedicare compellitur, hanc
 „ sibi velut insipientiam tribuens, quam sapienter
 „ dicit quamque eloquenter? Sed comes sapientiae,
 „ dux eloquentiae illam sequens, istam praecedens
 „ & sequentem non respuens. *Iterum dico* (*inquit*)
 „ *ne quis me existimet insipientem esse; alioquin ve-*
 „ *lut insipientem suscipite me, ut & ego modicum*
 „ *quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum*
 „ *Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia*
 „ *gloriae. Quoniam quidem multi gloriantur secundum*
 „ *carnem, & ego gloriabor. Libenter enim sustinetis*
 „ *insipientes, quum sitis ipsi sapientes. Toleratis enim*
 „ *si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat,*

„ si

„ *si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem*
 „ *vos caedit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos*
 „ *infirmati sumus. In quo quis audet (in insipientia*
 „ *dico) audeo & ego. Hebraei sunt? & ego: Israe-*
 „ *litae sunt? & ego: semen Abrahae sunt? & ego:*
 „ *ministri Christi sunt? & ego (ut insipiens dico) su-*
 „ *per ego. In laboribus plurimum, in carceribus abun-*
 „ *dantius, in plagis supra modum, in mortibus sae-*
 „ *pius. A Iudaeis quinquies, quadraginta una minus*
 „ *accepi. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum,*
 „ *ter naufragium feci: nocte & die in profundo ma-*
 „ *ris fui; in itineribus saepe? periculis fluminum, pe-*
 „ *riculis latronum, periculis ex genere, periculis ex*
 „ *gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto,*
 „ *periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in*
 „ *labore & aerumna, in vigiliis saepius, in fame &*
 „ *siti, in ieiuniis saepius, in frigore & nuditate:*
 „ *praeter illa, quae extrinsecus sunt incursus in me*
 „ *quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis*
 „ *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandaliza-*
 „ *tur, & ego non uror? Si gloriari oportet in*
 „ *his, quae infirmitatis meae sunt, gloriabor. Quan-*
 „ *ta sapientia ista sint dicta, vigilantes vident.*
 „ Quanto vero eloquentiae cucurrerint flumine, &
 „ qui stertit, advertit. Porro autem qui novit,
 „ agnoscit, quod ea caesa, quae commata Graeci
 „ vocant & membra, & circuitus, de quibus paul-

„ lo

„ lo ante disserui , quum decentissima varietate in-
 „ terponerentur , totam istam speciem dictionis , &
 „ quasi eius vultum , quo etiam indocti delectan-
 „ tur moventurque , fecerunt. Nam unde coepimus
 „ hunc locum inserere , circuitus sunt. Primus mi-
 „ nimus , hoc est , bimembris ; minus enim quam
 „ duo membra circuitus habere non possunt ; plu-
 „ ra vero possunt : ergo ille primus est , *iterum dico*
 „ *nequis me existimet insipientem esse*. Sequitur alius
 „ trimembris : *alioquin velut insipientem suscipite me* ,
 „ *ut ego modicum quid glorier*. Tertius , qui sequi-
 „ tur , membra habet quatuor : *Quod loquor , non*
 „ *loquor secundum Deum , sed quasi in stultitia , in*
 „ *hac substantia gloriae*. Quartus duo habet , *Quan-*
 „ *doquidem multi gloriantur secundum carnem , &*
 „ *ego gloriabor*. Et quintus habet duo , *Libenter*
 „ *enim sustinetis insipientes , quum sitis ipsi sapien-*
 „ *tes*. Etiam sextus bimembris est : *Toleratis enim*
 „ *si quis vos in servitutem redigit*. Sequuntur tria
 „ caesa : *Si quis devorat , si quis accipit , si quis ex-*
 „ *tollitur*. Deinde tria membra : *Si quis in faciem*
 „ *vos caedit , secundum ignobilitatem dico , quasi nos*
 „ *infirmati simus*. Additur trimembris circuitus , *In*
 „ *quo autem quis audet (in insipientia dico) audeo*
 „ *& ego*. Hinc iam singulis quibusque caesis in-
 „ terrogando positis , singula item caesa responsio-
 „ ne redduntur , tria tribus , *Hebraei sunt ? & ego :*
 „ *Is-*

„ *Israelitae sunt ? & ego : semen Abrahae sunt ? & ego :*
 „ Quarto autem caeso simili interrogatione posi-
 „ to , non alterius caesi , sed membri oppositione
 „ respondet , *Ministri Christi sunt ? (insipiens dico)*
 „ *super ego*. Iam caesa quatuor sequentia remota
 „ decentissime interrogatione funduntur : *In labo-*
 „ *ribus plurimum , in carceribus abundantius , in pla-*
 „ *gis supra modum , in mortibus frequenter*. Deinde
 „ interponitur brevis circuitus , quoniam suspensa
 „ pronuntiatione distinguendum est , *A iudaeis quin-*
 „ *quies* , ut hoc sit unum membrum , cui conne-
 „ ctitur alterum , *quadraginta una minus accepi*. In-
 „ de reditur ad caesa , & ponuntur tria , *Ter vir-*
 „ *gis caesus sum , semel lapidatus sum , ter naufra-*
 „ *gium feci*. Sequitur membrum , *Nocte ac die in*
 „ *profundo maris fui*. Deinde quatuordecim caesa
 „ decentissimo impetu profluunt , *In itineribus sae-*
 „ *pe , periculis fluminum , periculis latronum , pe-*
 „ *riculis ex genere , periculis ex gentibus , pericu-*
 „ *lis in civitate , periculis in deserto , periculis in*
 „ *mari , periculis in falsis fratribus , in labore &*
 „ *aerumna , in vigiliis saepius , in fame & in si-*
 „ *ti , in ieiuniis saepius , in frigore & nuditate*.
 „ Post haec interponit trimembrem circuitum ,
 „ *Praeter illa , quae extrinsecus sunt , incursus in me*
 „ *quotidianus , sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et
 „ huic duo membra percontatione subiungit , *Quis*
 „ *in-*

„ infirmatur , & ego non infirmor ? quis scandalizatur ,
 „ & ego non uror ? Postremus totus iste quasi an-
 „ helans locus bimembri circuitu terminatur. Si
 „ gloriari oportet , in his , quae infirmitatis meae sunt ,
 „ gloriabor. Quod vero post hunc impetum , in-
 „ terposita narratiuncula , quodammodo requiescit
 „ & requiescere facit auditorem , quid decoris , quid
 „ delectationis habeat , satis dici non potest. Sequi-
 „ tur enim dicens , *Deus & Pater domini nostri Ie-*
 „ *su Christi scit , qui est benedictus in saecula , quod*
 „ *non mentior.* Ac deinde , quomodo periclitatus
 „ fuerit , & quomodo evaserit , brevissime narrat.
 „ Longum est cetera persequi vel in aliis Sancta-
 „ rum Scripturarum locis ista monstrare. Quid si
 „ etiam figuras loquutionis , quae illa arte tradun-
 „ tur , in his saltim , quae de Apostoli eloquio com-
 „ memoravi , ostendere voluissem , nonne facilius
 „ graves homines me nimium , quam quisquam stu-
 „ diosorum sibi sufficientem putarent ? Haec omnia
 „ quando a magistris pro magno habentur , ma-
 „ gno pretio emuntur , magna iactatione venduntur.
 „ Quam iactationem etiam ego redolere vereor ,
 „ dum ista dissero. Sed male doctis hominibus
 „ respondendum fuit , qui nostros auctores con-
 „ temnendos putant , non quia non habent , sed
 „ quia non ostentant , quam nimis isti diligunt elo-
 „ quentiam. “ Haec pauca ex multis , quae pro
 Paul-

Paulli eloquentia adducit D. Augustinus , referen-
 da putavi , ex quibus equidem cognovi duplicem
 eloquentiam : unam , quam natura , arte , exercita-
 tione , & auctorum eloquentium imitatione nobis
 comparamus : alteram vero , quam non studio aut
 industria nostra adhibitis praeceptoribus consequi-
 mur , sed dono quodam divinae providentiae obti-
 nemus : illam *antecedentem* , hanc vero *consequentem*
 idem vocat Augustinus , quoniam dicentem conse-
 quitur. Qualis profecto eloquentia D. Paulli fuit ,
 & Prophetarum : qui non ex artis rhetoricae prae-
 scripto , in quod prius intuerentur , dicebant ; sed di-
 centes potius admirabilis illa divinaque eloquen-
 tia sequeretur , quae in illorum quidem concio-
 nibus , si eas postea excuteret & accurate explora-
 res , facile appareret. Consentaneum enim erat , ut
 Christus Servator noster omnibus bonis artibus at-
 que disciplinis instrueret eos , quos missurus esset
 per universum mundum ad praedicandum Evan-
 gelium atque caelestem illam inauditamque Philo-
 sophiam. Erant enim Apostoli cum orbis gentium
 regibus , cum principibus , cum magni nominis phi-
 losophis , cum doctis & indoctis hominibus , cum
 barbaris ferisque nationibus non aliis armis con-
 gressuri , quam verbo Dei : quod orationis suavita-
 te conditum facundiaque ornatum facilius in illo-
 rum animos influeret , quam si nulla esset dicendi

elegantia & artificio praecultum. Quare merito quidem a Chrysostomo & Augustino illi repulsi sunt, qui hanc tantam eloquentiae laudem, qua D. Paullus ipsis etiam ethnicis oratoribus longe antecelluit, invidiose detrahebant. Nam (ut ego quod sentio dicam) nullus vel Demosthenis, vel Ciceronis locus ex his orationibus, quas quum legimus vehementer admiramur, ita aut arte elaboratus, aut ingenio umquam perfectus fuit, quam hic locus Paulli, cuius artificium prodidit D. Augustinus. Quando, obsecro, Ciceronis tam dives lingua fuit, quando Demosthenis tam fervens oratio, quando tanto ingenii flumine, tanta copia, tanta facultate dicendi quisquam alius vel Graecus vel Latinus orator promanavit, quanta Paullus non in hoc loco modo, sed in omnibus etiam suis epistolis fluere videtur? Quando Cicero ita dixit, Mercurius ut haberetur? quando ita excelsus & sublimis Demosthenes fuit, ut fortes eius esse conciones proclamarent adversarii? Etenim hi facundissimi oratores sic dicebant, ut nemo non agnosceret Romae & Athenis natos eos fuisse, & Moloni Rhodi, aut Athenis Platoni operam dedisse: at dicentem Paullum universi auditores, ad quos huius rei fama perveniret, raptum in tertium usque caelum revera credebant: cuius eloquentia plane caelestis divinaque esset, & a caelo in terras de-

la-

lapsa: cui Atticam facundiam velle comparare mera dementia est. Quare Theologos semel atque iterum exhortari admonereque non desistam, ut hunc excellentem omnibusque numeris absolutum oratorem sibi ad imitandum proponant: quem quidem Deus Opt. Max. elegit, ut doctor esset & concionator universarum gentium: conenturque (quantum humanae vires tulerint) eloquentiae studio eas virtutes oratorias adsequi, quae dono quodam divinae providentiae in eo latissime illuxerunt.

CAP. XIX.

De usu describendi alienas conciones.

SAepenumero mihi venit in mentem concionatores admonere, postea quam ingressus sum scribere *de methodo concionandi*, & eas res omnes monumentis tradere, quae ad hoc munus maxime pertinerent, ut mallent ipsi excogitare, quid dicant, quam aliorum inventis & fide niti. Nam sunt multi usque adeo otio inertiaeque dediti, ut alieno labore magis frui velint, quam aliquid ex se gignere, quod suum esse testentur. *Furantur enim verba mea* (inquit Dominus apud Hieremiam prophetam) *unusquisque a proximo suo*; nullumque finem faciunt describendi conciones, quas vel in divorum

Qqqq 2

tem-

templis a viris eruditis perorari audiunt , vel (ut inquit comicus) *pretio , aut prece , aut vi ab amicis extorquent*. His igitur complentur libri , & infartiantur commentarii , qui in eam saepe magnitudinem crescunt , ut neque ulli plutei , neque pinacothecae eos capere possint. Quanto quidem satius esset conciones mutuari a D. Chrysostomo & Augustino , a ceterisque sanctissimis Ecclesiae doctoribus , in quibus nihil est , quod invidi etiam & scelerati homines despiciere possint , neque in vita , neque in doctrina , neque in eloquentia ; quam ab his hominibus precario accipere , quorum saepe vita cum doctrina contemnitur ? Vnde periculum frequenter huiusmodi concionatoribus creati videmus , qui se totos in alienas conciones temere ingurgitarunt. Quod si imitatores *servum pecus* vocat Horatius , quomodo eos appellaret , qui non aliorum conciones imitantur , sed furantur potius & pro suis populo venditant ? Doctis fortasse hominibus , qui & disertis sunt , & recte pronuntiare possunt , id facilius permetteret D. Augustinus , quam ineruditis , ut ex alieno dicant commentario , & conciones ab aliis compositas proferant ad populum. Nam lib. IV. *de doctrina Christiana* id aperte his verbis significare videtur : *Sunt sane quidam , qui bene pronuntiare possunt ; quid autem pronuntient excogitare non possunt , quod si ab aliis sumant , eloquenter sapienterque conscri-*

ptum,

ptum , memoriaeque commendent , atque ad populum proferant , si eam personam gerunt , non improbe faciunt. Quod equidem nescio an his temporibus tam libere ac frequenter fieri liceret , quum vix intelligamus quibus fidendum sit , ita non parum multi evaserunt in haereticos , quos Catholicos credebamus. Quare qui aliorum inventis utuntur , & in aliena doctrina versantur , sic ego eos versari vellem , ut sibi partes iudicis relinquunt : quod sine ingenio & doctrina facere non possunt. Indoctis vero consilium darem , ut conciones ad populum non pronuntient , de quibus iudicium facere propter Theologiae , Divinarumque Scripturarum ignorantiam minime possint. Nam si aliorum ingenio & doctrinae confisi in publicum prodierint , fieri sane vix poterit , quin aliquando in pudendos errores & haereses prolabantur. Itaque si leant de meo consilio indocti homines , quibus tantum vitae & famae imminet periculum , si aliorum scripta sine ullo suo iudicio , linguae solum volubilitate freti , ad populi aures magnis clamoribus personent. Doctos autem Theologos pudere etiam debet , semper alieno sensu ac iudicio , ne dicam alieno ore , loqui : quoniam , qui sic loquuntur , necesse sane est , ut languide ac sine ullo animi adfectu loquantur : si quidem aliorum inventa , ut comoediarum actores , non ut auctores repraesentant. Atqui proprium ex alieno sibi facerent (si ut Horat. inquit in *Arte poeti-*

ti-

tica) ordinem concionis mutarent: aliquid etiam de suo pro loco & tempore, atque personis adderent: si exquisita denique, ac non vulgari modo, res ab aliis compositas atque elaboratas persequuti fuerint. Sic enim habet Horatius:

*Publica materies privati iuris exit, si
Nec circa patulum vilemque moraberis orbem.*

Quae enim in medio posita sunt, nulliusque adhuc iuris esse dicuntur, quoniam a nemine sunt pertractata, tua (inquit Horatius) omnino efficies, si a circulatorum consuetudine longe abfueris, qui vulgari crassaque Minerva suscepta argumenta tractant. Illud insuper ego addo: & si quod est ab aliis auctoribus pertractatum, nova inauditaque methodo dixeris, ex alieno proprium privatumque reddideris. Similis quidem consuetudo excipiendi a praeceptoribus dictata, paucis abhinc annis in Academiam Complutensem introducta est: nam auditores Theologorum praelectiones litteris mandant, quas oporteret prius etiam atque etiam repetere, & cum condiscipulis conferre, deinde memoriae diligenter committere, ab eaque subinde reposcere, postremo in codicem incantatum usum paratum referre: sic enim fieret, ut dictata altius infixis animis, permanerent in posterum. Verum iuvenes memoriae suae diffisi, scriptis malunt fidere, quibus ut thesauro incubant, & securi in utramque aurem dormiunt, omnem abiicientes curam

ram evoluendi eos auctores, qui his de rebus docte simul & acute disseruerunt. Quanto, obsecro, praestantius esset in D. Thoma legere, quae sunt a professoribus enarrata, quam in istorum exceptorum libris, quos sine metu ac periculo non possis habere? Nam si unum verbum aliud agens, secus quam oporteret, scripsisti, in haeresim miser incidisti. Tutius igitur multo est in auctorum libris intueri quae audieris, quam istis libellis exceptoriis mysteria Theologiae mandare, quos numquam fortassis evolves, nisi quum rogatus aliquid, post annos centum respondere velis. Neque enim hoc meum est inventum, quod Theologis tantopere persuasum esse velim, sed divini potius Platonis, qui in *Phaedro* & in II. *Epistola ad Dionysium Siciliae tyrannum* scribendi studium non probat: Pythagoreos nimirum sequutus, qui divinarum rerum dignitatem non litteris spargebant in vulgus, sed verbis potius velut per manus transmittabant ad posteros. Atque hac ratione Iudaei aiunt, mysticum suae legis sensum ab ipso Deo per Moysem non tam litteris traditum, quam animis commendatum, sed hoc illi viderint. Verum quo animo scribendi studium de rebus divinis Plato improbarit, nemini quidem erit difficile cognoscere, qui *epistolam* II. quam ad Dionysium conscripsit, accurate legerit. Atqui Pythagorae Samio hanc ferunt causam, cur non scriberet, quod diceret, nolle se scri-

scribendis sensis animi sui discipulos desidia ad-
 facere: quippe qui monumentis litterarum confisi,
 minus memoriae excolendae studerent. Eadem pro-
 pemodum fuit Druidarum Galliae sacerdotum mens:
 idcirco multa illa versuum millia, quibus sacra &
 caerimoniae eorum continerentur, alii aliis velut per
 manus tradebant sine descriptione ulla. Nos vero aliae
 urgent rationes, ut in eam adducamur opinionem
 quam tuemur. Quod si iuvenes qui Theologicas dis-
 putationes in scholis excipiunt, congressi cum suis
 aequalibus easdem agitent, agitas cum veterum
 auctorum monumentis conferrent, collatas memo-
 riae commendarent, quas (ne aliquando a mente ex-
 ciderent) in codicem exceptorium referrent, me pro-
 fecto revocarem, consuetudinemque scribendi vehe-
 menter laudarem. Verum tantum abest, ut haec ita
 fiant, ut quamplurimi ex his qui Theologiae student,
 & excolendi ingenii gratia professorum gymnasia fre-
 quentant, his libellis exceptoriis contenti, totum
 quadriennium neque *D. Thomam*, neque *Scotum* le-
 gant, neque domi fortassis horum auctorum libros
 habeant. Quare res profecto dubia & controversa est
 scribendi studium, & quae in utramque partem mo-
 re declamatorio ornate & copiose pertractari posset.

F I N I S.